Est. 14. Tab. 7.a Num. 24.

26-8-24

THEODORI PELTANI
Societatis IESV Theologi

IN

PROVERBIA SALOMONIS

PARAPHRASIS
ET SCHOLIA

Ex SS. Patrum scriptis vulgatæ editioni accommodata, & Morali doctrina Concionatoribus & Catechistis perutili referta.

ACCEDVNT
Obseruationes è libris Singularium P. Martini de Roa Cordubensis eiusdem Societat.
Cum duplici Indice.



ANTVERPIÆ,
Ex typographeio Hieronymi Verdussi.
M. DC. VI.
Cum Gratia & Priuilegio

APPROBATIO.

HIc Commentarius Reuerendi Patris Theodori Peltani Societatis IESV Theologi in Prouerbia Salomonis est dignus qui Concionatorum manibus teratur. 19. April. Anno 1605.

Egbertus Spitholdius Canonicus & Plebanus Antuerpiensis.

Signat.

Buschere.

REVERENDISS. DOCTISSIMOQ.

D. IOANNI MIRAEO

ANTVERPIENSIVM EPISCOPO

Sal. in CHRISTO IESV.

SALOMONIS Regum post homines natos sapientissimi, PRÆSVL optime, libri, quia reconditam quandam doctrinam continent, subobscuriores inter cetera volumina sacra non immeritò iudicantur. Nihil enim eum fugiebat, qui à cedro vsque ad hyssopum de herbis omnibus, stirpibus, ac plantis, deque omni animantium genere accuratè dissereret, atque adeò ænigmata omnia longè, quã Oedipus ille Sphingis, rectius dissolueret. [3. Reg. 4. 33.] Quæ autem in PROVERBIIS ad benè beatéque viuendum, hoc est, ad vitam moresq. formandos pertinent, sunt principis illius Philosophiæ partis de Moribus propria, auxilium aliquod litterarum, atque illustrem magis perpolitamque explicationem desiderare visa sunt. Est enim παροιμία seu Prouerbium, vt te omnium, Præsul doctissime, minimè fugit, vetus quidem, sed tritum sermone dictum, subobscurum tamen, quod acumine potissimum commen-

datur. Huius rei opem aliquam pro virili parte afferre Theodorus Peltanus, Societatis IESV Presbyter, ac Theologiæ in Germania Professor eximius, conatus est: postquam de Græcis Patribus XVII. Homilias Latina ciuitate donasset, Concilium item Ephesinum Oecumenicum conuertisset, aureum ad hæc opus *De Ieiunio, Oratione, atque Eleemosyna* conscripsisset, varias quoque cum hæreticis Ecclesiam Catholicam Romanã per cuniculos vulpium ritu oppugnantibus disceptando Controuersias, ac Theses publicè disputatas euulgasset. Denique adiutus scriptis SS. Patrum Græcorum Hippolyti, Didymi, Olympiodori, Basilij, Origenis, Gregorij, Epiphanij, Chrysostomi, Apollinaris, Polychronij, Iuliani, Euagrij, Diodori, Eusebij, aliorúmque Catenæ Scriptorum in PROVERBIA Salomonis, potissimum è Bauarico exemplari postumum hunc partum *Paraphrasim ac Scholia* in *Prouerbia* edolauit, quieuitque in Domino sacerdos pius, à labore vigiliisque diuturnis quietem, vt spero & opto, in æterna illa sede, vbi beati æuo perfruuntur sempiterno, consecutus. Has igitur P. Peltani in PROVERBIA lucubrationes Ecclesiæ Catholicæ commodo impensas, & meæ fidei typis euulgandi à Societate commissas, cui potius offeram dedicemque, quàm Tibi Ecclesiæ Præsuli vigilantissimo, omnique bono de ea, totáque adeo Societate sic merenti, nihil vt antiquorum Antistitum studio ac benevolentiæ concedere videaris? Quid referam concionandi, & ad populum de verbo Dei differendi ardorem? quo cunctos, qui ab ore pendentes tuo non nisi doctiores meliorésque discedunt, in Dei rapere amorem consueuisti. Taceo studium iuuandæ laborantis Ecclesiæ, vtque vineæ Domi-

ni Exer-

ni Exercituum operarij, qui manipulos lætásque segetes colligant, non desint; Seminarium Pastorum, ex Tridentinæ Synodi Decreto, auges indies atque amplificas. Prætereo zelum propè singularem in Christianæ doctrinæ rudimentis iuuentuti, velut oris angusti poculis paulatim instillandis, vt hinc pietatis fructus messe iam flaua exsistant. Denique Deiparæ Sichemensis asperi collis cultum, confluente indies incredibili piorum numero, quod in vnigeniti eius Filij honorem cedat, magis magisque promoues. Cape itaque fronte hilari, PRÆSVL amplissime, opus morum doctrina refertum, pedibusque tuis aduolutum munusculum argumenti gratia minimè contemnendum. B. enim Hieronymus magnum illud militantis in terris Ecclesiæ lumen Epist. VII. ad Lætam Albini coniugem in Paullæ filiæ institutione hæc PROVERBIA ita commendat: *Discat primo Psalterium, his se canticis auocet, & in* PROVERBIIS *Salomonis erudiatur ad vitam.* Sic hodie Christiana nostra iuuentus morum licentiâ, nimiáque parentum indulgentiâ, prô dolor, corrupta, è Salomone Tua potissimum commendatione per Ecclesiastas sacros & Catechistas, in quo sunt omnia, dilcet, in primis parentibus dicto audiens esse, magistris obedire, vt ciues iam facti Magistratibus ac Principibus ex æquo & bono pareant. Vitent dehinc in lubrico ætatis flexu scorta ac pellices, adolescentum venenum, vt Græci vocant γλυκύπικρον, quod S. Patres Græcorum in hac ipsa Catena ad Hæreseos pestem meritò transferunt: idque, vt spirituale est lenocinium sub aspectum non cadens, eò maiore periculo, mentes incautorum peruadit, animosque inficit, phaleratis vtens verbis, pro delini-

mentis ac blanditiis. Quod malum vbi in ſuperbum inciderit ingenium, hæreticum efficit libidinoſum, carnique deditum matrimonij quæſito colore: ſeditioſum item ac perduellem, Reſpubl. benè conſtitutas turbantem: denique zeli prætextu pacem, quà poteſt, profligantem. Hinc illæ lacrymæ, tamque deformata Belgij noſtri facies apparet, quæ prouincia abſque hæreticis eſſet, vt Europæ incolarum induſtria ac ſedulitate ocellus, in priſtina maiorum religione vigeret, ac fide erga Principes reſpiraret. In quo omine, ne verboſa epiſtola in publica peccaſſe commoda videar, deſino. Equidem vt Te Deus Opt. Max. quàm diutiſsimè ſponſæ Eccleſiæ ſoſpitem ſuperſtitemque conſeruet venerans precor. Vale in Domino Antuerpiæ è Muſeio Typographico, Anno redempti orbis. CIↃ. IↃCVI.

Reuerendiſſ. T. D. obſequentiſſ. cliens
Hieronymus Verduſſius *Iunior.*

ELOGIVM

ELOGIVM P. THEODORI PELTANI EX ACADEMIÆ INGOLSTADIENSIS Professoribus auctore Valentino Rotmano.

THEODORVS *Antonius Peltanus, ex inferioris Germaniæ Pelta opido oriundus, Societatis* IESV *Theologus, Anno Domini* M. D. LVI. *cum alijs quibusdam Patribus de Societate* IESV *Thoma Lentulio Nouiomagensi, Ioanne Cuuillonio Insulensi, & Hermanno Tirræo Nouesiensi, Doctoribus Theologis, mense Augusto ad Ingolstadiensem accedit Academiam, & Græcæ Hebraïcæque literaturæ Professor ordinarius constituitur. In Theologia omnes gradus tam Baccalaureatus, quàm supremos est adeptus. Anno Domini* M. D. LXII. *mense Aprili Doctoralia recipit insignia, & in lectione Theologica D. Cuuillonio, qui ad Concilium Tridentinum proficiscebatur, succedit. Si quis, vel propter ingenij candorem & acumen, vel in disputando, tam in Philosophica, quàm Theologica arena subtilitatem & promptitudinem, meretur laudem, certe ille amplissimis dignus est encomiis: vt interim linguarum cognitionem, quam publicis scriptis & versionibus & aptissimis, & ornatissimis toti Ecclesiæ iam testatam reliquit, silentio præteream. Docuit Theologiam ab Anno* LXII. *vsque ad annum* LXXIV. *frequentibus in materia Theologica disputationibus habitis. Secessit postea Augustam Vindelicorum, vt se quieti senex traderet, quæ etiamnum huiusmodi fuit, vt cum summa totius Ecclesiæ & Religionis Catholicæ vtilitate esset coniuncta. Nunc de Scriptis videamus.* Theses *plurimas de diuersis fidei Controuersiis & publicè Peltanus disputauit, frementibus hæreticis, & typis, vt ad alios quoque emanaret vtilitas, euulgauit. Sunt in manibus* Propositiones de Purgatorio igne, de animarum sedibus, de vita functorum suffragiis, de Christia-

norum

norum ſepulturis, exequiis, & anniuerſariis. *Item* de Chriſti ſatisfactione, & noſtra, libri duo. *Vtiliſsimum quoque opus vernis quadrageſimæ aptum ieiunijs dedit*, de tribus bonorum operum generibus, Eleemoſyna, Ieiunio, & Oratione. Præterea de peccato originis tractatus duodeuiginti. *Quæ vero de Græcis Latina fecit, hæc Ingolſtadij & alibi excuſa.*

Synodi Epheſinæ primæ Acta *libris* IV. *Latina primus ciuitate donauit, & Periochis illuſtrauit, ac Notis.* Septemdecim *quoque* Græcorum Patrum Homilias *in præcipua Chriſti Saluatoris feſta Latinè reddidit. Similiter* Victorem Antiochenum in Marci Euangelium: & Titum Boſtrorum Epiſcopum in Lucam *conuertit. Reliquit & poſtumum partum* Catenam Græcorum Patrum *in Prouerbia Salomonis Latinam factam: in eadémque Prouerbia Commentarios ac Paraphraſim, docta, pia, & laborioſa, verbi Dei Eccleſiaſtis perutilia, ne dicam neceſſaria. Obiit Auguſtano in Collegio Societatis* IESV, *quieuitque in Domino* VI. *Non. Maias, Anno redemptionis humanæ.* CIↃ. IↃ. XXCIV.

Qui in Prouerbia Salomonis ſcripſerint, veteres & recentiores.

Catena Græcorum Patrum Latinè nondum euulgata.

B. Hieronymo inſcriptus commentarius, qui & Bedæ tomo IV. tribuitur.

Salonius.

In Prouerb. Cap. XXXI. de muliere forti Auguſtinus de tempore Sermone 217. & 218. & Alberti Magni commentarius.

Thomas de Vio Caietanus.

Rudolfus Bainus Cantabrigienſis Pariſiis.

Ioannes Arboreus.

Aluarus Gomez Toletanus carmine Heroico.

Corn. Ianſenius Epiſ. Gandenſis.

Theodorus Peltanus Societat. IESV *Theologus.*

CAPI-

CAPITVM PROVERBIORVM SALOMONIS ARGVMENTA.

CAP. I.

1. PArabolarum vtilitas. 8. Auditus sapientiæ commendatur. 10. Filius admonetur, ne peccatorum sequatur blanditias. 20. Sapientia ad sui amplexum inuitat, & contemptoribus minatur exitium.

CAP. II.

1. Sapientiæ acquisitio quanta bona conferat & quanta mala auertat, cum qua Dei dona veniunt, & sine qua vbique erratur.

CAP. III.

1. Sapientia vitam prolongat. 3. Misericordia & veritas non deserendæ. 5. Fiducia in Deum. 7. Timor Dei. 9. Honorandus Deus. 11. Correctio Dei cum lætitia ferenda. 13. Sapientiæ laus, sapientiam sequentibus omnia prospera. 27. Amico statim dandum, nec ei malefaciendum. 29. Non contendendum: iniqui non imitandi. 32. Impiorũ perditio, & piorum benedictio.

CAP. IV.

1. Sapiens suo exemplo hortatur quærere sapientiam, cuius explicat vtilitates. 11. Via impiorum declinanda, & iustorum amplectenda. 23. De custodia cordis, oris, & gressuum.

CAP. V.

1. Vitare iubet meretricem. 9. 10. Et ne labores & anni perdantur. 15. Propria vxor diligatur, & fugiatur aliena.

CAP. VI.

1. Sponsori vt fidem datam liberet laborandum. 6. Pigrum formicæ exemplo excitat ad laborem. 12. Apostatam describit. 16. Sex quæ Dominus odit. 20. Exhortatur ad legis custodiam, vtque mulieris pulcritudinem non concupiscas & consortium vites adulteræ.

CAP. VII.

1. Hortatur adolescentem ad sapientiæ amplexum, & mandatorũ custodiam. 5. Vtque scortorum blanditias, quas latè describit, euitet.

CAP. VIII.

1. Sapientia ad sui amplexum inuitat; 7. Se quóque multis modis commendat. 22. Quodque Deo sit coæterna, cum ipso cuncta componens. 32. Quam quærentes, beati. 36. Spernentes vero, miseri tandem euadent.

CAP. IX.

1. Sapientia domo sibi ædificata omnes ad se allicit. 11. Vitam prorogat. 13. Et à muliere stulta ac vaga liberat. 16. Porro eruditionem & correptionem non suscipiet impius ac derisor, sed iustus & sapiens.

Parabolæ Salomonis.

CAP. X.

1. ALternat sermonem de filio sapiente & stulto. 2. Iusto & impio. 4. Operante & otioso. 9. Simplici & prauo. 12. De caritate & odio. 18. De bono linguæ, eiusque malo.

CAP. XI.

1. Æquitatis & iustitiæ ceterarúmque virtutum commoda, & vitiorum ac vanarum diuitiarum incommoda.

CAP. XII.

1. Vicissim loquitur de diligente disciplinam, & eam odiente: de impio & iusto, operante & otioso, stulto & sapiente, & de bonis ac malis linguis.

CAP. XIII.

1. De filio sapiente. 3. De oris custodia, & inconsiderato ad loquendũ. 7. De paupere diuite, & diuite paupere. 9. Lucerna impiorũ. 11. Substantia festinata. 12. Et dilatione spei. 16. Omnia cum consilio agenda. 20. Et cum sapientibus gradiendum. 24. De parcente virgæ, & instaturabili ventre impij.

CAP. XIV.

1. Sapientiæ & stultitiæ variæ conditiones.

tiones. 29. Prudentia quivis ſtatus debitè regulatur, qua quis ad miſericordiam mouetur & affectiones moderatur. 32. Vitia autem perdunt homines.

CAP. XV.

1. Reſponſio mollis. 2. Lingua ſapientis. 6. Immoderata fortitudo domus iuſti. 8. Victimæ impiorum ingratæ. 11. Omnia Deo nota. 13. Cor gaudens. 15. Dies pauperis mali. 15. Secura mens. 17. Vocari ad olera. 18. Vir iracundus, & rixoſus. 18. Laus patientis. 19. Iter pigrorum. 25. Domus ſuperborum. 27. Fide & miſericordia purgantur peccata. 32. De abijciente diſciplinam. 33. Laus timoris Domini, & humilitatis

CAP. XVI.

1. Homo animam præparat. 2. Deus ſpirituum ponderator, linguam viasque hominum dirigit, omnia propter ſe ipſum operans. 5. Cui abominatio eſt omnis arrogans. 6. Miſericordia redimuntur peccata. 11. Pondus & ſtatera Dei iudicia. 14. Indignatio & clementia Regis. 16. Laus ſapientiæ, prudentiæ, eruditi, ac dulcis in verbo, & patientis. 27. Vituperatur inſipiens, & peruerſus. 33. Sortes à Domino temperantur.

CAP. XVII,

1. Buccella ſicca cum gaudio. 2. Seruus ſapiens. 3. Dominus corda probat. 5. Deſpiciens pauperem. 5. Gaudens de alterius ruina. 6. Corona ſenum. 9. Celans delictum. 12. Fatuus in ſtultitia confidens 16. Stulto inutiles diuitiæ. 16. Altam faciens domũ ſuam. 17. Omni tempore diligit amicus. 22. Animus gaudens & ſpiritus triſtis. 28. Stultus tacens.

CAP. XVIII.

1. De receſſu ab amico. 2. De incorrigibili. 5. Non Deuiandum à veritate. 7. Os ſtulti. 17. Iuſtus ſe accuſans. 19. Fratrem iuuans frater. 20. Fructus oris. 22. Mulier bona & mala. 23. Locutio diuitis & pauperis. 24. Vir amabilis.

CAP. XIX

1. Pauper ambulans in ſimplicitate. 4. Diuitiæ addunt amicos. 7. Verba ſectans. 9. Falſus teſtis. 10. Non decent ſtultum deliciæ. 11. Doctrina per patientiam probatur. 12. Ira & hilaritas Regis 13 Mulier litigioſa. 14. Vxor prudens datur à Deo. 15. Pigritia. 16. Præcepti cuſtodia. 17. Miſericordia in pauperem. 18. Eruditio filij. 20 Acceptio conſilij. 22. Vir mendax. 23. Timor Domini. 24. Pigritia. 25. Peſtilens. 26. Inobediens parentibus. 28. Teſtis iniquus. 29. Deriſores.

CAP. XX.

1. Luxurioſa res vinum. 2. De peccante in Regem, & relinquendis contentionibus. 4. Piger propter frigus non laborans. 8. Rex in ſolio. 9. Nemo poteſt dicere mundum ſe habere cor. 10. & 23. Pondus & pondus. 13 Somnus non diligendus. 14 Malum eſt dicit emptor. 17. Panis mendacij. 19. Reuelans myſteria. 21. Feſtinata hæreditas. 22. Non reddendum malum pro malo 25. Deuorare ſanctos. 28. Miſericordia, veritas & clementia roborant thronum Regis.

CAP. XXI.

1. Cor Regis in manu Domini, cui miſericordia & iudiciũ magis placent, quàm victimæ. 6. Iniquè theſaurizans. 9. Melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm, &c. 13. Obturans aurem pauperi, &c. 17. Diligens epulas. 18. Pro iuſto dabitur impius. 23. Qui cuſtodit os ſuum. 25. Deſideria occidunt pigrum. 30. Non eſt ſapientia contra Dominũ. 31. Equus paratur ad bellum, &c.

CAP. XXII.

1. Laus boni nominis. 3. Callidus videns malum. 6. Adoleſcens iuxta viam ſuam. 8. Seminans iniquitatem. 10. Deriſorem eiice. 11. Diligens cordis munditiã. 13. Dicit piger, Leo, &c. 14. Os alienæ. 15. Stultitia in corde pueri. 16. Calumnians pauperem. 17. Audienda eſt ſapiẽtia. 26. Vitandi ſponſores. 28. Termini antiqui ſeruandi. 29. Velox in opere ſuo, &c.

CAP. XXIII.

1. Quomodo ſit edendũ cum principe. 4. Non

4. Non appetendæ diuitiæ, nec cibi inuidorum. 10. Non opprimendi pupilli. 13. Castigandus puer. 15. Quærenda sapientia. 17. Fugiendi peccatores, & gulæ dediti. 22. Honorandi parentes. 27. Fugienda meretrix & ebrietas.

CAP. XXIV.

1. Æmulatio malorum. 3. Sapientia & eruditio. 8. Cogitatio stulti. 11. Eruendi oppressi. 13. Doctrina vt melle vtendum. 15. Non insidiandum iusto. 17. Casus inimici. 21. Detractores. 23. Iustè iudicandum. 29. Nec malum malo reddendum. 30. Ager pigri. 33. Dormitanti pigro venit egestas.

CAP. XXV.

2. Gloria Dei & Regum. 3. Cor Regis. 4. Rubigo quæ & impietas est. 6. Ne te exaltes. 8. Ne detrahas. 9. Secreta tua serua. 11. Mala aurea, & inauris aurea. 13. Frigus in messe lingua mollis. 16. mel inuentum. 18. Sagitta acuta. 19. Dens putridus. 20. Acetum. 26. Tinea. 21. Benefac inimico. 24. Angulus domatis. 25. Aqua frigida. 26. Fons turbatus. 27. Multum mellis comestum. 28. Vrbs absque muro.

CAP. XXVI.

1. Gloria in stulto. 2. Auis volans. 3. Flagellum equo. 4. Respondere stulto. 6. Nuncius stultus. 7. Parabola stulti. 8. Honor insipientis. 10. Imponens stulto silentium. 11. Canis ad vomitum. 12. Sapiens proprio iudicio. 17. Commisceri rixæ. 19. Nocens amico. 20. Susurro. 21. Iracundus. 23. Labia tumentia. 24. Inimicus. 26. Operiens odium. 27. Fodiens foueam 28. Lingua fallax.

CAP. XXVII.

1. Non gloriandum in crastinum. 2. Ne teipsum laudaueris. 3. Ira stulti quàm sit grauis. 5. Manifesta correctio. 6. Vulnera diligẽtis. 7. Anima saturata. 10. Vicinus iuxta. 13. Spondens pro extraneo. 15. Litigiosa mulier. 20. Infernus insatiabilis. 21. Probatur homo ore laudantis. 22. Stultus contusus. 23. Vultum pecoris agnosce. 27. Lac caprarum in cibum.

CAP. XXVIII.

1. De fuga impij & securitate iusti 2. Propter peccata terræ multi principes eius. 3. Pauper pauperem calumnians. 6. Pauper supplex, & diues prauus. 9. Nolens audire legem. 12. Exultatio iustorũ. 13. Abscondens scelera sua. 14. Beatus semper pauidus. 15. Princeps impius vt leo. 16. Dux indigens prudẽtia. 19. Terram suam operans. 24. A patre substrahens.

CAP. XXIX.

1. Non audiens corripientem. 2. Multiplicatio iustorum. 3. Amor sapientiæ. 4. Rex iustus. 5. Blandus amicus. 8. Pestilentes. 9. Contendere cum stulto. 10. Viri sanguinum. 11. Totum proferens spiritum. 12. Verba mendacij. 13. Pauper & creditor. 14. Rex iustus. 15. Correctio. 16. Multiplicatio impiorum. 17. Erudi filium. 18. Prophetia. 20. Velox ad loquendum. 21. Delicate seruum nutriens. 22. Iracundus. 23. Superbus. 24. Cum fure participans. 25. Timens hominem. 27. Iusti abominantur impium, & è diuerso.

CAP. XXX

1. Homo Deo vicinus iudicat se insipientem. 4. Opera Dei incomprehensibilia. 5. Sermo Dei ignitus. 6. Cui nihil addendum. 8. Deprecatur vanitatem & mendacium, mendicitatem & diuitias. 10. Non accusandus seruus apud Dominum suum. 11. 12. 13. 14. Aliquot generationes execrabiles. 15. Duæ sanguisugæ. 15. Tria insaturabilia. 17. Oculus patrem subsannans. 18. Tria difficilia. 21. Per tria mouetur terra. 24. Quattuor minima terræ. 29. Tria bene gradientia. 33. Vehementer emungens.

CAP. XXXI.

3. Exhortatur ne mulieribus dederis substantiam tuam, nec regibus vinum, sed mærentibus. 8. Aperi os tuum muto. 8. Vindica inopem. 10. Laus & raritas mulieris fortis. 30. Pulcritudo fallax gratia.

PROLE-

PROLEGOMENA
IN LIBROS SALOMONIS
ex Catena Græca SS. Patrum.

Sapiens erat Salomon: vtpote ex eo ortus, cui dicere licebat, Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi: (Psal. 50.) *Et à puero rursum in sapientiæ & virtutum omnium schola studiosè educatus & institutus: & singulari tandem Dei beneficio ad eum sapientiæ gradum, temporis quasi puncto euectus, vt ante & post se nullum parem habuerit. Hic ergo vniuersitatis naturam, quam pro sapientiæ suæ excellentia & magnitudine accuratissimè exploratam habebat, in tria rerum genera deduxit: nempe in* Ethica, Physica, & Hyper-physica *omnémque adeo sapientiæ doctrinam tribus voluminibus ab omni errore & falsitate prorsus immunibus comprehensam nobis exposuit.*

Et quidem primum ex his, quod maiorem partem obscura oratione decurrat Paræmiarum *nomine designauit. Est enim Paræmia sermo subobscurus, etsi interim per quædam manifesta vim suam non omnino dissimulet, vel certe est sermo eiusmodi qui prima quidem fronte facilem sensum offerre videtur, at in recessu quiddam reconditum, atque abstrusum continet. Vsus est autem obscuro orationis genere, ne hæc doctrina morum quasi facilis ab ignaris contemneretur, aut profanorum hominum insidiis & sannis temerè exponeretur.*

Alterum vero quod Physica *complectitur iisque, qui in* Ethicis *progressus habent, præcipue proponitur,* Ecclesiasten *inscripsit: quandoquidem Sapiens in eo opere stitutione, deque aliis similibus, quæ non exigua rerum naturalium pars sunt, non absque eximia sapientia concionatur, concionandóque ad vnum omnes ad vniuersi orbis contemplationem blande prouocat suauiterque inuitat. Concionatur de iis quoque hic rebus, quas hominem expetere vel fugere, dicere rursum vel reticere par est, deque aliis denique compluribus, quæ ad rectam hominis institutionem faciunt plurimũ.*

Tertio autem & postremo Cantici Canticorum, *hoc est, excellentissimi carminis titulum præfixit. Huius argumentum totum est spirituale & mysticum: nihil enim ex instituto de iis rebus illic disputat quæ sub sensum cadunt verum, totus in eo est, vt mystici sponsi & sponsæ amorem mutuamq. eorumdem inter se benevolentiam describat nobisque ob oculos ponat. Paucis* Cantic. *liber ea proponit quæ ad animæ in virtutibus iam cõsummatæ statũ pertinent: sicut* Paroemiæ *ex professo ea tractat, quæ ad hominem spiritualis vitæ viam primum ingressum potissimum spectant, &* Ecclesiastes *ea, quæ ad animam aliquò iam tenus in virtutum stadio progressam faciunt.*

THEO-

THEODORI PELTANI SOCIET.
IESV THEOLOGI

IN PROVERBIA SALOMONIS PARAPHRASIS, EX VARIIS EDITIONIBVS ET SCRIPTORVM monumentis accuratè contexta, & vulgatæ nostræ editioni studiosè vbique accomodata.

PARAPHRASTICA CAP. I. EXPLANATIO.

1. *Parabolæ Salomonis, filij Dauid Regis Israël.*

SENTENTIAE Parabolicæ & similitudines non vulgaris aut obscuri cuiuspiam hominis; sed viri sapientissimi Regisque potentissimi Salomonis, filij sanctissimi Prophetæ Dauidis; qui regnauit in Israel, regníque hæredem & successorem Salomonem libri huius auctorem reliquit.

2. *Ad sciendam sapientiam & disciplinam.*

VAlent hæ autem sententiæ & similitudines ad comparandam sapientiã, non quamuis, sed eiusmodi, quæ cum virtutibus potiores animæ vires illustrantibus & perficientibus sit coniuncta. Præsens enim tractatio non ad sterilem aut otiosam notitiam spectat, sed ad fœcundam & operosam, id quod illi cum morali Philosophia commune, & per verbum Hebræum, *Musar*, apertè insinuatur.

3. *Ad intelligenda verba prudentiæ.*

VAlent rursum ad intelligendum verba prudentiæ, & percipiendum eloquia intelligentiæ. Præstant enim vt solers sedulúsque auditor cùm præsentium tum futurarum quoque rerum rationem habeat, prudentérque inter bonum & malum, iustum & iniquum, lucem & tenebras discernat, & aptus tandem non solùm ad discendum, verùm etiam ad docendum euadat.

Et suscipiendam eruditionem doctrinæ, iustitiam, & iudicium, & æquitatem.

VAlent adhæc ad hauriendum morum doctrinam & intelligentiam; Iustitiam itidem, & iudicium, & æquitatem: siquidem hæc omnia indiuulso quodam & necessario vinculo inter se apta atque connexa sunt: nullum est enim iudicium, quod iustitia, & æquitate, & rectitudine caret: nec vlla rursum iustitia est, quæ iudicio & recti ratione destituta est: nec vlla denique æquitas, quæ iudicii & iustitiæ expers est. Interim non sunt hæc prorsus eadem, vt quæ ad diuersas animi facultates pertineant.

4. *Vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia & intellectus.*

VAlent tandem ad impertiendum rerum rudibus & imperitis, doliq́ue & fraudis adhuc ignaris, sanctam quandam prudentemq́ue solertiam, solertemq́ue prudentiam; ætate autem & sensu adhuc paruulis cautionem & intelligẽtiam, & hic præcipuus operis huius est scopus, tametsi non solus. Quare subditur:

5. *Audiens sapiens sapientior erit: & intelligens gubernacula possidebit.*

AVdiens hæc sapiens sapientior erit. Quæ dicit huc tendunt: licèt peculiaris illorũ ratio hoc loco habeatur, qui annis moribusq; adhuc iuuenes sunt, adeoq́ue cælesti doctrina præ ceteris indigent: attamen sapientum chorus ex hac schola non excluditur. Enimuero si sapientes, iudicioq́ue & intelligentia valentes, quę hîc traduntur, attentè audiuerint, animoq́ue studiosè pertractauerint, & opere nihilo secius expresserint, (siquidem hæc Philosophiæ pars in actione veriùs consistit, quàm in contemplatione) non modò magnam ad sapientiam accessionem facient, verùm eam quoque solertiam, eaq́ue subsidia & consilia hinc haurient, vt alios commodè pacatéque gubernare queant.

6. *Animaduerter parabolam & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum.*

EAm rursus lucem & eruditionem, eamq́ue ingenii dexteritatem & perspicacitatem hinc capient, vt quæuis obscurè dicta, vt sunt sapientum ænigmata, Philosophorum apophthegmata, prophetarum oracula, aliáque his affinia, clarè intelligere, explicatéque & commodè interpretari & explanare valeant. Magnum proinde vsum omni omninò hominum generi prestat hic prouerbiorum liber.

7. *Timor Domini, principium ſapientiæ. Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt.*

AT qui in ſapientiæ ſtadio progreſſus facere deſiderat, à timore Domini exordium capiat oportet: quippe qui vnus omnis veræ ſapientiæ radix & origo, primúſque & nobiliſsimus eiuſdem ſapientię effectus exiſtat. Nec enim alia eſt cauſa, cur ſtulti omnem ſapientiam, omnémque ſcientiam & diſciplinam aſpernantur, quàm quòd Dei timorem nihili faciant.

8. *Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.*

VErùm quòd hic timor ex fida & ſedula parentum inſtitutione pręcipuè oriatur, fili mi, patris tui diſciplinam & admonitionem audi diligenter, & auſculta libenter. Nec honeſtæ vitæ pręcepta, quę ex matre vnà cum lacte inſtillata hauſiſti, obliuioni facilè tradas; ſed magna cura & ſtudio, tanquam precioſum theſaurum, integra incorruptáque apud te aſſerues.

9. *Vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.*

QVod ſi, vt hoc pręſtes, parentum ſtudium te non mouet, moueat ſaltem honor & gloria, quę hinc olim in caput tuum redundabit: Nam ſi parentibus, vt par eſt, & lex iubet, morem geſſeris, & caput tuum diademate cingetur, & collum tuum torque aureo exornabitur, magnúmque fauorem & gratiam apud omnes conſequeris.

10. *Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis.*

QVòd ſi callidi ſceleratíque homines montes, tantum-non aureos pollicentes, à paterna inſtitutione ad ſuum conſortium te pellicere, blandaque oratione ad quodcunque flagitium te pertrahere contenderint; caue illorum promiſsis fidem habeas, aut prauis illorum conſiliis obtemperes. Perdere enim & in extremum exitium pręcipitem te dare volunt, beare autem aut locupletare, vt falsò promittunt, nequaquam.

11. *Si dixerint, Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra.*

EA propter ſi dixerint: Agedum veni nobiſcum, adiunge te noſtrę factioni, extra periculum res eſt, neque enim aperto Marte cum ſęuo aliquo hoſte confligemus: verùm incautum nihílque mali ſuſpicantem, aut incommodi metuentem, occultè per inſidias adoriemur, retiáque, quæ nulla laceſſiti iniuria tendemus, dextrè, ne deprehendi facilè queant, abſcondemus.

12. *Deglutiamus eum, ſicut infernus, viuentem, & integrum quaſi deſcendentem in lacum.*

NOn trucidabimus hominem, aut in partes concidemus, verùm vt ſepulcra integra cadauera ſimul excipiunt, aut vt viui nonnulli in altum aliquod barathrum ex inſperato deturbantur, ita nos inſontem integrum viuúmque in poteſtatem noſtram redigemus, amplámque ab eo pecuniam liberationis nomine extorquebimus.

13. *Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpoliis.*

IVuenis es, multíſque, vt voluptatibus tuis obſequaris, indiges: verùm ſi noſtro gregi te ſocium adiunxeris, nihil vnquam, quod ad luxus fomentũ faciat, deerit: imò ſumma rerum omnium copia continuò affluès, quippe qui ita inſtructi comparatíque ſimus, vt citra vllum prorſus vitæ, aut famæ, aut fortunarum periculum, quamuis pretioſam ſubſtantiam ad nos pertrahere, prædáque opulenta ædes noſtras implere & exornare, ac temporis quaſi puncto ditiſſimi euadere queamus. Si rei facilitas non mouet nec allicit, moueat ſaltem & alliciat prædæ magnitudo.

14. *Sortem mitte nobiſcum, marſupium vnum ſit omnium noſtrûm.*

NEque te à conſortio noſtro abſterreat, quòd adhuc tiro & iuuenis videâre, nullíque militiæ nomen hactenus dederis: Nam etſi iunioribus primis tirocinij annis nihil aut parum admodum ex communibus manubijs obuenire ſoleat, tu tamen ex æquo nobiſcũ diuides, de pari nobiſcum ſortieris, æqua omnium erit portio, ducis & militis, veterani & tironis. Quòd ſi portione, quæ ſorti tibi obtigit, accepta, abire non volueris, ſed nobiſcum permanere, vnum omnium erit marſupium, communes loculi, omnia inter nos erunt paria, commoda & incommoda, lucra & damna, & cetera denique omnia.

15. *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum.*

HIs, fili, aliíſque ſimilibus verbis & pollicitationibus te allicient, eiuſmodi retia adoleſcentiæ tuæ rerum adhuc rudi tendent: verùm tu illorum conſiliis, illorum blandimentis, illorũ promiſſis ne acquieſcas: quinimò adeò alienum ab illorum ſtudio vitęque inſtituto te oſtendas, vt ne per viam quidem vnà cum illis incedere animũ inducas. Quod ſi vſu venerit, vt alicubi occurſuri videantur, aliorſum, ne in illos incidas, greſſum tuum deflectes.

16. *Pedes*

16. *Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem.*

QVamuis enim callidas tantùm insidias sese moliri professi aliquando fuerint, aiebant namque: viuos instar sepulcri illos deglutiemus, reipsa tamen longè aliud præstant, nec enim pedes illorum tam ad prædam vel insontium despoliationem festinant, quàm ingenti impetu ad cædem & sanguinem rapiuntur, idque absque vlla prorsus causa.

17. *Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum.*

18. *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur contra animas suas fraudes.*

QVandoquidem vt auibus, nullo illorum scelere aut noxa id flagitante, rete tenditur: ita hi nulla prorsus iniuria prouocati vitæ illorum, quos prædæ gratia è medio tollere contendunt, insidias struunt. Rursum vt aucupes escam circa rete spargunt, non vt aues nutriant, verùm vt dolo illas capiant, (siquidem data opera earum vitæ & sanguini insidiantur) seséque, quò commodiùs illas irretiant, irretitásque perdant, clanculum abscondunt: sic isti latrones & sicarij, qui nunc beneuolos familiarésque sese ostendunt, téque absque vllo prorsus periculo & negotio locupletem euasurum promittunt, non segniùs animæ tuæ mortem intentant, quàm aucupes auium vitæ insidiantur. Nec tuæ tantùm vitæ malè volunt, sed suæ quoque priuatæ non parcunt. Quandoquidem mala & detrimenta, quæ scelerati illi aliis struunt, in suum tandem ipsorum caput recidunt.

19. *Sic semitæ omnis auari, animas possidentium rapiunt.*

NEque in latronibus & sicariis tantùm, quod de proprij capitis pernicie modò exponebatur, locum habet; verùm in quouis quoque homine, sordidè immoderatéque auaro. Nam dum eiusmodi per fas & nefas, & interdum quoque per cædem & sanguinem, ad opes contendit, cùm alios per summam iniuriam grauiter sæpe lædit, tum suam quoque animam haud leuiter offendit, & ad mortem tandem & interitum abducit.

20. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.*

NEque est, fili, quòd nihil æquè te expetere aut desiderare dicas, atque perditorum illorum hominum consortium vitare, familiarémque vsum & consuetudinem cum sapientia inire; verùm quòd illa abdita lateat, neque

facilè cuiquam ſui copiam faciat, id te conſequi non poſſe. Siquidem illa non latet in tenebris, nec in deſertis locis habitat, neque eo loco poſita eſt, vt nullus ad eam aditus pateat; quin potiùs omnibus ſeſe vltrò offert, omnibus expoſita eſt, omnibus ſe communicare parata eſt. Nam & foris clamat, omnéſque ad promiſcuè ineundam ſecum familiaritatem inuitat, non diuites aut dociles tantùm, non potentes ſolùm, ſed omnes vniuerſè.

21. *In capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, dicens:*

QVandoquidem ipſa eſt, quæ concionatur in publicis vicis & plateis, in eminentioribus ciuitatis locis & propugnaculis, in portarum veſtibulis & ingreſsibus, in foro denique & ciuitatis meditullio. In plateis quidem & vicis, hominibus plebeis & popularibus in editioribus verò ciuitatis locis & propugnaculis, vrbis cuſtodibus militibúſque præſidiariis; ad portarum autē veſtibula, ſenatoribus, iudicibus, ceterúſque magiſtratibus: in media tandem ciuitate & foro ipſo, mercatoribus, nobilioribúſque ciuibus, nullus eſt quem non inuitet, quem familiariter non compellet, ad quem ſublata voce non clamitet.

22. *Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam?*

ET quęnam illa clamat? quę alia, quam quę iam audita? Quouſque, inquit, ſtolidi rerúmque imperiti diligitis imperitiam merámque ſtultitiam? hunc mundum, eiuſdémque pompam & vanitatem? Quouſque vos ſtulti elatíque irriſores, inania, animóque & corpori noxia, tanto ſtudio conſectamini. Quouſque tandem mente cōmuníque ſenſu deſtituti ſalutaria omnia, nempe ſcientiā, & ſapientiam, & pœnitentā auerſamini? Graue eſt citra vllam controuerſiam, rudium infantium more, amare imperitiam: at multo grauius & inſanius eſt apertè per noxia, inſcitiam aucupari: Aſt omnium grauiſſimum & funeſtiſsimum eſt, Dei ſapientiam ceteráque, ſine quibus ſalus conſiſtere nequit, de induſtria odiſſe. Etſi interim hæc omnia ex ſe inuicem fluant, naturalíque vinculo connexa hęreant. Ex eo namque quòd quis amat imperitiam, prouenit vt ſectetur noxia, adeóque, vt auerſetur ſapientiam, & pœnitentiam, & cetera ſalutaria.

23. *Conuer-*

23. *Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea.*

CONuertite vos proinde à stultitia & vanitate, ad prudentiam & veritatem, à vitiis & peccatis, ad seriam pœnitentiam; capescite doctrinam meam, emendate vitam vestram, redite tandem aliquando ad frugem. Quod si istud, vt æquum, vobísque, nisi æternùm perire velitis, necessarium est, ex animo feceritis, omnium scelerum vestrorum oblitus, effundam super vos spiritum meum, totúmque me vobis aperiam, non partem aliquam tenuem meæ sapientię, meíque Spiritus vobis impertiar, sed vtrumque magna vbertate & copia in vos transfundam, transfunderéque porrò pergam.

24. *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Ego quoque, &c.*

VErùm quia non vos Iudæi tantùm, quos meæ doctrinæ meísque admonitionibus prę ceteris obsequi oportebat, omnia mea consilia respuitis, omnémque curam & sollicitudinem meam pro nihilo ducitis: immo verò Spiritui sancto manifestè resistiti; sed plurimi quoque Christiano nomine insigniti, aduertite qualem aliquando ab æterna illa & increata sapientia sententiam audituri estis. Etenim non absque graui increpatione, terribilíq; comminatione, eiusmodi oratione vos olim compellatura est: En nihil eorum omnium, quæ ad salutem vobis necessaria videbantur, prętermisi. Nam quòd citra vocationē, salutis viam inirè omnino nō poteratis, ego sępe vos ad pœnitentiam inuitaui, variísque viis & modis ad conuersionem provocaui. Clementi porrò vocatione non contentus, manum quoque, vt è sordibus, in quibus iacebatis, quandoque exurgeretis, porrexi. Tandem quòd malitia occęcati, quæ consectari, quæ rursum auersari deberetis, non satis compertum haberetis, ego vtraque clementer paterneque vobis suggessi. Nam citra hæc cælestia præsidia prima iustitia potiri nequaquam valebatis. Ast vos per summam ingratitudinem omnia illa cælestis Patris beneficia, salutísque media & adminicula perditè neglexistis, & despicatui habuistis.

26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.*

QVia ergo sępe vocantem audire, manum clementer porrigentem & protendentem aspicere, salutaria consilia subinde suggerentem sequi, scelera denique vestra iusta seueritate increpanti parêre recusastis: En ego vicissim cùm interitus ceteráque, quæ iusto timore metuebatis, incommoda

vobis

vobis euenerint, palàm ridebo, vestrámque stultitiam & insaniam apertè subsannabo. Hæc illa, nec iniuria: nihil enim æquiùs, quàm vt illi, qui Deum benè monentem, auxiliúmque vltro offerentem nefariè derideant, sacrilegéque subsannant, ab illo itidem, cùm in extremam miseriam deiecti fuerint, derideantur & subsannentur.

Non deridet verè Deus vllum omnino hominem (neque enim is est, qui de mortalium interitu gaudeat): at, quia impios ingratósque peccatores, maximè verò inferorum suppliciis iam mancipatos, quasi nihil ad se pertinentes prorsus negligit; neque à tantis illis cruciatibus eripit, per modum ridentis vel subsannantis se habere sese ostendit. Magna sanè extremè miseris calamitas est nullum habere, qui opem ferat, aut consolationem præstet: verùm omnem calamitatis modũ excedit, cùm præstò sunt, qui de illorum calamitate gaudent, eorundémque infelicitati publicè insultãt. Sed ad contextum denuo.

27. *Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia.*

28. *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam; manè consurgent, & non inuenient me.*

CVm extrema vastitas & contritio, ingénsque animi angustia & desolatio, vestráque adeò perditio & interitus, & alia, quæ dudum antè malè vobis conscij formidabatis, subitò irruerint, ita vt nulla vi, nullis artibus aut machinis illis obsistere integrum vobis sit; tunc demum seriò me vos inuocabitis, & ego non exaudiam vos: tum magno me studio inquiretis, & non inuenietis: quippe qui post aureum illud acceptabiléque tempus, quo salubri pænitentia concuti fructuoséque operari licuit, exactum, hoc est, serò nimis ad medicum, vitæque fontem, tandem accesseritis. Hactenus ego opportunè importunè ad resipiscentiam, melioráque vitæ studia vos inuitaui, prouocaui, & exspectaui; in posterum vos clamabitis, at incassum: siquidem nihil eorum, quæ petetis, vobis præstabo: quinimo petitiones vestras tanquam insanas & stolidas palàm deridebo & subsannabo.

29. *Eo quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint.*

30. *Nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ.*

ET cur tunc Domine tam durum támque difficilem & exorabilem infelicibus illis te exhibebis? Quia cùm per diem, præsentísque vitæ statum, isthæc præstare salubriter licebat, scientiam, qua Deus cognoscitur, ritéque

& piè

& piè colitur, odio habuerunt, & timorem, qui initium eſt ſapientiæ, cum contemptu & ſtomacho reſpuerunt, & aures conſiliis meis accōmodare non voluerunt, & omnes denique admonitiones, exhortationes, & increpationes meas obſtinato animo ſpreuerunt & abiecerunt, nunc autem ſalutaris pœnitentiæ viæ, omnéſque veri meriti nundinæ ſunt exactæ.

31. *Comedent igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſq; conſiliis ſatur abuntur.*

CVm igitur animo in malo vſque adeo obſirmato fuerint, ſemper, vt nullum vmquā ſalutis adminiculum, nullum pœnitentiæ medicamentum admittere voluerint, reſtat vt fructus vitæ, quam tranſegerunt, conſentaneos comedāt, mercedemque factis ſuis dignam referant. Reſtat, inquam, vt pœnis & cruciatibus, quos nefariis conſiliis, peruerſisque ſtudiis ſuis iuſtiſſimè promeriti ſunt, ad nauſeam & faſtidium vſque exlaturentur.

32. *Auerſio paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos.*

NEque iuſtè tamen de mea ſeueritate conqueri poſſunt: ſiquidem carnis illecebris abſorpti, mūdíque proſperitate occœcati, de induſtria abęterna ſapientia, quę Deus eſt, ſe auerterunt, omnemque curam & cogitationem ad faſtum ventríſque cultum, & alia his affinia vitia & flagitia contulerunt. Non ego ergo ſtultos cæcosque mundi huius amatores perdo, ſed ipſi ſeipſos per præſentis vitæ proſperitatem, innatamque inſcitiam, & nequitiam in interitū, omniumque malorum, quæ metuerant, voraginem deijciunt. Neque ſe ipſos tantùm, ſed multos præterea alios ſecum in exitium abripiunt. Inter quos arcem tenent, qui impiorum hominum pacem, fœlicemque in hoc ſæculo ſucceſſum conſpicantes, de Deo diuinaque prouidentia ſiniſtrè ſentiunt, impieque loquuntur.

33. *Qui autem me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato.*

QVod ſi me paternè vocantem, & ad ſaniora ſubinde prouocantem audiuiſſent, meisque cōſilijs, & admonitionibus obſecuti, vanitatibus carnisque illecebris, & vitæ huius faſtui nuncium miſiſſent, nunquā ad eam miſeriam deueniſſent: verum ab omni malorum timore & hoſtium terrore liberi, pacatè quieteque omnibus bonis affluētes, habitaſſent: ſiquidem qui me audiunt, meisque mandatis obſequuntur, omnis terroris & timoris expertes, in ſumma pace, rerúmque abundantia vitam tranſigunt, & in omne æuum tranſacturi ſunt.

AD CAPVT PRIMVM PROVERBIORVM SALOMONIS SCHOLIVM VVLGATÆ EDITIONI ACCOMMODATVM.

VT certum est Salomonem tres libros conscripsisse, nimirum *Prouerbia*, *Ecclesiasten*, & *Cantica Canticorum*, ita dubium adhuc est, quo ordine illos conscripserit. Hebræorum magistri *Cantica* in iuuenili, *Prouerbia* in virili, *Ecclesiasten* in senili ætate constitutum, edidisse autumant, at verisimilior eorum videtur sententia, qui eo ordine edidisse & conscripsisse contendunt, quo nunc in corpore Biblico digesti extant: siquidem argumentum, quod tractant, eiusmodi ordinem quodammodo postulat. Ethica namque Physicis, & hæc rursum Theologicis præmitti solent. Sed & iuuenilis ætas naturæ ordine virilem antecedit, & hæc senilem. Salomon autem, vt Hieronymo placet, in Prouerbijs paruulum de officijs instruit, in Ecclesiaste verò constantē ætate virum erudit in Canticis autem consummatæ virtutis viro ad cœlestium rerum contemplationem iter ostendit.

Prouerbia Salomonis &c. Vox *Masal*, idem ferè sonat Hebræis, quòd Græcis ὁμοίωσις aut παραβολὴ aut παροιμία Latinis autem *Similitudo*, vel *Comparatio*, vel *Adagium*. Habet hoc enim aliquid admixtum, quod hominum vulgus latet, adeoque interpretatione aliqua indiget. Et quia contrariorum eadem est scientia, non solùm similitudines & figuratæ sententiæ proponuntur in hoc libro, sed nonnullæ quoque dissimilitudines, planæque sententię.

1. *Filij Dauid Regis Israël.* Vtrumque libro huic auctoritatem conciliat, & quod auctor illius filius fuerit Dauidis: & quòd Israëlitici populi Dux exstiterit. Nam vt fortes à fortibus, & pij rursum procreantur ex pijs; ita sapientes quoque ex sapientibus. Quin regum quoque sententiæ, non leues aut vulgares, sed graues regiaque Maiestate dignæ esse solent.

2. *Ad sciendum Sapientiam, &c.* Operis argumento obiter prælibato, subiungit eiusdem vsum, qui varius est, ipsi tamen cùm ceteris scripturis, diuinitus inspiratis communis. Valet namque hæc Prouerbiorum doctrina, ad erudiendum, ad arguendum, ad obsecrandum &c.

Aduerte

Aduerte autem, vt Sapiens nomine ſapientiæ eas complectitur virtutes, quibus intellectus exornatur; ita eruditionis vel diſciplinæ voce, eos comprehendere habitus, quibus rationis appetitus perficitur & expolitur.

6. *Verba Sapientum & ænigmata. &c.* Vox Hebræa *Chiba* quam noſter interpres *ænigma* reddidit, ſignificat quodcunque acutum & obſcurum dictum, ſicut vox Chaldæa *Achida* quodcunque ſecretum & clauſum.

7. *Timor Domini initium Sapientiæ. &c.* Monuit auctor, librum hunc ad comparandam veram ſcientiam, & ſapientiam magnũ momentum adferre, nunc primariã vtriusque, ſcientiæ, inquam, & ſapientiæ radicem, & quaſi fontem oſtendit: nempe timorem Domini. Hic namque inter diuina ſapientiæ effecta primatum obtinet, certumque ad veram Dei ſapientiam iter demonſtrat.

Sapientiam & doctrinam ſtulti deſpiciunt. &c. Per hæc ſcientiæ huius ſedem (quam artis ſubiectum ſcholæ appellant) Sapiens indicat, quæ vtique non eſt ſtulti ſceleratique hominis, ſed potius viri prudentis Deumque timentis & ex animo venerantis affectus. Sapientia enim, de qua hîc diſſeritur, non tam in magnarum rerum cognitione, quàm in vero Dei cultu & veneratione poſita eſt. Poteſt autem hoc membrum non incommodè cum præcedenti conuerti ad hunc modum: Sapientiæ & ſcientiæ, quam ſtulti aſpernantur, initium eſt timor Domini.

8. *Audi, fili, diſciplinam patris. &c.* Dei timore & cultu, (in quibus primæ tabulæ præcepta ſummatim continentur) veluti primario ſapientiæ fundamento poſito, doctrinæque huius ſubiecto obiter indicato, nunc primum ſecundæ tabulæ præceptum, quod circa honorem, reuerentiam, & obedientiam (quæ diuino naturalique iure parentibus debentur) præcipuè verſatur, commodo ordine ſubiungit. ait autem; *Audi, fili, diſciplinam patris tui, neque dimittas legem matris tuæ*, meminit autem non tantùm patris, ſed matris quoque: quia prima ætas ſub matris ferè cura & inſtitutione tranſigitur. Ceterùm non citra iuſtam cauſam parentum conſilia, & monita ſeriò commendat filio: nam & primæ ætatis inſtitutio illorum eſt propria, & nemo meliùs, nemo fideliùs, nemo commodiùs quàm parentes, munus hoc obire poteſt: vt qui liberorum ſalutem ſitiant & exoptent quàm maximè, eam ætatem rerum experientiam habere, vt cum dignitate magnaque liberorum vtilitate, præſtare id valeant. Grauiter proinde peccant filij, qui ſalutaria parentum documenta deſpicatui habent, maximè verò Dei, qui communis omnium parens eſt.

9. *Vt addatur gratia capiti tuo, &c.* Quandoquidem hominum natura ita comparatum est, vt citra mercedis spem vix quicquam acriter & ex animo aggrediamur, Sapiens amplam ijs mercedem hoc loco proponit, qui debitum honoris cultum parentibus deferunt, debitamque obedientiam ijsdem præstant: exprimit autem præmium illud earum rerum, notis & symbolis, quibus iuuentus præcipuè capitur, nimirum per diademata, monilia, aliaque corporis & capitis ornamenta: Siquidem per capitis gratiam compendio ea omnia complectitur, quæ caput ornare nata sunt; per monilia autem totum illud, quòd gutturi & pectori decorum adfert. Obliquè autem honores, & dignitates, & Magistratus, per hæc insinuat: solent namque hæc illis obtingere, qui patri & matri, potissimum verò Christo & sponsæ illius Ecclesiæ morem gerunt.

10. *Fili mi, si te lactauerint, &c.* Monuit parentum monitis promptè alacriterque obsequendum, subdit nunc a sceleratorum hominum commercio & consuetudine studiosè abstinendum; vt qui teneriori ætati præcipuo studio insidiari soleant: quæ etiam (quod nullum rerum vsum habeat, suaque natura ad vitia & flagitia prona existat) impostorum dolo facillimè capi irretiriique consueuit. Quo autem efficacius moueat, potentiúsque a scelere absterreat, proponit exemplum a sicarijs, publicisque grassatoribus petitum. Hi enim quæstus prædæque causa vias obsident, insontesque æquè atque sontes cùm pecunia, tum ipsa etiam vita despoliant, ait ergo: *Fili, si peccatores te lactauerint*, hoc est, blanda oratione, magnisque promissis ad scelerum consortium te inuitauerint, ne acquiescas.

11. *Si dixerint veni nobiscum, &c.* Pudore & timore impediti, multi à flagitijs abstinent, præcipuè verò iuuenes, quorum animi nulla adhuc labe sunt infecti, aut scelere contaminati. Quo igitur omnem pudorem & timorem ex animo eximant, quicquid sceleris designauerint, hoc totum occultum forè pollicentur: Addunt non aperto Marte, cum sæuo aliquo hoste certamen sese inituros; sed insontem nihilq; mali cogitantem per insidias se oppressuros.

12. *Deglutiamus eum, &c.* Quia rursum scelerum inexpertes à cæde & sanguine, maxime abhorrere solent, spondent nullam se lanienam exercitaturos; sed captos bonis fortunisque omnibus exutos, in barathrum aliquod etiam-num spirantes abiecturos; vel corpore integro insecretum aliquem carcerem detrusuros, aut vno certè ictu, & quasi puncto

ſi puncto è medio ſublaturos.

13. *Omnem precioſam Sapientiam, &c.* Hæc potens & efficax ad permouendos infirmorum animos eſt ratio: nihil æquè enim mouet iuuenes, qui parum habent (cùm non ſint, rerum Domini,) & multis, vt amoribus ſuis faciant ſatis, indigent, atque certa lucri ſpes; ídque citra vllum, vt impoſtores illi nugantur, aut vitæ, aut famæ, aut ſalutis periculum.

14. *Sortem mitte nobiſcum, &c.* Et hîc locus à re incitamentum continet: Neque enim in prædæ partitione par ſolet eſſe ratio ducum, & ſatellitum; veteranorum rurſum, & tironum: hîc autem (quo acriores ſtimulos adigant) æqua portio indiſcriminatim promittitur omnibus. *Vnum*, inquiunt, *marſupium erit omnium*, & ne vlla fraudis ſuſpicio reliqua fiat, indicatur ſortem ſuam cuíque adiudicatum iri. Nam quæ ſorte diuiduntur, quanta fieri poteſt æqualitate diuidi ſolent. Poteſt autem hæc latronum conſpiratio, ad quamuis aliam transferri, maximè verò ad eam, qua Iudæorum proceres in Chriſti ſeruatoris necem nefariè conſpirarunt.

15. *Fili mi, ne ambules, &c.* Quia verò familiaris cum improbis hominibus vſus multos, ſæpe alioqui probos, tranſuerſos agit, Sapiens admonet hîc filium, ne per publicam quidem viam, cum impoſtoribus illis incedat, nedum domeſticam familiaritatem cùm ijs ineat; aut nefarijs illorum conſilijs acquieſcat.

16. *Quia pedes illorum, &c.* Ratio potens, cur nullum prorſus conſortium cùm illis habere, ac ne iter quidem facere conueniat: Quia nimirum pedes illorum non feruntur ad ſtudium aliquod honeſtum, ſed tantùm ad cædem, ſanguinem, & prædam, adeoque ad ſuam ipſorum perniciem: ſiquidem magis ſeipſos vulnerant, quàm alios offendant; etiamſi necem inferant.

17. *Fruſtra iacitur rete, &c.* Locus hîc propter, pronomen affixum, quod relatiuè & reciprocè exponi poteſt, duos aut tres, aut etiam plures ſenſus admittit, qui omnes tolerabiles, rationeque nixi videri queunt. Vnus eſt, vt aues, quæ rete ante ſe expanſum cernunt, periculum veritæ, non facilè capiuntur: auolant enim volatuque vitæ ſuæ conſulunt; ita tu quoque de ſceleratorum factionibus & impoſturis à me iam premonitus, & edoctus, ſaluti tuæ proſpice; & ab illorum conſuetudine prorſus abſtine: alter eſt, vt aucupes callidè eſcam ante rete ſpargunt, non vt,

aues nutriant, ſed vt eas capiant & interimant; ita impoſtores illi, qui tantopere tibi blandiuntur, montesque tantùm non aureos pollicentur, non minus blandimentis illis, vitæ ſalutique tuæ inſidiantur, quàm aucupes per obiectam eſcam auium ſanguini laqueum tendũt. Tertius eſt: vt rete innoxijs auibus fruſtra, hoc eſt, nulla culpa tenditur; ita ſcelerati illi ſicarij fruſtra; vtpote nulla iniuria laceſſiti illorum vitæ inſidiantur, quos prædæ cauſa perimunt. Quartus & poſtremus eſt: vt rete fruſtra ſpargitur ante aues: quippe quæ præ nimia cibi auiditate illud non animaduertant; ita philargyri illi, immani auaritia allecti & occęcati, incauti imprudẽtesque proprio ſanguini inſidiantur; vt qui dum alijs inſidias ſtruunt, ſibi ipſis perditionis foueam aperiant.

19. *Sic ſemitæ omnis auari. &c.* Hic etiam locus, quo ſimilitudo præmiſſa clauditur, ob eiusdem affixi pronominis ambiguitatem, geminum ſenſum recipit, interim reciprocus potior videtur: is autem eſt: vt eiuſmodi ſicarij ceterique ſcelerati, qui propter diuitias aliorum vitæ inſidias machinantur, ſuo capiti periculum perniciemque adſciſcunt; ita ſemitæ & ſtudia hominis immodicè auari, qui nimirum ita comparatus eſt, vt per fas & nefas alienas opes inuadere pro ludo habeat, animam eius, qui inſanabili illo philargyriæ morbo laborat, capiunt, hoc eſt, in mortem & interitum præcipitem agunt: vel vt rete innoxijs auibus immeritò tenditur; ita ſcelerati illi innocentium ſanguini iniuſtè inſidiantur: vt qui nihil tale meruerint. Neque id in prædonibus & ſicarijs tantùm locum habet, verùm in ceteris quoque omnibus auaritiæ inſatiabiliter deditis. Nam auari inſtar aucupum animas diuitum, opibusque affluentium rapere contendunt.

20. *Sapientia foris clamat. &c.* Docendi erudiendique exordio, à domeſticis facto. (Admonuit enim filium, vt patris matrisque monitis morem gerat, improborumque hominum commercium toto conatu fugiat) nunc in publicum prodiens, omne omnino hominum genus, ad ſapientiæ ſtudium prouocat, ſerioque inuitat: & quo potentiùs & ſalubriùs illud faciat, ſapientiam ipſam per proſopopœiam, omnes amicè compellantem, blandeque alloquentem inducit, ait ergo: *Sapientia foris prædicat*, quaſi dicat, ſapientia non latet in angulis, aut tenebris, aut terræ cauernis, vel locis deſertis, aut longè poſitis; ſed omnibus vltrò ſeſe offert, omnes inuitat & prouocat, adeoque nemo inſcitiam ſuam propter ſapientiæ difficultatem, aut laborioſam eiusdem inuentionẽ excuſare valet.

In

In plateis dat vocem, &c. Speciatim, & per partes explicat, quod per aduerbium *foris* generatim proposuerat: Assignat autem tria aut quatuor loca publica, vbi sapientia prostet, omnesque ad sui communionem & societatem inuitet, nimirum vicos vel plateas, ciuitatis portas, eminentiora eiusdem loca, & ipsum denique vrbis centrum vel forum, ad quod plures omnis generis homines conuenire solent. Clamat proinde vbique sapientia omnemque hominum statum, & ordinem ad sui amorem & studium allicit. Nam per tria illa aut quatuor loca iam assignata accipere licet præcipuos hominum status: & quidem per *capita tumultuantium*, vel editiora ciuitatis loca, vt sunt arces & propugnacula, milites, vt paulo ante indicauimus, intelligere possumus; Per eos verò qui versantur in vicis & plateis, ignobiles, promiscuamve vulgi multitudinem; per eos autē, qui ciuitatis portis assident, senatores, iudices, & ciuitatis magistratus; per eos denique, qui in ipsa vrbe vel foro agunt, mercatores & opulentiores ciues. Aut per sapientiam vbique clamantem, legem Euangelicam, vel auctorem eius Christum, vel ipsam certè increatam sapientiam accipe. Hæc varijs modis, diuersisque medijs mortalium generi sese manifestat, nempe per creaturam, per legem menti nostræ impressam, per leges rursum literis exaratas, per miracula, & illustria sanctorum exempla, per internum Spiritus sancti motum, vel affatum, per doctorum tandem hominum vocem & prædicationem.

22. *Vsquequo paruuli, &c.* Sapientia, hominum inscitiam, leuitatem, & malitiam demirata, sublata voce exclamat, *vsquequo paruuli diligitis infantiam*. Assignat hîc autem tria vitia ita inter se apta, vt ex se inuicem quodammodo fluant, seseque mutuo inferant, siquidem studium inscitiæ generat noxiorum minusve salutarium amorem: hic autem salutarium odium, & detestationem. Est autem deteriùs consectari noxia, quàm ex quadam animi simplicitate amplecti infantiam, vel imperitiam: & grauius rursum odisse sapientiam, quàm ex ignoratione sectari minùs salutaria. Primo ex his vitijs complectuntur ij, qui diligunt mundum, & ea quæ sunt mundi, quos *paruulorum* & simplicium nomine designat. Secundo hæretici: Hi enim Christi & Ecclesiæ doctrinam, prudentemque eiusdem simplicitatem ludibrio habent, quos proindè contextus Hebræus derisores appellat, sicut primi ordinis homines simplices. Postremo Iudæi & pagani: illi namque cælestem doctrinam, Euangeliique lucem data opera auersantur, odioque plusquam Vatiniano prosequuntur; hos Sapiens, insanos

& fatuos

& fatuos hoc loco vocat. Eadem porrò sapientia hominum vesaniam non modò admiratur; sed blanda quoque oratione ad vitæ emendationem, veramque animi resipiscentiam hortatur & prouocat. Conuertite vos inquit, & tandem aliquando vitam vestram corrigite. Quod si feceritis magna vbertate & copia spiritum meum in vos effundam, secretaque & occulta sapientiæ meæ vobis aperiam. Quod si infantes improbique, & scelerati posthac esse perrexeritis, ad vnum omnes perituri estis. Conuenit hic locus optimè cum altera illa, eiusdemque increatæ sapientię comminatione; *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Verum quod non solum Iudæi: sed plurimi quoque Christiani incarnatæ sapientiæ doctrinam, paternamque eiusdem admonitionem floccifaciant, sanctoque Spiritui apertè resistant, meritò nunc audiunt, olimque apertiùs audituri sunt.

24. *Quia vocaui & renuistis, &c.* Commemorat quatenus æternæ sapientiæ beneficia, peccatori ad conuersionem vltro oblata, sed omnia per summam ingratitudinem contempta atque neglecta. Sunt autem ista: vocatio, auxilii oblatio, de consectandis & vitandis instructio, paternaque admonitio, quæ omnia vtique ad efficacem conuersionem sunt necessaria. Fieri enim non potest, vt quis efficaciter ex peccati & diaboli seruitute liberetur, & ad Deum salubriter conuertatur, nisi a Deo vocetur, & adiuuetur, quidque facere vel fugere debeat, proximo vel alterius ministerio intercedente ab eodem edoceatur. Primum horum designatur per vocationem. Proximum per manuum extensionem. Tertium per consilium. Quartum & postremum per increpationem: vt enim consulimus bona, ita mala increpamus.

26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, &c.* Æquissima pœna, vt is qui Deum deridet, & subsannat, eumque, vocantem, trahentem, docentem, & increpantem ludibrio habet, vicissim ab eo derideatur, ludibrioque habeatur. etsi is interim neminem propriè contemnat aut ludibrio habeat, aut integrè quoque deserat, sed contemptoris vel desertoris personam nonnunquam sumat.

27. *Cum irruerit repentina calamitas, &c.* Quamuis hæc, & quæ sequuntur ad quemuis obstinatum & ingratum peccatorem iure referri queant, & referri quoque soleant; conuenientius tamen ad Iudæos transferuntur, qui Christum æternam Patris sapientiam aspernati, eundemque in crucem agere nihil veriti, variis miseriis & cladibus hactenus affecti fuerunt, & quotidiè

adhuc

adhuc afficiuntur, & in omnem æternitatem propter obfirmatam animi perfidiam, atque ingratitudinem, in altero sæculo afficientur. Et quidem tunc seriò inuocabunt, & ad Deum clamabunt, sed incassum, & serò nimis; vtpotè post salutaris pœnitentiæ tempus iam exactum. Idem vsu venit & veniet iis omnibus, qui id frustra in senectute desiderant, quod in iuuentute contempserant, vel quærere neglexerant.

29. *Eò quod exosam, &c.* Æterna sapientia quatuor hoc loco causas assignat, cur Iudæi, ceterique infideles, & obstinati peccatores iustè tandem à Deo deserantur. Primò namque scientiam, hoc est fidem, qua Deus cognoscitur, exosam habuerunt. Mox timorem Dei, qui fons & origo est sapientiæ, nihili fecerunt. Tertiò sanis sanctisque sapientiæ consilijs, & admonitionibus acquiescere noluerunt. Postremò omnem eiusdem correptionem et obiurgationem palàm despexerunt. Quia ergò ita comparati fuerunt, reliquum est, vt viæ suæ fructus comedant, pœnasque & supplicia flagitiis facinoribusque suis digna in omne æuum pendant.

32. *Auersio paruulorum, &c.* Geminâ sententiâ sapientia absoluit orationem suam. Harum altera eorum attingit pœnam pœnæque causam: qui sapientiam eiusdemque legem auersantur: altera præmia & mercedem illorum exponit, qui sapientiæ monitis, atque consilijs obsequuntur, auersio, inquit, rudium vel simplicium ab æterna nimirum sapientia, interfecit illos. Sensus est, non Deus, non diabolus, non vlla alia res creata interitus impiorum causa est, sed ipsimet mortis causam inde sibi adferunt, quod à sapientia alieni, carnisque illecebris intenti, vel mundi quoque prosperitate nimium elati & occæcati, futura mala nec præuident, nec curant.

33. *Qui autem me audierit, &c.* Hæc altera sententia est Epilogi, quæ precedenti percommodè subiicitur: siquidem meritum & premium sapientiæ obsequentium, ex aduerso opponuntur merito & supplicio sapientiam contemnentium. His autem, qui obsequuntur, rerum omnium abundantiam plenamque ab omni prorsus malorum timore securitatem promittit, hoc est, vitam æternam, siquidem in hac mortali vita, neque plena reperitur saturitas, neque perfecta securitas, neque ab omni quoque malo & pœna immunitas.

PARAPHRASTICA CAPITIS SECVNDI EXPLANATIO.

1. *Fili mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te.*

FIli, quod mearum est partium, bona fide prestiti, vocaui, manum porrexi, opem obtuli, gratia praeueni, quae bona, quae item mala, indicaui, deniquè nihil eorum, que salutem tuam promouere poterant, pretermisi; nunc autem tui est muneris, meos sermones meaque precepta, & monita grato animo suscipere, magnaque cura, veluti preciosum aliquem thesaurum, custodire, integraque apud te conseruare, ne horum oblitus, cùm improbis perditisque hominibus preceps in interitum ruas.

2. *Vt audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.*

VErùm vt eximio hoc thesauro potiaris, cùm corporis, tùm mētis quoq. aures, à secularium rerum strepitu, ad hauriendam sapientiam, abstractas, sedulò accōmodes oportet; nec non cor tuum à fluxis caducisq. mundi huius rebus auulsum, ad prudentiam eorumque, que sapientia docet, intelligentiam transferas atquè inclines necessum est: nequè enim, vt verè sapiens euadas, alterum tantùm sat est; sed vtrumque adsit operae precium est, nempe fidus animi sensus; & cordis rursùm vel mentis intelligentia, eaque efficax & practica.

3. *Si enim sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiae:*
4. *Si quaesieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam.*
5. *Tunc intelliges honorem Domini, & scientiam Dei inuenies.*

VErùm enimuerò licet duo haec ad comparandam diuinarum rerum sapientiam omninò sunt necessaria, per se tamen satis non sunt. Nam preter cor & aurem, quae omnino adesse debent, flagranti quoque oratione, magnoque & assiduo labore & studio opus est: nequè enim Deus otiosis aut stertentibus illam obtrudit; multò verò minùs superbis aut ingratis; sed magnis animi votis & vocibus eam expetentibus, magnisque sudoribus & laboribus

laboribus quęrentibus. Ecquid enim ait? *Si sapientiam inuocaueris*, hoc est ardentibus precibus à Deo efflagitaueris; si rursum vocem tuam intelligentię dederis. Hoc est, pro obtinendo intelligentiæ dono cęleste numen submisso animo implorauerís, totumque adeò cor tuum ad beneficium hoc impetrandum coram Deo effuderis; si deniquè eo studio eoque conatu illam quęsiueris, quo auida pecunię mancipia argentum & aurum, sęculique huius homines defossos thesauros solent; tunc demum & timorem Domini intelliges, & veram Dei scientiam certò inuenies. Quod si aliud, quam hactenus prępmonstratum est, iter ingressus fueris, hoc est si doctrinam meam, meosque sermones auidè non susceperis; si mandata mea studiosè non obseruaueris; si diuinam opem pro impetrando sapientię munere humiliter non implorauerís; si magno tandem studio eandem sapientiam non quæsiueris, nunquam preciosum illum diuinæ sapientiæ thesaurum inuenies.

6. *Quia Dominus dat sapientiam: & ex ore eius prudentia & scientia.*

NEquè est quod aliundè, quàm à Deo, qui mortalium precibus flectitur, fidelique studio nitentium conatibus patrocinatur, hunc scientiæ, & sapientiæ thesaurum tibi obuenturum speres. Solus enim is est, qui veram salutaremque sapientiam impertitur. Nam etsi mortalium studia, & conatus humanam mentem ad diuinam sapientiam capessendam vtcunque disponant, per se tamen illam non præstant, neque præstare valent. Pari modo licèt mundi huius sapientes multa de sapientia disserant, vera tamen scientia & sapientia ex illorum monumentis non est petenda; sed ex ore Dei, eiusdemque patefactione, quæ per Ecclesiam nobis proponitur & explanatur. Nisi enim Deus per diuinam scripturam & Ecclesiam nos doceat, suáque luce mentis nostræ tenebras illustret, nunquam verè sapientes euademus; neque ea, quæ ad fidei notitiam & explicationem necessaria sunt, ritè vnquàm intelligemus.

7. *Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter,*
8. *Seruans semitas iustitiæ, & vias sanctorum custodiens.*

POrrò autem Deus non tantùm impertitur scientiam, sapientiam, & intelligentiam, rerúmque cœlestium & in hac quoque mortali vita necessariarum notitiam; verùm rectorum quoquè perfectéque, & candidè gradientium salutem protegit, tuetur, atque defendit. Substantiam rursum,

quæ in cœlestibus bonis reposita est, vitæque diuturnitatem, stabilitatem, & immortalitatem in se comprehendit, iisdem illis asseruat, & suo tempore præstat. Denique qui integrè perfectéque viuit, est instar scuti inuictique, aduersus omnia mundi pericula propugnaculi. Nec his contenta sempiterna illa & immortalis substantia & sapientia, illis quoque qui in vitæ integritate & perfectione gradiuntur, hactenus adminiculo fuit & erit, quatenus semitas iudicii, viásque iustitiæ ritè seruent, nec non inoffenso pede in lege Domini incedant; ac viam tandem Sanctorum religiosè custodiant. Vel (quod inoffenso pede incedere humanæ naturæ vires excedat) ipsamet sapientia, quæ Deus est, Sanctorum, Deumque ritè colentium viam ab omni errore & peccato tuebitur: siquidem æquitas efflagitare videtur, vt Dominus peculiarem illius rationem habeat; & viam vitámque eiusdem clementer custodiat, qui semitas iudicii seruat, & in vitæ perfectione, quod in se est, impigrè ambulat.

9. *Tunc intelliges iustitiam & iudicium, & æquitatem, & omnem semitam bonam.*
10. *Si intrauerit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit.*

CVm vera sapientia semel intrauerit in cor tuum, & scientia animo tuo grata iucundáque exstiterit; non modò iustitiam, iudicium, & æquitatem accuratè intelliges, verum omnem aliam quoque viam bonam, virtutúmque semitam perspectam habebis: siquidem sapientia in hisce potissimum sita est, neque vlla vera sapientia absque his constare potest. Nam siue iustitiam ad rerum cœlestium contemplationem; iudicium verò ad eorum, qui cum auctoritate præsunt, actiones; æquitatem autem ad priuatorum hominum vitam referas, siue tribus hisce omne virtutum genus contineri dicas: siue aliud quodcúnque per tria hæc significatum contendas, semper verum est, nullam absque iustitia, iudicio, & æquitate veram sapientiam constare posse.

11. *Consilium custodiet te, & prudentia seruabit te.*
12. *Vt eruaris à via mala, & ab homine, qui peruersa loquitur.*

ADhæc si sapientiam studiosè, vt par est, excolueris, ea à quouis hoste & casu aduerso te defendet, diéque noctúque tanquam fidus quispiam corporis tui custos circa te excubias aget. Prudentia rursum & intelligentia

telligentia, quam ex illa hauries, non modò ab omni errore & peccato te conseruabit; verùm ab omni quoque via mala, fucatáque peruersi hominis oratione te propugnabit; efficiétque, vt ambules in via bona & sana. Nam vt perfectus sis perfectúsque habearis, non sat est, si à malo declines; sed opus est præterea, vt bonum facias.

13. *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas.*

CEterùm, quod homines peruersi callidíque impostores reperiantur, qui suam peruersitatem, suosque dolos & fraudes ea dexteritate tegere & dissimulare norunt, vt quiuis facilè deprehendere non valeat; indicabo hîc tibi notas quasdam, per quas illos vtcúmque cognoscere, & à iustis honestísque viris discernere valeas. Eos itaque imprimis hoc loco peruersos appellandos censeo, qui recto virtutum itinere, honestáque viuendi ratione deserta, per vias tenebrosas ambulant; quique vitam errore cæcitatéque plenam, multísque salebris impeditam, & lapsibus obnoxiam transigunt. Fieri enim non potest, vt homines diuino timore vacui & sapientia destituti, multísque præterea miseriis & peccatorum sordibus contaminati, sæpissimè non impingant.

14. *Qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.*

MOx illos peruersos hîc voco, qui ad eam nequitiæ improbitatísque magnitudinem deuenerunt, vt ex sceleribus (quæ pro sua malitia magno subindè numero committunt) voluptatem capiant; exultentque & triumphum agant, si quod forte nefarium flagitium designauerint, aut indignum facinus perpetrauerint; aut aliis, vt perpetrarent, auctores exstiterint. Magna profectò miseria, & cæcitas est, pro luce tenebras; pro Christo tenebrarum principem complecti; at omnem cæcitatis modum excedit, de peccato, quod omnium rectè sentientium iudicio dolorem & luctum meretur, gaudere & exultare.

15. *Quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum.*

ILlos denique homines peruersos pronuncio, quorum viæ sunt peruersæ, gressúsque turpes, & studia inhonesta; neque tamen alia esse facilè possunt. Nam cùm semitam rectam (cuiusmodi est, qui neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectit) deseruerint, & tenebras pro luce complexi sint, eumque in modum deprauati, vt in funestissimis facinoribus, fœdissimísque

mísque flagitiis felicitatem suam ponant, quomodo fieri potest vt illorum studia & opera non sint funestissima & tortuosissima? eorundémque actiones non sint infamissimæ? à quibus proindè adolescentiores, si saluti suæ consultum volunt, non secus abstinere debent, quàm ab exitialissima peste, & tæterrima contagione.

16. *Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos.*

SApientia tandem, si eam toto animi sensu complexus fueris, eiusdémque consiliis & preceptis impigrè obtemperaueris, illud iudicium mentísque lumen, eásque animi vires & opes tibi conferet, vt non solùm à viro peruerso, peruersáque loquente, & infames vias publicè consectante libereris, verum etiam à mulieris extraneæ & alienæ retibus extriceris & eripiâre; à qua sanè non minus discriminis rudi indoctæque & ad carnis illecebras pronæ adolescentiæ impendit, quàm à perditi viri consuetudine & familiaritate; quippê quæ sermonis blandimentis, mellitáque oratione, aliisque dolis & technis non solum iuuenum animos ad libidinem propensos ad flagitium pellicere; verum sapientum quoque fortissimorúmque gigantum pectora inflectere nonnunquam solet; cuius rei argumenta euidentissima nobis subministrant Sampson, Dauid, Salomon, & alij præterea quàm plurimi.

17. *Et relinquit ducem pubertatis suæ, & pacti Dei sui oblita est.*

PEr alienam autem vel extraneam mulierem, fili, non accipio hîc paganam, aut impiam, aut à fide & religione alienam, (quamuis harum quoquè cõmercia homini iuueni & imperito sint periculosa, & lege prohibita) sed eam, quæ fœderis cum marito initi, Deíque sui oblita, iuuentutis suæ ducem, nempè virum, cui primis ætatis annis nupserat, fidúmque & immaculatum thorum sanctè spoponderat, turpiter deserit; hoc est vltroneam adulteram, publicámque meretricem; cuiusmodi ea est, rectéque dici potest, quæ tanta libidine incensa ardet, vt non rogata vltrò ad stuprum sese offerat, nullíque non sui copiam faciat, id quod maximum libidinis & incontinentiæ est argumentum. Virgines stuprum passæ amatori fidem plerumque seruãt: adulterae autem pacti nuptialis legísque diuinæ, quæ adulteria omnémque pellicatum seuerissimè prohibet, oblitę, non muneribus prouocatæ, aut blandimentis seductæ mœchum sequuntur; sed sponte ad adulterium prouocant, blandóque & molli sermone ad flagitium allectant.

Quę

Quæ proindè prę ceteris omnibus diligentiſsimè ſunt cauendę, & ſummoperè metuendę, idque ob multas graues cauſas.

18. *Inclinata eſt enim ad mortem domus eius, & ad inferos ſemitæ ipſius.*

PRimò namque tota domus adulteræ, totúmque illius ſtudium ad mortem inclinat, non animæ tantùm, ſed ſæpè etiam corporis; ſiquidem adulterium manifeſtò deprehenſum apud veteres capitale erat. Vt interim taceantur vulnera & cædes, quæ ob adulteria & ſcortationes frequentiſſimè accidunt; adeóque quicunque in domum illius ingrediuntur, aut commercium cum illa habent, vnà cum illa ad vtrámque mortem contendunt. Mox omnes illius ſemitæ omnésque eiusdem actiones eiuſmodi ſunt, vt rectâ ad inferos tętrósque dæmones & mortuos; nempè ad homines æternæ damnationis carceri mancipatos abducant; digna profectò moribus factísque mulieris adulterę pœna. Sperabat miſera in ſplendidas adulteri ædes non absque pompa & iubilo ſeſe introituram; & ecce ſubitò & inexſpectatò abripitur ad domum mortis: exiſtimabat per ſpecioſas ſemitas ad deliciarum omnium viridarium & quaſi promptuarium ſeſe deduci; & ecce vię illius meta hominibus mortuis, miſerísque dæmonibus & vaſtis gigantibus conſociatur.

19. *Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ.*

POſtremò quotquot ad adulteram ingrediuntur nunquam ferè ad ſanamentem, verámque vitam & pœnitentiam redeunt, ſiuè id inde proueniat, quod mortui ad vitam non reſurgant: ſiuè etiam, quod rerum carnis ſenſum oblectantium appetitus ſecundùm ſe inſatiabilis exiſtat. Videmus namquè peccatores boni ſua natura oblectantis dulcedine delinitos & quaſi ineſcatos, rariſsimè ad ſpiritualis vitæ vias reſpicere, aut ad bonam frugem peruenire; ſed plerósque ad mortem vſque ſenſuum illecebras conſectari; adeóque verę vitę ſemitas vix vnquã apprehendere. Habet autem quod hîc docetur, non modò in carnali adulterio & ſcortatione locum; verùm etiam in ſpirituali, hoc eſt in idololatria & hęreſi. Rarò enim hac lue ſemel infectus, integrè ſanatur, puréque expiatur.

20. *Vt ambules in via bona, & calles iustorum custodias.*

SApientia deniquè & intelligentia non solùm à via mala, à viro iniquo, à muliere improba, aliisque incommodis te liberabit; verum ad bonum quoque honestum te deducet & promouebit, adeóque vtrámque iustitię partem, nempé vt à malo declines, & bonum facias, tibi conferet. Sapientia, inquam, probè abs te culta efficiet, vt improborum consortium viásque peccatorum deseras; iter verò bonorum semitásque iustorum, in quibus nullus est error, nullum periculum, sed certa eáque ampla merces proposita, tutò ingrediaris.

21. *Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebunt in ea.*

QVandoquidem qui recti sunt, rectéque secundum diuinę legis prescriptum incedunt, terram illam, quę melle & lacte rerúmque omnium copia abundat, certò inhabitabunt. Quod siquę hinc propter peccata proscriptio vel expulsio aliquandò contingat, integri tamen perfectiique viri nunquam ex ea proscribentur aut propellentur; sed in omnem aeternitatem firmi in illa consistent.

22. *Impij verò de terra perdentur: & qui iniquè agunt, auferentur ex ea.*

AT impij, ceteriique omnes, qui quouis modo iniquè agunt, suósque dies in voluptatibus & carnis illecebris transigunt, omnibus bonis & deliciis, quibus circumfluere videbantur, orbati, non modo, à beatè felicitérque viuentium terra expellentur; verum de hac quoque mortalium terra vel inuiti dispergentur, & veluti infructuosae arbores radicitus euellentur; & quod peius est, ad terram omni horrore & ardore confusionéque plenam, hoc est, ad terram miseriae & calamitatis hinc amandabuntur, nunquam vel huc reuersuri, aut ad terram, quae mitibus promittitur, accessuri.

AD

AD CAPVT SECVNDVM SCHOLIVM.

1. *Fili, si susceperis. &c.* Oratio hæc videtur suspensa. Quamobrem aut cum versiculo sequenti debet connecti, aut per imperandi modum exponi, aut certè per verbum aliquod commodum expleri.

6. *Quia dominus dat sapientiam. &c.* Docuerat sapientiam non tantùm studio inquirendam, sed precibus quoque à Deo expetendam: nunc causam cur à Deo expeti soleat, exponit: quia nimirum humanæ vires & studia per se sat non sunt ad cælestem sapientiam comparandam: etsi hæ interim neque otiosæ sint, neque otiosæ quoque esse debeant. Ponuntur autem hîc tria, quæ omnia ex ore Dei prodire dicuntur, nimirum scientia, sapientia, & prudentia vel intelligentia. Inter quę eiusmodi discrimen assignare licet. Sapientia præcipuè circa fidei mysteria versatur: scientia vero circa earum rerum considerationem, quæ ad vitæ huius vsum sunt necessariæ: prudentia vel intelligentia autem circa morum scientiam, ciuilemque inter homines conuersationem.

7. *Custodiet rectorum salutem. &c.* Prosequitur beneficia, quæ per sapientiam præstantur rectis, hoc est, ijs, qui nihil obliqui, nihil quod diuinæ voluntati aduersetur in pectore fouent. Talibus enim apud Deum reposita est salus certa, stabilisque substantia, cuiusmodi est, sola diuina essentia; omnes enim res creatæ mutationi sunt obnoxiæ, tum longitudo quoque dierum, eáque sapientia, quæ omnia vnica voce Hebraica *Tuschiah* designantur. Porrò autem vt Deus rectis est vita & salus; ita integrè sinceréque ambulantibus, hoc est vitæ cursum piè sanctéque prosequẽtibus contra aduersa omnia est veluti impenetrabile quoddam scutum. Ipse enim est, qui Sanctorũ semitas eorúmque, qui iudicij rationes seruant, & misericordiam exercent, vias ab omni aduersitate custodit; imò verò qui vnus, vt sancti sint, viámque iudicii custodiant, & misericordiam exerceant, largitur. Ad litteræ contextum quod spectat, potest is ad hunc modum ordinari. Deus qui iustitiæ semitas seruat, viámque Sanctorum custodit, custodiet rectorum salutem, & proteget eos, qui simpliciter gradiuntur.

9. *Tunc intelliges. &c.* Repetit, quæ antea dixerat; sed aliis verbis. Præmiserat enim, *si sapientiam quæsieris, intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies*, hîc autem: *Si sapientia in cor tuum semel intrauerit, & scientia animæ tuæ placuerit*, non modo *iustitiam, iudicium & æquitatẽ*; sed *omnem* aliam quoq. *viam bonam*, hoc est, omnem aliam virtutem ad salutem necessariam *intelliges*. Ceterùm quomodo tria hæc inter se differant non videtur anxiè inuestigandum, sat est ita inter se connexa esse, vt nullum aliorum præsidio destitutum, per se satis sit perfectum.

11. *Consilium custodiet te. &c.* Pergit fructus & commoda, quæ ex inhabitante sapientia proueniunt, explicare. Si, inquit, sapientia in pectore tuo inhabitauerit, consilium, quod ipsa suggeret, custodiet te: & intelligentia, quam ex illa petes, à via mala, ab homine peruerso, à muliere denique extranea seruabit te; efficiétque vt ambules in via bona. Discimus hinc, quorum corda verâ sapientiâ destituta sunt, illos neque salutares cogitationes, neque sana consilia, neque monasticam, aut œconomicam, aut politicam prudentiam habere; sed instar nauis gubernaculo orbatæ omni vento circumferri.

13. *Qui relinquunt. &c.* Exponit ordine cuiusmodi sint mali illi peruersíque viri, à quorum consuetudine & contagione sapientia liberat. Assignat autem tria vel quattuor symbola, per quæ dignosci possunt. Inter cetera autem familiare est illis, effutire peruersa & à veritate aliena: mox rectis lucidisque viis desertis, incedere per obliquas & tenebrosas. Hinc lætari & exultare, cum flagitium aliquod designauerint, aut ab alio designatum intellexerint. Postremò peruersam, omníque ex parte infamem vitam ducere, hoc est omni scelerum flagitiorúmque generi turpiter indulgere.

16. *Vt eruaris à muliere aliena. &c.* Viri peruersi indole tribus quattuórue versiculis delineata, describit iam improbam mulierem, à qua non minùs periculum homini iuueni imminet, quàm ab improbo viro. Delineat autem illam variis notis & circumstantiis, quo melius caueri, & ab aliis probis internosci valeat. Primò enim eiusmodi mulier garrula, sermonúmque lenociniis & blandimentis insigniter est instructa. Est eadem extremè salax & libidinosa, vt quæ Dei pactíque cum marito initi oblita, pubertatis suæ ducem deserat, & adultero turpiter adhæreat. Est tota, quãta quãta est, ad mortem inclinata, omnésque adeo gressus illius rectâ tendunt ad dæmones & inferos. Est denique iis artibus & armis munita, iisque delitiis & carnis illecebris delbuta, vt qui semel illi adhærescere cœperit, vix vnquam se ab

illa

illa auellere possit. Quare eiusmodi, vnà cum illa, citra vllam spem vitæ, ad mortem & interitum rectâ contendit. Ceterùm quae de adultera vel publico scorto hîc dicuntur, ea sublimiori sensu in hæresin quadrant optimè. Nam ea quoque & blandiloqua est, & sponsum, cui in primæua ætate per Baptismum desponsata fuerat, deserit, & adultero nempè diabolo, obstinatè adhęresciť, & rectâ tandem ad inferos abducit, quosque semel deliniuit, & in sententiam suam pertraxit, eos vix vnquam ad sanam mentem redire sinit.

20. *Vt ambules in via. &c.* Aliud hic sapientiæ & intelligentiæ beneficium exponit, & illud quidem eiusmodi, vt sine illo perfecta salus consistere non queat: neque enim, vt quis vita beata potiatur, sat est, vt à peccato peruersorúmque hominum consortio recedat; verùm praeter hoc quod conuersionis initium est, opus est vt faciat bonum, eósque sectetur, qui virtutum bonorúmque operum studio sedulò incumbunt, & hoc quoque præstant sapientia & intelligentia.

PARAPHRASTICA CAPITIS TERTII EXPLANATIO.

1. *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat.*

AVdisti, fili, ad cōparandam sapientiam opus esse, vt morum sapientiæque magistris diligenter auscultes, mentisque & corporis aures ad illorum dicta sedulò accommodes. Verùm enimuerò vt sapiens sis, veréque sapiens habeare, non sat est, vt sapientem vel sapientiam ipsam de sapientia disserentem audias, eiusdémque pręcepta & instituta discas; sed vltra hæc opus est, vt eadem illa sapientiæ præcepta & monita mentis tuæ secreto fideliter insculpas, tenacique memoriâ retineas, quò nimirum cùm opportunitas vel vsus id exiget, opere ipso exprimere queas. Quamobrem iterum iterumque te hortor atque admoneo, ne legis meæ, morumque doctrinæ, quam iam tradere cœpi, & deinceps traditurus sum, obliuiscaris; neque cor tuum à præceptorum meorum consideratione & obseruatione abstrahi aliquando sinas. Certus enim sum, conatum in magnum quandoque vsum tibi cessurum.

2. *Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.*

QVandoquidem, si legis meæ oblitus non fueris, meáque præcepta cor tuum accuratè custodierit, vita non modò longa & sana obtinget tibi, sed tranquilla quoque & fortunata: Siquidem vita diuturna, nisi adsit corporis mentisque tranquillitas, & ab omni grauiori ægritudine immunitas, molesta est veriùs, quàm iucunda. Rursum diu viuere, & omnis quoque ægritudinis expertem viuere, si desunt opes & facultates, quibus te honestè sustentes, fortunatè, vel beatè viuere verè dici non potes; vera namque beatitudo omnem paupertatem excludit. Vel (si hoc mauis) si legem meam fideliter obseruaueris, meaque præcepta cor tuum diligenter custodierit, ex longitudine dierum præsentis vitæ, transfereris ad annos vitæ, hoc est ad vitam illam, quæ finem nescit, fruiturus ibidem pace, tranquillitate, sanitate, & opulentia, quæ omnem sensum exsuperat.

3. *Misericordia & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui.*

VT misericordia & veritas Deo Opt. Max. nunquã non adsunt, fili, ipsiq. præ cèteris familiaria sunt; ita tu quoque da operam, ne vllo vnquam tempore illustria illa animæ ornamenta te destituant. Quò autem minori negotio id consequâre, circumliga illa collo tuo, & inscribe non æneis, vel lapideis tabulis, vt Moysi lex descripta exstabat, verum cordis tui tabulis; ita vt illa semper ibi videas & lẽgas, neque vnquam obliuioni tradas. Nam quodcumque tandem misericordiæ & veritatis nomine accipere lubuerit, certum est Deum pro sua benignitate & liberalitate eiusmodi caritatis officia amplâ mercede compensaturum. Quandoquidem quæ mox consequuntur, disertè hoc indicent.

4. *Et inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus.*

SI, inquit, præcepta mea fideliter custodieris, eaque in cordis tui tabulis indelebili charactere descripseris, & misericordiam nihilo seciùs & veritatem opere ipso exercueris; tùm apud Deum, tùm apud homines quoque fauorem & gratiam inuenies; tantamque ingenij sollertiam mentisque prudentiam breui acquires, vt quid te in omnibus negotijs & difficultatibus facere, aut vitare oporteat, facillimè intelligas.

Habe

5. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.*

6. *In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.*

VErum tamen caue, ne propter humanum fauorem, aut cuiusquam, gratiam nimium te efferas; neque propter ingenii sollertiam & acumen plus æquo tibi placeas aut arroges. Verùm submissè de te ipso sentias, omnemque fiduciam, & spem tuam in Deum defixam habeas, idque non tepidè aut ex parte; sed toto corde totóque animo & pectore. Qui enim eiusmodi gratiam bonamque mentem nacti sunt, longè aliter comparati esse solent & comparati esse debent, quàm qui sæcularis scientiæ & sapientiæ opinionem habent. Hi enim in sua prudentia confidunt, suamque peritiam supra iustum & æquum passim iactant & venditant: tu verò qui & intellectum & cetera omnia à Deo te accepisse non ignoras, totam fiduciam totamque spem tuam in illum defige, nec non in omnibus vijs, & actionibus tuis illum præ oculis habe, illum cogita, illum agnosce, illum implora & prædica, fietque hac ratione, vt ipse prosperè fortunatéque omnes gressus, omnesque actiones tuas directurus sit.

7. *Ne sis sapiens apud temetipsum, time Deum, & recede à malo.*

NEque sis sapiens in oculis tuis, ita vt ceteros omnes præ te contemnas, illorumque iudicia & admonitiones pro nihilo ducas, aut despicatui quoque habeas; hoc enim facere haud aliud esset, quàm arrogantissimi hominis ingenium prodere. Esto proindè humilis in oculis tuis, &, quod initium est sapientiæ, Deum time, eidemque toto pectore inhære. Nam vt summæ stultitiæ est solis naturæ viribus fidere, aut solo proprij ingenij iudicio omnia tribuere; ita eximiæ cuiusdam sapientiæ est post adhibitam propriam industriam, toto corde diuino auxilio inniti; hoc autem te facere tunc demùm palam testatum feceris; si vitam vniuersam absque omni peccato immunem traducere sedulò contenderis. Fieri enim omninò non potest, vt quis Deum ex animo timeat & amet; totamque fiduciam in illo repositam habeat, neque à peccandi tamen consuetudine desistat.

Sanitas

8. *Sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum.*

QVòd si ita comparatus fueris, vitàmque ad eum modum institueris, hoc est si propriæ prudentiæ nimium innixus non fueris; sed Deum præ oculis habueris, eumque omnium actionum tuarum ducem constitueris, atque eiusdem timore concussus ab omni malo opere te continueris, neque tuum tandèm iudicium Dei consilio reliquorúmque omnium iudicio prætuleris; tunc demùm plena vmbilico totíque interiori homini tuo obtinget sanitas, tuaque ossa spiritali medulla, cœlestique pinguedine affatim implebuntur. Paucis, omnes animæ tuæ vires sanabuntur, & per virtutum habitus ad optimum statum redigentur.

9. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum.*

10. *Et implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabũt.*

FIli, quicquid habemus & possumus, hoc totum Dei est totumque eiusdem dono & beneficio impetratum est. Eapropter non interioribus tantùm religionis actibus, fide, inquam, spe & caritate eum honora, & cole, verùm externis quoque sacræ latriæ symbolis; cuius generis censentur ea omnia, quæ in sacrificium, vel laudem, vel gratiarum actionem illi offeruntur; vel illius quoque membris propter ipsum exhibentur. Quamobrem de prouentuum tuorum primitiis illum honora; deque omnibus quæ quauis iustâ ratione conquiris, partem aliquam illi assigna. Nec est quòd eâ erga Deum liberalitate & gratitudine te ad inopiã redactum iri metuas; siquidem in Deum pietas, & in membra eius liberalitas opes potiùs augent & conseruant quàm diminuant vel exhauriant. Si igitur Deo confisus liberaliter in illius cultum, fratrumque eiusdem subsidium erogaueris, *horrea tua implebuntur saturitate*, omnisque generis frugum abundantia, *& torcularia tua musto exundabunt*. Summa, nihil necessariorum tibi deerit, sed quicquid humanæ vitæ vsus deposcit, hoc totum cumulatè tibi subpeditabit.

Discipli-

11. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias: nec deficias cùm ab eo corriperis.*

VErùm enimuerò si Deo è salute tua fore visum fuerit, pro plena sanitate, ægritudinem; pro ossium pinguedine, ariditatem; pro rerum omnium affluentia, rerum omnium inopiam in te immittere; aut prosperitatem, qua ante fruebaris in aduersitatem permutare, fili, illius correctionem, & disciplinam per superbiam vel impatientiam ne abiicias; neque acrius ab eo correptus, vel dirius, quàm te promeritum existimas, flagellatus, animum despondeas, aut flagellis illius ignauorum more turpiter cedas.

12. *Quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.*

QVandoquidem eiusmodi castigatio non prouenit ex ira, aut indignatione, aut ex aliqua maleuolentia; sed ex pleno amore & intima caritate. Nam vt pius parens prudensque medicus per eiusmodi flagella, clades, & calamitates, illud abs te vult submouere, quod salutem tuam diuinæque prædestinationis in te effectum poterat impedire. Solet enim ille omnem, quem diligit filium, increpare, pœnisque & flagellis in officio continere, vel inde dilapsum eò denuò reuocare, ne vel peior euadat, vel hereditatis iacturã faciat. Etenim vt parentes secundùm carnem liberos, quos delinquentes vel officium negligentes animaduertunt, pro delicti ratione castigant: ita Deus quoque, quos ad gloriam ordinauit, verberibus & crucibus exercet; ne vel nimium insolescant, vel licentiosius peccent, vel vt cautiùs quoque & prudentiùs in posterum viuant. Habent enim eiusmodi flagella, si commodè vtaris, magnum ad comparandam & retinendam sapientiam momentum.

13. *Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia.*

NOn beant opes, fili, non nobilitas, non corporis robur, aut sanitas, aut venustas: non rerum humanarum scientia; non cetera denique omnia, quæ sub sensum veniunt, & in hominum admiratione existunt; sed sola diuina sapientia, ad quam præcepta, de quibus meam sententiam iam audiuisti, certissimam viam muniunt, hominemque quàm optimè & quàm rectissimè disponunt. Interim sapientia, quæ hominem verè perfectéque beat, non est quid productum aut procreatum; sed ipsemet Dei Filius rerum omnium conditor & procreator. Verè proinde beatus vereque felix

& for-

& fortunatus est, non qui aurum, aut argentum, aut vniones, aut aliud quodcunque eiusmodi inuenit, sed qui hunc increatæ infinitæque sapientiæ thesaurum reperit.

14. *Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius.*

15. *Pretiosior est cunctis opibus: & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.*

BEatus nihilominùs & ille censeri potest, qui ea infusæ diuinitúsue communicatæ sapientiæ & intelligentiæ vbertate affluit, vt illam in alios quoque, cùm vsus id postulat, transferre valeat. Nam etsi hæc communicata productáue sapientia infinitis partibus ab illa distet, quæ & Dei, & suaptè naturâ Deus est; attamen tantæ dignitatis, tantíque precii, & valoris est, vt eius acquisitio purissimi auri & argenti acquisitione multis partibus præstet; eiusdémque prouentus & vsus cunctis lapidibus & opibus preciosis preciosior existat. Paucis, vna hæc tanti valoris & precii est, vt nihil sub orbe hoc sublunari exstet, quod illius existimationem & precium æquare valeat. Nihil enim sunt deliciæ, nihil diuitiæ, nihil cetera omnia caduca & fluxa, si cum illa comparentur.

16. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria.*

HÆc enim est, quæ & vitae longitudinem, & gloriam immortalem, & nunquam interiturum honorem largitur; è quibus omnibus nihil præstant, neque praestare possunt mundi huius opes, seculíque delitiae & voluptates, nedum sapientiam ipsam. Sed neque honores, & opes, & vitam longam tantùm confert sapientia; sed vitae quoque immortalitatem, animaeque pacem & tranquillitatem, aliáque id genus complura, quae supra multis parasangis recensita sunt. Verbo complectar. Vna haec bona omnia, quae in sobrii hominis desiderium cadunt, præstat: & mala rursum omnia, quae prudentes viri formidare solent, è medio profligat. Praestat autem vtrâq; manu, quia omnibus vndique bonis cincta & circũsepta est. Quòd si bona, quae pollicetur, quibusdam in hac vita non confert, ideò non confert, quia è salute eorum non erant: neque enim omnia conueniunt omnibus. In altera tamen vita magno fenore compensat, quod hîc negauerat; aut vt rectiùs dicam, in aliud tempus transtulerat.

17. *Viæ eius viæ pulcræ, & omnes semitæ illius pacificæ.*

NEc est, fili, vt vias, quæ ad sapientiam ducunt, asperas, duras, hostilibus insidiis obseptas, vel belli tumultibus plenas causeris: nihil enim horum omnium incommodorum locum hîc habet. Sunt enim viæ illius planę, tutæ, lucidæ, omni pace & tranquillitate plenæ. Paucis, sunt tales, quæ ambulantes in iis mirificè recreent, animisque illorum admirabilem pacem & iucunditatem adferant; perducunt quippe ad eam pacem, quam mundus dare non potest; ad eam lucem, quæ tenebras nullas admixtas habet; ad eam tandem vitam, quæ finem & mortem ignorat. Neque sanè viæ & semitæ, hoc est opera, præcepta, & consilia, sapientiæ aliter affectæ esse possunt: alioqui enim verè non bearent; siquidem ad veram beatitudinem non solum sana lõgaque vita, opes pręterea & honores exiguntur, sed pax quoque & trãquillitas, & omnis generis voluptas. Hæc enim sunt, quæ homines omnes naturaliter desiderant; neque prius desiderare cessant, quam re ipsa possideant.

18. *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam beatus.*

SVnt igitur omnes viæ sapientiæ amœnæ & pulcræ: prout ipsa quoque sapientia est pulcerrima, & nobilissima, & potentissima. Est enim ea lignum vitæ, quod in medio paradisi plantatum est; si non omnibus, iis certè qui apprehendunt eam: imò verò vitalis ligni vires multis partibus excellit, vt quæ non tantùm vegetam & diuturnam vitam praestet, vt illa, sed sempiternam. Nemo enim ignorat Adamum ex ligno illo vitae immortalitatem consecutum non esse; sed neque consequi quoque potuisse, etiamsi ex eo gustasset. Sapientia autem semel hausta, largitur immortalem fideli studio ad finem vsque retenta vitam. Nequè immortalem tantùm confert vitam; sed magnam quoque per fructus suos in hac vita iucunditatem & voluptatem, & certam deniquè, si conseruetur, alterius vitæ beatitudinem.

19. *Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cælos prudentia.*

ESt eadem nihilo seciùs summè potens summeque efficax: quippe cum Deus per eam condiderit cœlum & terram, & quæcunque illorum ambitu continentur, hoc est totam rerum vniuersitatem. Hæc enim scripturarum more per cœlum & terram tanquam per primarias partes designari

ſolent. Condidit autem terram Deus tanquam reliquorum omnium baſim & fundamentum in medio vniuerſi immotam; quò nimirum firma commodaque hominum ceterorumque animantium ſedes eſſet; nequè vlla tamen columna aut ſuſtentaculo nixam, quod certum eſt ſummæ ſapientiae argumentum. Terrae veluti tectum quoddam induxit cœlum mira ſtellarum venuſtate ornatum, ſemper mobile, nunquam defatigabile & quod ad naturam ſuam attinet, ſemper ſibi ſimile, quae omnia arguunt ſummam diuinae ſapientiae vim & magnitudinem.

20. *Sapientiâ illius eruperunt abyſsi, & nubes rore concreſcunt.*

EIusdem rurſum ſapientiae opus ſunt fontes & flumina, quae ingenti aquarum copia & vbertate è terrae cauernis, ad quas initio iuſſu Dei, ne terram operirent, ſeſe receperant, per occultos meatus lapſa erumpunt; & ad diuerſos orbis tractus longis ambagibus ſeſe diffundunt, & interdum quidem ea abundantia inde erumpunt, vt latè omnia propter hominum peccata, depopulentur, vt multis ſaepè exemplis compertum eſt. Per eandem denique Dei ſapientiam & potentiam vapor ex aquis locisque humidis & calidis ad ſuperiora aëris loca ſubuectus per circumſtans frigus condenſatur in nubem, eaque irruente frigore compreſſa; ſi denſior quidem fuerit, in pluuiam; ſin autem rarior, in rorem reſoluitur; quibus ſolùm humectatur & fœcundatur, quò hominibus vim ſuam exerat, fructusque fundat: Atque huc tendit Sapiens, dum per Dei ſapientiam abyſſos erumpere, & cœlos vel nubes rorem ſtillare, vel in rorem concreſcere aſſerit. Ceterùm quaecunque de diuinae ſapientiae virtute & energia hic dicuntur, ea omnia, ad illam ſapientiam pertinet, quae idem eſt cum Dei Verbo: per hoc enim facta ſunt omnia, & quae in cœlo, & quae in terra.

21. *Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis. Cuſtodi legem atque conſilium.*

22. *Et erit vita animæ tuæ & gratia faucibus tuis.*

HÆc, fili mi, de diuinæ ſapientiæ virtute & potentia, admirandisque eiusdem operibus doctrina, ceteraque omnia, quæ de ſapientia hactenus tradita ſunt, ob mentis oculos ſemper verſentur, neque vnquam inde recedere patiaris. Hæc vna enim & ſtabilis, & conſtans, & ab omni errore, falſitate, & obſcenitate, quibus humana ſcientia abundat, immunis eſt. Hæc ſola verè beat, & ab omni malo liberat. Hanc proindè iugiter animo

verſa,

versa, & tecum pertracta; eiusdemque vim & energiam diu noctuque meditare & præ oculis habe; & omnem denique vitam, omnesque cogitationes tuas secundum illius præscriptum institue.

Siquidem homini ad veræ pietatis diuinæque sapientiæ thesaurum seriò contendenti, sat esse non debet vt accuratam legum, quas alii præscribunt, curam habeat; verum propriarum quoque cogitationum & actionum peculiarem rationem habeat oportet. Nam etsi lex humana externos tantum actus iudicet, &, si sint mali, punit, Deus tamen vtrosque prohibet & plectit. Accedit huc quoque quod prauæ mentis imagines & cogitationes, quales sunt quæ cum lege & ratione pugnant, si tempestiuè non coërceas, ad legis contemptum & præuaricationem paulatim disponant, & tandem omnino trahant.

Neque tuas tantũ cogitationes modereris & obserues; sed legem quoque & consilium, quod vera Dei sapientia tibi suggerit. Quandoquidem ea obseruatione vitæ longitudinem, & prudentiam, & rerum diuinarum intelligentiam, & multa præterea alia, de quibus supra iam disputatum est, consequeris. Etenim si sapientiæ monitis parueris, eiusdemque præcepta religiosè obseruaueris, erunt vita, salus & sanitas animæ tuæ. Anima enim tua verè per illa viuet, sanaque & incolumis vsque persistet. Quemadmodum enim legis, quam Dei sapientia præfinit, præuaricatio, est mors animæ; ita eiusdem legis obseruatio, prauarumque cogitationum & desideriorum compressio, est vita, vigor, & sanitas animæ. At neque vita & sanitas sunt animæ tantùm; sed illustre quoque & peruenustum eiusdem ornamentum. Nam vt preciosa monilia pectus & collum, totumque hominem insigniter exornant, & apud omnes spectabilem reddunt; ita sapientia quoque studiosè exculta, magnum homini sapienti apud Deum & hominem fauorem & gratiam conciliat.

23. *Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget.*

NEque sapientia, si eam familiarem habueris, animæ tuæ tantum vitam & sanitatem præstabit, gutturique tuo gratiam & eloquentiam conferet; vt salutari doctrina aliis quoque prodesse queas: verùm omnem quoque à periculis & insidiis, quas diabolus, caro, & mundus assiduè moliuntur, securitatem tibi pariet. Nam siuè domi maneas, siuè peregrè apud exteros agas, itérue facias, ea fide & diligentia te custodiet, vt ne vllus omninò animi tui affectus, qui pedis nomine designatur, vel leuissimè impingat. Si igi-

tur sapientiam comitem, vel ducem veriùs nactus, illiusque consilia ex animo complexus fueris, vbicúmque ambulaueris magna cum fiducia, citráque vllam pedis offensionem ambulabis.

24. *Si dormieris: non timebis: quiesces: & suauis erit somnus tuus.*

QVod si peregrè non egeris (etsi verè peregrini in hoc mundo sumus, crebroque, nisi magna adsit cautio, offendamus omnes) sed domi vixeris, noctuque, (quando hostes maximè vigilare & insidiari solent,) somno te dederis, consopitusque in lecto quieueris, suauiter omnisque timoris expers dormies; neque quidquam quod somnum insuauem aut inquietum reddat, occurret. Summa, à quocunque periculo, quod vel dormientibus, aut vigilantibus, vel domi versantibus, aut foris agentibus accidere solet, per sapientiam securus eris. Nascitur autem hæc iustorum securitas cùm ex bono conscientiæ testimonio: tùm maximè ex diuinae protectionis fiducia & spe; familiarique cum Deo consuetudine; quibus rebus, quod impij destituantur, in perpetuo timore, & animi fluctuatione versantur.

25. *Ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum.*

DEnique sapientiae beneficio non modò ab iis periculis, & malis tutus eris, quae vel in motu, vel in quiete multis saepe accidunt, verùm à subitis quoque casibus, iisque cladibus, terroribus, & vastitatibus, quae ab hostibus exteris (cuiusmodi sunt, qui ex insidiis in medium prodeũt, illosq. qui nihil hostile metuebant, repentè adoriuntur, lateque omnia vastant & depopulantur & quasi in solitudinem redigunt) ex insperato nonnũquam adferuntur. Quandoquidem Dominus propter sapientiam in te habitantem erit in latere tuo. Vt enim stipatores Principum lateribus ad custodiam praestò sunt, parati, si opus sit, illos defendere, omnemque iniuriam ab illis propulsare: ita Dominus quoque in omnibus periculis & hostium impressionibus praestò tibi erit; pedemque tuum ne labatur, túque ea ratione capiaris, diligenter custodiet. Atque hoc summum est diuinae sapientiae beneficium, summaeque consolationis argumentum. Quis enim ab hoste non capiatur, si Deus illum non custodiat? Quis rursum ab hoste sibi metuat, si Deum custodem habeat? Habet autem omnis ille eiusmodi custodem, qui licet diuina sapientia vtcunque munitus sit, plus tamen tribuit Deo, quàm suis viribus, suaeque sapientiae.

27. *Noli prohibere benefacere eum qui potest: si vales, & ipse benefac.*

FIli, vt iam ante misericordiam & veritatem seriò tibi commendaui, ita nunc rursum te admoneo, &, quanta vi possum, abs te contendo, vt misericordiæ & veritatis opera pro facultatum ratione impigrè exerceas, piumque hoc studium, quantùm potes & vales, in aliis promoueas & excites. Neque vnquam ad eam amentiam pertrahi te sinas, vt eum qui alteri benignè facere vult & potest, à benefaciendi studio impedias; vel vt eleemosynam, quæ pauperi; aut debitum, quod creditori iure debetur, à legitimo suo domino prohibeas: quin vtrumque quantum vires permittunt, promouere & adiuuare contendas. Absit autem, inhumanum iniustumque quorumdam exemplum imiteris. Sunt namque qui vt suam auaritiam vel iniustitiam specioso aliquo titulo defendant; aliis auctores sunt vt perceptas vsuras restituant, vel aliquam pecuniæ summam in egenos vel alias pias causas erogent.

28. *Nec dicas amico tuo, Vade, & reuertere, & cras dabo tibi: cùm statim possis dare.*

NEque pauperi tantùm, quòd donare potes, dona fideliter, aliosque qui eâdem donationis lege tenentur, ad debitum iustum præstandum pro viribus inducas, verùm prompto quoque alacrique animo id facias. Quare si statim, quod pauperi, vel creditori debetur, exsoluere vales, ne dicas: amice abi, quod petis, modò præstare non possum, cras vel alio tempore reuertere, & dabo. Nam qui id dare differt, quod statim donare potest, omnem apud Deum & homines gratiam amittit: *Hilarem* namque *datorem diligit Deus*, protritumque vulgi sermone dictum est; *Bis eum dare, qui cito dat*. Ne ergò proximum opem tuam implorantem vana spe lactes, aut nimia dilatione diuexes; sed, quod in te est, euestigiò illum expedias. Qui enim dilationem in crastinum vsque prohibet, nullam ille moram concedit.

29. *Ne moliaris amico tuo malum, cùm ille in te habeat fiduciam.*

QVòd si amicum egentem opemque petentem amicitiæ lege salua repellere non licet; multò minus aliquid mali contra illum moliri, aut eumdem, si probus habetur, in aliquam improbitatis suspicionem temerè vocare; aut aliquid omnino verâ amicitiâ indignum committere licebit.

Caue proindè aduersus eum, qui tuâ fretus amicitia tecum habitat, aliquid machineris à vera amicitia alienum; aut opinionem, quam de te concepit, aliquando fallas. Nihil enim turpiùs videtur quàm eum lædere aut fallere, qui omnia bona sibi de te pollicetur, nihilq; mali de te suspicatur. Imo tantùm abest, vt talem offendere fas sit, vt etiam malum de eo suspicari nefas sit.

30. *Ne contendas aduersus hominem frustra, cùm ipse tibi nihil mali fecerit.*

CVm nullo mortalium, fili, si fieri potest, contentionem suscipias, si qua tamen necessitas aut publica vtilitas, aliquid eiusmodi exegerit, caue cum eo homine vllum omnino certamen ineas, aut publicam priuatamue concertationem exerceas, qui nullam offensionis, aut contentionis, aut damni causam tibi vnquam dedit, nullaque iniuria te lacessiuit. Nam cum omnis contentio & lis sit mala, & noxia, & probrosa, quæ citra iustam causam suscipitur, tùm illa maximè quæ insonti beneque merenti intenditur. Taceo id quod temere contra insontes suscipitur, in suscipientium caput persæpè recidere, magnoque illos damno afficere.

31. *Ne æmuleris hominem iniustum, nec imiteris vias eius.*

ET vt piorum hominum innocentiam in calumniam rapere, aut ea abuti nulli licet, neque citra grande periculum aliquid eiusmodi tentare cuiquam omnino fas est: ita tu ob impiorum prosperitatem, iustitiâ & innocentiâ desertâ, ad illorum impietatem te transferre nequaquam debes. Quamuis ergo homines impij, raptores, insontum oppressores, ceterique flagitijs publicisque sceleribus ex instituto dediti vulgò felices fortunatiq; habeantur; quippe quibus omnia ex animi sententia succedere videntur; tu tamen istiusmodi homines ne æmuleris, nequè illorum studia & impietatem consecteris. Quandoquidem viæ illorum sunt peruersæ, rectâque ad interitum abducunt.

32. *Quia abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.*

NEc existimes prosperitatem, quâ ad tempus potiuntur impij, à Domino esse; aut ex peculiari aliqua Dei Opt. Max. erga eiusmodi nequam homines beneuolentia proficisci. Tantum enim abest vt Deus peruersos illos desertores & impostores loco aliquo habeat, aut gratia aliqua complectatur, vt mera apud illum sit abominatio; nequè secus illos execretur

cretur atque fœtidum aliquod cadauer, aut purulentum aliquod vlcus. Neque enim illius conuersatio familiarisque consuetudo est cum impiis & illusoribus; sed cum rectis, simplicibus, & integris: his ille sua secreta pandit; cum his, vt amicus cum amico solet, familiariter agit; cum his versari pro deliciis habet.

33. *Egestas à Domino in domo impij: habitacula autem iustorum benedicentur.*

ET quia iusti perfectique viri Deo sunt perquàm familiares, fit, vt interior illorum domus, nempè illorum anima cœlesti benedictione repleatur, omnique virtutum & diuinorum charismatum genere cumuletur, & intima impiorum habitacula, eorundémque conscientiæ & corda rerum mortaliumque omnium sint pauperrima; & tam in hac præsenti, quàm in altera quoque vita longè miserrima. Imò tunc temporis multò pauperiora & miserabiliora apparebunt; quàm in præsenti rerum statu; vtpotè æternę miseriæ & inopiæ perpetuò mancipata. Sed neque interna tantùm Dei benedictione abundant iusti, sed sæpè etiam externa, hoc est opibus, honoribus, aliisque omnibus ad vitam honestè ciuiliterque sustentandam necessariis. Contra verò impij, raptores, insontumque oppressores in magna Dei maledictione, & egestate degunt. Nam etsi opibus nonnunquam affluant, adeóque fortunati, & diuites apud hominum vulgus habeantur, ea tamen opulentia non est ex Dei benedictione, sed ex furto, rapina, & iniquitate: cuiusmodi bona neque stabilia sunt, neque diuturna quoque: prout malè, & citò parta, malè & citò dilabi plerũque solent. Rarò enim ad tertiũ hæredem perueniunt, neque adducunt possessorem suum ad æternam fœlicitatem, sed ad sempiternam miseriam.

34. *Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.*

IN mortali hac vita homines, de quibus hîc sermo est, videntur aliquid esse. Quarè opibus, quibus affluunt, inflati, omnes derident, omnes præ se contemnunt, nullius admonitionem admittunt. Verùm non erit hîc fastus, hoc supercilium, hic mentis tumor perpetuus, sempérque sui similis. Nam qui in cœlis habitat, eiusmodi illusorum & sannionum fastum & supercilium mentísque tumorem subitò comprimet. Siquidem felicitatem illam, propter quam insolenter superbiebant, nullúmque formidabant vanam inanemque esse ostendet. Vel repentè illos in summam miseriam & inopiam

inopiam redigendo, quod sæpè fit; vel certè ex momentanea hac prosperitate per mortem abreptos, in æternam miseriam & calamitatem præcipitando. Verùm mansuetos & humiles, cuiusmodi inter ceteros sunt, qui impiorum felicitatem variasque iniurias iniustè illis illatas patienter tulerunt, peculiari fauore, & gratiâ prosequitur. Ipse enim est, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam.

35. *Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio, ignominia.*

IDem ille est, qui sapientes gloria & honore coronat, amplisque muniis & dignitatibus auget; stultorum arrogantiam & exaltationem deprimit, plenamque ignominiâ esse ostendit: nec immeritò. Nam vt stultorum cœtus multa per se probrosa, & turpia committit, aliorumque dicta, vel facta tametsi probro, & ignominia digna, inaniter sæpè extollit; ita Deus (quo hac ratione pœna noxæ respondeat) inanem illorum gloriationem, & exaltationem, quâ ad tempus hîc se exaltauerant, seseque extulerant, sicut ab aliis quoque præposterè exaltati fuerant, in probrum & ignominiam sempiternam conuertit, & interdum quoque in temporariam. Nam vt verè sapientes non in altera tantùm vita à Deo, cui seruiuerant, sempiternâ gloriâ donantur; sed in hac quoque vita non ab ipso, sapientiæ auctore tantùm; verùm ab hominibus quoque honorantur, & in precio habentur: ita ediuersò stulti & impij (pro ijsdem namque in hoc opere passim vsurpantur) non in altera solùm, sed in hac mortali & fluxa quoque vita sæpè ignominiâ afficiuntur.

AD CAPVT TERTIVM SCHOLIVM.

1. *Fili, ne obliuiscaris legis. &c* Per legem aut præcepta, quæ custodire & retinere iubet, morum doctrinam, eamque institutionem, quam probi parentes filiis prima ætate tradere & instillare solent, hoc loco intelligit.

2. *Longi-*

2. *Longitudinem dierum. &c.* Tria mercedis loco iis promittit, qui parentibus obediunt: quæ non modò iuuenibus, sed omnibus omnino hominibus apprimè cara esse consueuerunt, nimirum longam, tranquillam, & fortunatam vitam: verùm tria hæc in præsenti vita imperfectè obtinentur: in altera autem perfectè plenoque, vt dici solet, cornu. Sunt autem tria hæc ita inter se apta, vt vera fœlicitas constare nullâ ratione possit, si aliquod ex illis tribus desideretur.

3. *Misericordia & veritas. &c.* Hæc geminum sensum admittunt: alter (qui præcedenti contextui cohæret) est eiusmodi: Si legem & præcepta mea seruaueris, eaque gutturi tuo alligaueris, & in cordis tui tabulis scripseris, Dei misericordia & veritas numquam te deserent, hoc est certò seruaberis. Alter est, vt misericordia & veritas Dei nunquam non adsunt; ita te quoque nunquam deserant, verùm semper tibi ob corporis mentisque oculos obuersentur. Quid autem inter duo illa intersit non est omnino certum. Latini pleriique per *misericordiam* caritatis officia & opera bona accipiunt: Alij per *misericordiam* beneficia gratuita, per *veritatem* autem officia proximo debita intelligunt.

4. *Et inuenies gratiam. &c.* Assignat mercedem misericordiæ & veritati debitam, quæ est gratia & fauor apud Deum & homines, bonumque iudicium ad discernendum inter bonum & malum, rectum & obliquum. Contextus Hebræus effert illa per imperatiuum, habet enim: *Metsachen. Et inueni gratiam*, verùm imperatiuus sæpe vsurpatur pro futuro, & vice versâ.

5. *Habe fiduciam. &c.* Quæ hîc dicuntur ea omnia, ad animi modestiam & humilitatem spectant. Magnum enim superbiæ & arrogantiæ signum est, suis ipsius viribus, aut humano fauori & gratię nimium fidere, aut propriæ prudentiæ nimium inniti; neque enim aliud illud esse videtur, quàm se solùm sapere stultè existimare, adeoque nulli velle parêre. Modestiæ est autem apertæ fiduciam suam in Deum repositam habere, eundemque reuerenter timere, nec non in omnibus viis & actionibus præsentem cogitare; atque ideò peccatum omne, quod illi maximè displicet & aduersatur, studiosè vitare & declinare. Proponit hic autem ordine quattuor, aut quinque præcepta, quæ omnia ad religionem & pietatem pertinent. Primùm ex his est spes, ait enim. *Habe fiduciam in Deo*, non frigidè, aut tepidè, aut cum hæsitatione, sed toto corde totoque animo. Neque ad eum modum innitaris tuæ prudentiæ, vt diuinum auxilium excludas; sed diuinæ gratiæ & pro-

uidentiæ tuam operam & prudentiam adiungas, cum hæc illius pars existant. Secundum est fides; Agit enim de vera Dei cognitione, quæ non habetur, nequé haberi potest, citra fidem. *In omnibus viis tuis cogita illam*, inquit, eumdémque veluti omnium actionum nostrarum ducem, omniumque, & creaturarum conditorem & dominum agnosce. Quamobrem *ne sis sapiens apud te*, vel in oculis tuis, quod insignis superbiæ est argumentum: & hoc est tertium præceptum, de quo suprà multa dicta sunt, & multa suo postea loco adhuc dicentur. Vnum hoc solùm hîc addiderim, nempè sub hoc præcepto, caritatis quoque præceptum contineri; vt quæ timoris verique cultus Dei pars sit. Has autem fidei, spei & caritatis virtutes consequitur interioris hominis sanitas, atque ideo statim hîc subdit: *Sanitas erit vmbilico tuo, & irrigatio continget ossibus tuis*, hoc est, toti homini interiori, omnibusque eiusdem partibus benè erit: Siquidem per solidiores & meliores corporis partes designantur animi vires, virtutesque & habitus, per quos illæ sanantur, & perficiuntur.

9. *Honora Dominum de tua substantia. &c.* Hoc est quartum præceptum, de sacrificiis, primitiis, & oblationibus, quæ in Dei cultum & gratiarum actionem ex iis rebus offeruntur, quæ eiusdem Dei beneficio, vel ex terræ cultura vel alia quacumque functione, vel negotiatione obuenerunt. Commodè autem præceptum hoc subiicitur actibus fidei, spei, & caritatis, quia interni religionis actus externis naturaliter antecedunt. Inter externos autem sacrificium primatum obtinet. Nomine autem sacrificij id totùm hoc loco complectitur Sapiens quod in Dei cultum, vel pias causas, vel pauperum quoque eleemosynas erogatur. Modò tamen propter Deum erogetur. Siquidem hæc omnia sacrificium interdum appellantur, omniaque in eo conueniunt, quod facultates potiùs augeant, quàm extenuent, vndè hîc subditur: *& implebuntur horrea tua saturitate, & torcularia tua vino.*

11. *Disciplinam Domini. &c.* Hoc est quinctum præceptum, quod de patientia in rebus aduersis agit, ponitúrque hîc loco admodum opportuno. Nam vt illi, quibus nihil deest, facili negotio incidunt in superbiam: ita qui cum morbo, inopia, aut alia quacũque clade conflictantur, facilè, si imperfecti adhuc sunt, incidunt in impatientiam, aut aliquam animi deiectionem. Perfecti enim per eiusmodi flagella fortiores & sanctiores euadunt, vt patet de Iob, Tobia, & aliis innumeris. Disciplinam igitur, hoc est, correctionem, vel castigationem Domini ne abiicias, aut impatienter feras, fili; sed singularis beneficii loco habeas; quippe quæ magno argumento sint;

bono,

bono te loco apud Deum esse. Castigat is enim omnem, quem diligit, filium. Vel quò illum in humilitate exerceat, vel vt peccatum aliquod in illo puniat, vel certè vt meritum illius augeat, aliisque ex illo & per illum patientiæ exemplum præbeat.

13. *Beatus homo. &c.* Post tradita præcepta, quæ ad diuinam sapientiam viam muniunt, & erga Deum resque diuinas hominem rectè disponunt, subiungit diuinæ sapientiæ laudem, admirabilesque eiusdem vires & fructus. Porrò laus eius in eo præcipuè posita est, quod sola hominem verè beet, nihilque in mundo exstet, quod illum absque ea verè beare, aut cum illius dignitate conferri valeat. Atque hoc ad increatam Dei sapientiam, quæ Christus est, relatum, extra controuersiam est. Quin ad illam quoque, quæ diuinitus homini infunditur, translatum, nullum apud prudentes dubium habet. Quid enim sunt omnes mundi huius opes cum sapientia diuinitus infusa collatæ? Verùm hic sapientiæ thesaurus non omnibus obtingit, sed iis vel solis vel maximè, qui pietatis operibus Deum studiosè quærunt, qui aduersæ fortunæ fluctus æquo animo ferunt, qui à Deo flagellati non recalcitrant aut murmurant; sed gratias agunt, culpamque veluti peccatores deprecantur.

16. *Longitudo dierum. &c.* Hæc causam reddunt, cur sapientia diuina preciosis omnibus preciosior habeatur: Quia nimirum vna hæc non solùm longam beatamque vitam præstat, sed opes quoque & honores, & gloriam, & quæ cum his affinitatem habent. Ad hęc mundi huius opes & honores, neque longam, neque tranquillam adferre possunt, multò verò minùs immortalem: at sapientia vitæ iucunditatem & immortalitatem, animæ verò pacem & tranquillitatem, sempiternámque beatitudinem largitur. Paucis, sola sapientia omnia bona donat, & omnia mala profligat. Tribuit autem vitæ longitudinem dextræ, opes autem, & honores sinistrę; quia primùm, quod in hominis desiderium cadit, est vita longa & beata: proximùm, honores, opes, aliaque eiusmodi. Sicut primum omnium, quod homo maximè formidat, est iactura vitę, proximum, honoris, famę, & glorię amissio: postremùm, pecuniarum, damnum. Mystico sensu dextra & sinistra variè exponuntur, sunt qui per dextram accipiunt Christi diuinitatem, per sinistram eiusdem humanitatem. Alii per dextram designata volunt bona cœlestia, per sinistram pręsentis vitę commoda. Alij per dextram legis Euangelicę doctrinam, per sinistram legem Mosaicam. Alij aliud: siquidem symbolica illa latè patent.

17. *Viæ eius viæ pulcræ. &c.* Commodè hæc præcedentibus subnectuntur. Admonuerat namque Dei sapientiam verè beare: ad veram autem beatitudinem non solùm exigitur longa, & sana vita, opes itidem & honores; verum honesta quoque voluptas, animique pax, & tranquillitas. Quare, ait, viæ, hoc est studia, & actiones eius oblectant, omnesque illius semitæ sunt pacatæ, internaque & externâ pace plenæ. Constat hinc multùm intercedere inter diuinam & humanam sapientiam: hęc enim neque plenam pacem, neque honestam semper voluptatem adiunctam habet, neque vitam, neque salutem, neque vllam denique veram beatitudinem præstat: illa autem hæc omnia subministrat, quare rursum subiungit.

18. *Lignum vitæ est ijs. &c.* Per hæc sapientiæ vis & dignitas apertiùs adhuc explanatur, & amplificatur. Nam per hoc, quod arbori vitæ, quę erat in medio paradisi, comparatur, illud nobis per eam restitui manifestè significatur, quod per peccatũ Adami amiseramus. Imò verò salus per illam nobis præstari potiùs iudicatur, quàm per lignum vitæ. Hoc enim vitæ immortalitatem non prestabat, vt illa, sed longam tantùm & diuturnam vitam conferebat. Verùm hęc tanta non prestat sapientia creata (tametsi viam ad illa muniat) sed increata, quę Christus est, rerumque omnium molitor, & opifex est, quemadmodum sequentia clarè ostendunt.

19. *Dominus sapientia fundauit terram. &c.* Magna sunt, quę sapientiae hactenus tribuit, sed hęc multò sunt maiora. Commendat hic autem illam, non ex vi propria, neque ex peculiaribus beneficiis, quę generi nostro prestat; sed ex operum magnitudine & maiestate, quę Deus iam olim per illam fecit, & subinde adhuc facit. Inter quę principem ferè locum tenet cœlum & terra, quę in vniuersitatis medio non citra miraculum suspensa, in omne aeuum immota consistit.

20. *Sapientia illius. &c.* Per abyssos, & nubes, duo alia elementa insinuat, aquam nimirum, & aërem. Aut per abyssos fontes & flumina è terrae visceribus erumpentia. Per nubes autem, pluuiam vel rorem, quibus terrae superficies irrigatur & fœcundatur, designat. Vtcunque exponas per quatuor hęc tota rerum vniuersitas insinuata habetur.

21. *Fili mi, ne effluant. &c.* Monet, vt ea, quę de sapientia acceperat, perpetuò secum pertractet, animoque verset: tum vt non modò legis propositę, sed propriarum quoque cogitationum rationem habeat. Siquidem Deus, cui omnia patent, interiores quoque actus in iudicium adducere solet. Accedit quoque, quod prauæ cogitationes, nisi compescantur, ad prauũ

opus

opus præcipites trahant. Sunt tamen, qui locum hunc aliter exponant, propterea quod voces *Tehomaoth* & *Thusiah* latè pateant.

22. *Et erit vita. &c.* Percenset beneficia, quæ sapientia in præsenti vita cultoribus suis conferre consueuit. Si, inquit, sapientiæ monita, eiusdémq; consilia, & præcepta ritè obseruaueris, vitam, & animæ sensum prestabunt, decusque & ornamentum gutturi & collo tuo conciliabunt. Neque hæc tantùm, sed securitatem quoque viis, & actionibus tuis comparabunt, eamque tantam, vt siuè domi maneas, siuè peregrè agas, siuè vigiles, siuè somnum capias, siue aliud quodcumque tractes, nunquam sis impacturus aut in periculum aliquod prolapsurus. Ceterùm vt per somnum mortem, per vigiliam vitam vitalémue actionem; ita per peregrinationem, vitam in actione versantem; per domum autem, vitam contemplationi deditam rectè accipimus.

24. *Non timebis repentino. &c.* Aliis verbis & sententiis idem inculcat. Omnia enim huc tendunt, vt planum faciat sapientiæ cultorem ab omni malè tutum fore. Et primò quidem ea attingit, quæ accidere solent circa motum; mox ea, quæ circa quietem; postremò ea, quæ extrinsecus ab hostibus adferuntur. Verùm licet hęc tanta securitas obseruationis præceptorum merces existat, Dominus tamen est, qui eam prestat. Nisi enim Dominus hostem profligaret, nosque à lapsus periculo conseruaret, nulla legis obseruatio ab hoste, & lapsu tueri nos posset. Quare Sancti omnes totam spem suam in illum reiicere solent.

27. *Noli prohibere. &c.* Post eximias sapientiæ laudes, magnáque & illustria præmia, quae suis illa cultoribus in vtraq. vita impertiri solet, denuo ad id redit, quod ante tractare cęperat, nępè ad misericordię & veritatis opera. Proponit autem ordine quinque pręcepta, de ea caritate, quàm proximo debemus, eaque omnia negatiua, quò nimirum à facilioribus exordium fiat, faciliùs est enim à malo abstinere, quàm bonũ facere. Sed & legitimus ordo quoque exigit, vt à malis pœnae, à quibus sapientia patronos suos defendit, descensus fiat, ad pręcepta, quae malum culpae prohibent, ait ergò.

Noli prohibere. &c. Primùm hoc pręceptum duo membra continet. Monet enim filium, ne eos prohibeat aut impediat, qui alteri benefacere, volunt. Tum rursum, vt ipse etiam egentibus pro viribus opem ferat. Contextus Hebraeus vnum dumtaxat membrum habet, sonat enim: *Si fuerit facultas in manu tua, non prohibeas bonum à dominis suis*, hoc est ab iis, qui egent tali beneficio; sensus est: ne eleemosynam, quae pauperibus iure debetur,

apud te detineas, aut impedias, quin potiùs pro viribus promoueas atque procures. Secundùm hunc sensum monemur quoque ne rem alienam, inuito Domino apud nos detineamus, aut auctores vel consultores simus, vt alii detineant, aut ne restitutionem faciant.

28. *Ne dicas amico tuo. &c.* Vt primo præcepto cauebatur, ne beneficium debitum denegaretur aut prohiberetur; ita hoc secundo statuitur, ne nimium differatur, si tamen donandi, vel restituendi facultas suppetat, & hoc meritò: perdit enim omnem gratiam, quod citra causam differtur. Quarè Seneca pani lapidoso esurienti oblato morosum beneficium comparat.

29. *Ne moliaris. &c.* Prima amicitiæ vel beneuolentię pars est, amici votis, si adsit facultas, benignè gratificari, proxima, amicitiam integram conseruare, nihilque à vera amicitia alienum contra amicum machinari aut conari, aut de illo quoque suspicari. Verbum enim *Charosh* vtramque notionem admittit. Maximè verò contra eum, qui tuâ fide fretus, nihil mali de te suspicatur, quin potiùs omnia bona de te sibi pollicetur.

30. *Ne contendas. &c.* Hoc quarto pręcepto inhibet, ne insonti damnum vel iniuriam inferat. Sensus enim versiculi est. Etsi cum nullo omninò, si commodè fieri potest, sit contendendum, minimè tamen cum illo, qui nullam offensionis causam dedit, neque hinc tamen sequitur cum eo citra causam contendere licere, qui offendit. Sicut neque ex illo quoque, quod fido amico malum intendere, aut malum de illo suspicari non licet, rectè infertur, inimico malum intendere, aut malum de illo suspicari fas esse.

31. *Ne æmuleris. &c.* Hoc est quinctum praeceptum, quo duae internae actiones prohibentur: inuidia nimirum & praua voluntatis electio. Etenim vt piorum innocentia ad iniuriam nullo modo abuti debemus, ita nec improborum quoque impietatem aemulari, aut propter illorum prosperitatem virtutis studium deserere, & ad impiorum studia nos conferre debemus.

32. *Quia abominatio Domini. &c.* Prospero impiorum successui non inuidendum esse quatuor rationibus, quae ex dissimili iustorum, & iniustorum statu petuntur, probat. Coniungit autem primò inter se rectos, & peruersos: mox iustos, & iniustos: hinc mansuetos, & illusores: postremò stultos, & sapientes. Peruersi porrò, & recti vel simplices hoc inter sese discrepant: quod Deus peruersos execretur; cum rectis autem familiariter,

& quasi

& quasi domesticè agat. Iusti autem & iniusti: quod in horum aedibus versetur inopia & maledictio; in illorum verò habitaculo omnium rerum copia, & multiplex Dei benedictio. Illusores verò, & mansueti: quod hi apud Deum & homines sint grati & accepti; illi verò apud vtrosque aliud nihil, quàm merum ludibrium. Æquum est namque, vt, qui alios derident, ipsi vicissim ab aliis derideantur. Stulti tandem & sapientes: quod hi, quasi certam hæreditatem, sortiantur honorem & gloriam; illi contra dedecus & ignominiam. Atque hæc eorum est summa, quæ proximis quattuor versiculis traduntur.

PARAPHRASTICA
CAPITIS QVARTI EXPLANATIO.

1. *Audite filij disciplinam patris, & attendite: vt sciatis prudentiam.*

FIlij, non clam vobis est, primum ad sapientiam gradum sapientiæ desiderium esse: proximum, sapientiæ magistros de sapientia differentes libenter audire: supremum sapientiam ipsam pleno cornu haurire. Audite proindè eruditionem & disciplinam patris vestri, hoc est sapientiæ doctrinam, quàm hactenus tradidi, & in posterum traditurus sum; vt qui non minùs pro vestra omnium salute & eruditione sollicitus sim, quàm pater pro legitimo filio solet. Curate autem sedulò totique in hoc este, vt sciatis prudentiam, & intelligentiam, & ea, quę intelligentiæ sunt propria. Quandoquidem tota patris vestri doctrina & institutio (quæ non est alia à mea) haud aliò tendit, nec aliud quoque intendit, quàm vt hæc discatis, & explorata habeatis.

2. *Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis.*

NEque est quod doctrinam meam de falsitate, aut obscœnitate, aut quacumque vanitate suspectam habeatis: Tradam enim vobis (sicut hactenus quoque tradidi,) doctrinam bonam, & sanam, & ab omni veneno & vitio alienam, adeoque donum apprimè illustre. Non enim parui momenti res est orthodoxa & sana doctrina. Quapropter ad vnum omnes sedulam nauate operam, ne leges, & documenta, quæ de morum doctrina, veraque sapientia iam ante proposui & posthac propositurus sum; aut obli-

uioni

uioni tradatis, aut parui quoque faciatis; quin fidâ potiùs memoriâ retentam, in vsum & praxim primâ oblatâ occasione deducere contendatis.

3. *Nam & ego filius fui patris mei, tenellus & vnigenitus coram matre mea.*

NEque est rursum quod quis causetur ætatis infirmitatem, aut discendi difficultatem, aut operandi impotentiam, aut meam imperitiam, aut rei denique nouitatem. Nam cùm puer adhuc tenellus in ædibus paternis ætatem agerem; neque secus atque vnicus filius in deliciis apud matrem essem, à sapientissimo patre meo Dauide in diuina sapientia accuratissimè institutus sum; neque enim illum, aut ætatis meæ imbecillitas, aut delicata corporis constitutio, aut matris indulgentia ab erudiendi officio absterrebat; neque me quoque ista à discendi labore arcebant, aut multum quoque impediebant. Sed neque pater tantùm in tenella illa ætate in pietate & timore Dei, & aliis sapientiæ præceptis me instituebat, sed mater quoque piæ prudentisque matronæ officium haud negligebat. Quæ autem tum temporis ex parentibus, præcipuè verò à patre audiebam, eiusmodi erant.

4. *Et docebat me, atque dicebat, Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & viues.*

FIli, inquiebat parens, *suscipiat verba mea cor tuum*; Neque enim sat est, vt aure tenus illa percipias; verum, vt cor totũ, totumque animum tuum ad illa adiungas, rei grauitas postulat. Neque cor tuum mea verba meaque præcepta & documenta tantùm suscipiat; sed fideliter quoque, ne memoria excidant, illa custodiat atque sustentet. Quod si istud præstiteris, vitam in hoc sæculo viues fœlicem maximeque diuturnam: tum sempiternam quoque & bonis omnibus affluentem in altera.

5. *Posside sapientiam, posside prudentiam, ne obliuiscaris, neque declines à verbis oris mei.*

6. *Ne dimittas eam, & custodiet te, dilige eam & conseruabit te.*

CVm igitur tantæ virtutis tantæque energiæ sint verba & præcepta sapientiæ; tu præ ceteris omnibus eme sapientiam & posside intelligentiam, eamque caris & preciosis omnibus cariorem & preciosiorem ducas; neque vllum laborem aut molestiam illius comparandæ causa detrectes; comparatamque firmiter constanterque retinere & exercere studeas. Neque ab oris mei eloquiis, quæ veram sapientiam continent, vel latum

vnguem

vnguem deflectas. Ne eam deseras aut parare intermittas, & custodiet te. Quocumque tandem in loco aut statu verseris, illam tanquam preciosissimum thesaurum dilige, & ex animo complectere; & ipsa vicissim amabit & conseruabit te.

7. Principium sapientiæ, posside sapientiam, & in omni possessione tua acquire prudentiam.

SVnt qui coaceruandis opibus die noctuque incumbunt: Alij, vt suis voluptatibus fiat satis, nullum laborem, nullumque studium subterfugiunt. Nonnulli vulgi rumoribus audiendis, fauoríque eiusdem captando toto conatu intenti sunt. Tu verò omnibus antepone sapientiæ acquisitionē, tutamque eiusdem possessionem; nequè omnia, quæ possidescum, ea sola commutare ambigas, vel, vt eam acquiras, insumere dubites. Est enim illa margarita illa Euangelica, ob cuius adeptionem omnia vendere monemur; vt quę vnionibus omnibus innumeris partibus præstet. Nam etsi summi orbis monarchæ donum sit, attamen sine labore, & vigilia non obtinetur; nequè omnibus promiscuè obtingit, sed quærentibus & diligentibus. Et vt omni possessioni & thesauro anteponere debes sapientiam; ita omnibus quoque, quæ possides, anteponere iuberis intelligentiam; curaréque, vt inter alias opes & possessiones tuas, hanc quoque obtineas; neque quidquam vnquam facias, aut dicas, quòd à vera intelligentia alienum existat.

8. Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus.

9. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.

QVidquid ergò alii faciant, tu amplectere & exalta sapientiam: tu omnibus bonis, & honoribus antepone illam: per labores, sumptus, vigilias, aliaque eiusmodi, nihil in rerum vniuersitate, exstare quod cum illius precio, valore, & dignitate conferri queat, ostende. Quia quantùm illam honoraueris & æstimaueris, tantùm tu vicissim honoris & æstimationis ab illa consequêre. Neque vulgaribus honoribus te cumulabit, sed summis planéque regiis. Enimuerò si eam, vt par est, complexus fueris, singularem capiti tuo gratiam adiunget, hoc est, apud omnes, non secus amabilem & gratiosum te reddet, ac si regio diademate redimitus incederes. Tu igitur exalta illam, & ab illa vicissim exaltaberis dilige illam, & diligeris ab illa: amplectere illam, & amplexaberis ab illa.

10. *Audi, fili mi, & suscipe verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitæ.*

EIusmodi ferè fuêre, fili, quæ, cùm puer adhuc essem, à patre meo hausi, tu quoque vel meo exemplo, vel rei magnitudine, vel doctrinæ vtilitate prouocatus, mea verba, mea consilia, meaque præcepta audi, cordique tuo imprime; & quæ de moribus, & sapientia hîc trado studiosè complectere; quô hac ratione diu viuas; vitâque longâ perfunctus ad vitam sempiternam hinc tandem emigres. Nam, vt supra audiuisti, vitæ longitudo in sapientiæ dextra est posita, opes autem & gloria in sinistra eiusdem. Neque tamen si anni eiusmodi multi fuerint, molesti erunt quoque: non enim mortis anni erunt, hoc est tristes, calamitosi, miseriisque referti, sed anni vitæ, læti nimirum & iucundi, omnique amœnitate, & honesta voluptate referti.

11. *Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis.*

12. *Quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.*

NEc est vt hoc loco mihi obiicias, fili, lubenter virtutis & sapientiæ viam sequerer, si quem, qui eiusmodi viam mihi ostenderet, aut per directas semitas ad illam me duceret, mihique, ne caderem, assisteret, ad manum haberem. Sed & viæ quoque, quæ huc tendit, angustia & asperitas plurimum me terrent; metuo namque, si per eam currere incæpero, ne grauiter impingam, plusque adeo incommodi, quàm commodi, ex eo labore referam. Siquidem iam ante per sapientiæ viam incedere te docui, rectasque semitas tibi ostendi. Quod si necdum satis tibi instructus videris, age dum sapientiæ vias denuo tibi monstrabo; & per planas æquitatis semitas rectâ ad illam te ducam. Quas vbi seriò semel ingressus fueris, gressus tui nequaquam arctabuntur, aut pedes offendent, etiamsi currere, non etiam pedetentim incedere visum fuerit. Dicitur sanè virtutis via præceps, & arcta, sed hoc initio tantum locum habet. Qui enim aliquotenus iam progressus est, vel nullam vel exiguam difficultatem experitur.

13. *Tene disciplinam, ne dimittas eam, custodi illam, quia ipsa est via tua.*

AT enim ne frustra in via hac curras, insumptique laboris iacturam facias, apprehende disciplinam, apprehensamq; ne effluat, fortiter tene. Quandoquidem retenta, gressus tuos, cùm per virtutis & sapientiæ semitas iter feceris, prosperè diriget, vitamque præstabit, non hanc momentaneam & fluxam tantum; verùm (quod multò præstabilius est) alteram illam felicem & sempiternam quoque.

14. *Ne delectetur in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via.*

15. *Fuge ab ea, nec transeas per illam, declina & desere eam.*

NOn deerunt sanè, qui impiorum vias & studia multis tibi nominibus commendabunt. Verùm tu illis ne acquiescas, neque ita dementari te sinas, vt vitam illorum imitatione dignam aliquando putes; aut per quorumcumque sceleratorum hominum semitam incedere in animum quandoque inducas. Quod si casu obuiam venerint, omnia illorum itinera & vias declines, etsi potes, alio deflectas; si autem non potes, citò pertranseas. Nam primus sanitatis & sapientiæ gradus est, per improborum semitas non ambulare: proximus, si fortè in eas incideris, pedem hîc non figere: vltimus omne illorum consortium, veluti pestem sæuamque contagionem diligentissimè vitare, qualescumque tandem impiorum appellatione designatos hoc loco existimes.

16. *Non enim dormiunt nisi malefecerint: & non rapitur somnus ab eis nisi supplantauerint.*

17. *Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.*

ENimuerò vsque adeò nequitiæ, & improbitati sese dedunt, tantoque ardore ad quæuis scelera patranda feruntur, vt prius dormire non queant, quam facinus aliquod designarint; neque somnum capiant, nisi aliquem trucidarint, aut spoliarint, aut aliquâ aliâ clade affecerint. Nam vt alii pane & vino; ita illi scelere & iniquitate pascuntur, hoc est, tantam illi voluptatem capiunt ex maleficiis, quae perpetrant, quantã alii è delicatissimis escis. Vel certè comedunt panem impietatis, & bibunt vinum iniquitatis, quia non aliundè sese sustentant, quã ex rapinis, furtis & latrociniis. Ad

quæ ſcelera patranda, quod nox opportunior habeatur, totas ſæpè noctes inſomnes ducunt. Neque mirum ſanè ſi fures & latrones noctu vigilent, cùm auaritiæ, vel luxui, vel ambitioni, vel alteri cuicumque vitio ex inſtituto addicti, totos nonnumquam dies noctesque tranſigant, animo continuo verſantes, quâ ratione voti compotes euadere valeant.

18. *Iuſtorum autem ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectam diem.*

19. *Via impiorum tenebroſa: neſciunt vbi corruant.*

MVltum proindè inter iuſtorum & impiorum viam intercedit. Semita iuſtorum eſt ſimilis naſcenti luci: Quandoquidem vt lux ſolis vel alteriùs cuiuſcunque aſtri ab horizonte ſenſim aſcendit & creſcit, donec tandem ad ſummam claritatem perueniat, plagæque meridionalis punctum attingat; ita iuſti quoque tantiſper creſcunt, deque virtute in virtutē progrediuntur, donec ad lucem, quæ veſperam neſcit, perducantur. At impiorum viæ nocturnis tenebris perquàm ſimiles ſunt. Vt enim nox, quò longius à diei luce recedit, eò fit obſcurior & caliginoſior; ita impiorum viæ, quò remotius à veritatis luce, quæ Chriſtus eſt, abſcedunt, eò obſcuriores tætrioresque fiunt. Tandem tantâ peccatorum caligine obducuntur, vt miſeri, quò vadant, non intelligant; & grauiter ibi ſæpè impingant, vbi maximè ſeſe tutò incedere arbitrabantur. Eſt enim impiorum via tametſi plana, tuta ac iucunda illis videatur, aſpera periculisque & miſeriis plena.

20. *Fili mi, auſculta ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam.*

FIli, (quem iterum iterumque parturio, totoque animo verâ illâ ſapientiâ Dei imbutum deſidero; adeóque aliis atque aliis verbis eadem ſubindè repeto atque inculco; vt quod primâ vel ſecundâ admonitione non effeci, tertiâ ſaltem, aut quartâ, vel etiam quinctâ efficiam) attende ſermonibus, quos hactenus à me accepiſti, tum ceteris quoque, quos in poſterum es accepturus; *& inclina aurem tuam ad eloquia mea*, hoc eſt non obiter, aut animo nauſeabundo ea excipias, ſed totâ mentis deuotione animique attentione.

Ne

21. *Ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui.*
22. *Vita enim sunt inuenientibus ea, & vniuersæ carnis sanitas.*

NEque his contentus, quæ ex me accepisti & didicisti, ea omni tempore tecum pertractes; neque à mentis tuæ oculis vnquam recedere permittas. Ne autem illa effluant aut dilabantur, in intimo cordis tui recessu illa reconde, assiduaque meditatione, & exercitatione menti tuæ firmiter insculpe: Siquidem tanta est naturæ nostræ infirmitas, tanta memoriæ labilitas & infidelitas, tanta denique externarum imaginum, quæ vi quadam sese intrudunt, diuersitas & multitudo, vt summo opus sit studio & conatu, vt piarum rerum speciem aliquatenus retineas. Debet autem hic conatus eò maior, eóque intensior esse, quò fructus, qui ex sapientiæ studio & vsu emergit, est certior & cumulatior. Etenim sapientiæ præcepta fideliter hausta, opereque exercitata, non animo tantùm, aut corpori solùm; sed vtrique parti simul mirificè prosunt; imò vero toti homini plurimùm conducunt. Sunt enim vita illis, qui indefessè quærũt quæsitaque inueniunt. Sunt rursum sanitas & medicina vniuersæ carni, totique homini. Efficit hoc autẽ sapiẽtia per virtutes morales, maximè verò per temperantiã. Hæc enim non tantùm circa cibum, & potum, & Venerem modum præscribit sapienti, verùm etiam circa omnes alios immoderatos animi affectus, quæ omnia multorum morborum & ægritudinum causa sæpè existunt.

23. *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.*

VErùm ne hæc animæ & corporis sanitas alicundè impediatur, omni curâ & diligentiâ custodi cor tuum; ex hoc vno namque omnis fluit motus & sensus, omnisque origo & progressus vitæ; adeoque si hoc languet aut malè alioquin affectum est, cetera omnia langueant maleque habeant necessum est. Iam quod in animantis corpore est cor, hoc in animæ regno est voluntas. Hæc itaque nisi sit sana, integra, & recta, nulla hominis actio poterit esse studiosa, aut cum virtute coniuncta; etiamsi extrinsecus aliquam bonitatis vel probitatis speciem præ se ferre videatur. Siquidem cum mentis oculus est nequam, totum corpus, Christo teste, censetur tenebrosum. Debet autem voluntas, aut cor hominis eò accuratiùs custodiri, quò naturâ suâ ad malum est pronius, quóque ex illius sanitate plura maioraque commoda; ex eiusdem rursum ægritudine plura dependent incommoda, & quò tandem pluribus patet hostium dolis atque insidiis. Nam diabolus tanquam leo rugiens circuit, prædamque, quàm deuoret, quærit; &

mundus multis magnisque tentationibus, & laqueis plenus existit, & caro ad peccatum solicitare, & prouocare numquam desinit. Qui ergo in vtroque homine sanus viuere desiderat, magnâ illi opus est curâ cordisque custodiâ.

24. *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.*

ET quia nihil est in corde vel mente, quod in aliquo externo sensu ante non exstiterit, magnum operæ est precium, fili, vt reliquarum quoque partium, per quas venenum in cor dilabi transfundique solet, diligentem curam habeas. Antè omnia autem, omnem prorsus oris peruersitatem, linguæque, cùm priuatæ tum alienæ quoque iniquitatem abs te submoueas. Quemadmodum ergò totus in hoc esse debes, vt sermonem tuum eâ prudentiâ & moderatione instituas; ne quemquam omninò offendas, aut famam alicuius lædas; ita labiis illorum, qui aliorum famam proscindunt, absentumque vitam clamculum rodunt, nullum apud te locum indulgeas; quin potiùs eiusmodi homines mordaces procul, tanquam rabidos canes, abs te abigas; potissimum tamen tuæ ipsius linguę rationem habeas, peculiaréque studium eam in rem ponas, non ob id tantùm, quod lingua cor proprium grauiter saepè vulneret, atque contaminet; verùm etiam quod aliis quoque, si incautior vel liberior, quàm par erat, fuerit, magna saepè detrimenta & damna conciliet.

25. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.*

SEd neque lingua tantùm sit recta & sana (ita vt neminem laedat, nemi-nem offendat, nullum damno afficiat) verùm oculi tui ad eum quoque modum sint compositi, vt non huc illucque quasi in incertum vagentur; verùm in directum, siue in id, quod ex aduerso situm est, rectâ ferantur. Ea autem, quæ ad rem non faciunt, vel à fine menti proposito aliena sunt, missa faciant, vel obiter tantùm respiciant. Pari modo palpebræ tuæ viam ante te obseruent, eandemque, ne in aliquod præcipitium te abducant, dirigant. Vt, inquam, externus oculus primò in id ferri solet, quod è regione positum est; mox verò in scopum sibi præfixum gressum dirigit; postremò autem ad ea, quæ circumstant, si opus id fuerit, sese deflectit: ita tu mentis oculo primò quidem feraris in finem, tanquam in scopum ex aduerso situm; deindè verò in media, quæ coram te habes, siuè quæ in tua potestate sunt posita; postremò autem, si necessitas postulat, ad externa interiorem visum con-

connerte. Neque tantùm in consideratione hunc te ordinem obseruare conuenit; verùm etiam in opere & executione. Aliquid proindè operis ingressurus expende, sitne honestum, legíque & rationi consentaneũ: mox, sitne boni exempli, vel estne aliquid, quod impediat aut dissuadeat: tandem possítne per hæc, vel illa media fieri, aut rectiùs fieri? Rectum denique videbis, si primum spectes cœlestia animæque salutaria: hinc ea quæ ad proximi salutem faciunt: postremò autem, quæ corpori, vt viuat, suumque officium faciat, vtilia vel necessaria sunt.

26. Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur.

VErùm quòd hoc de externis actionibus & operibus iudicium, ex interiori animi constitutione, & affectione præcipuè nascatur, indeque dependeat, diligenter pedum tuorum semitas expende, hoc est in omnibus, quæ aggredi decreuisti, ad similitudinem illius, qui iter explorat, & quò eundum vel deflectendum sit inuestigat, pedis affectusque tui viam pondera, tuasque cogitationes, veluti in bilance positas trutina, vnamque cum altera committe atque expende, & meliorem vel expeditiorem minus bonæ, vel minus expeditæ antepone. Quod si ita feceris, omnes viæ omnesque actiones tuæ in omnibus dirigentur, prosperéque succedent. Caue autem animi tui affectibus nimium indulgeas, verùm quò tendant, quóue te rapiant aut inuitent, iterum iterumque considera. Caue autem à recta linea, in qua virtus consistit, dextram vel sinistram versus nimium te impellant, hoc est, per defectum, vel excessum in aliquod peccatum, aut vitium præcipitem te trahant. Nam quicumque pes à medio, in quo virtus sedem suam collocatam habet, ad sinistrum sese auertit, in malum, & vitium aliquod necessariò impingit.

27. Ne declines ad dextram neque ad sinistram: auerte pedem tuum à malo. Vias enim quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ verò sunt quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciat cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

NOuit sanè Dominus & approbat vias dextras, totumquè illud, quòd cum virtute coniunctum est: sicut ediuersò odit, & detestatur vias sinistras, hoc est, vitium & peccatum, totumque illud quod improbationem iurè meretur. Interim aliud est vias, quae à dextris sunt agnoscere & approbare; aliud à medio dextram versus deflectere. Hoc enim cum vitio, illud cum virtute coniunctum est; hoc laudem, illud vituperationem meretur.

Quare

Quare Dominus per Salomonem non prohibet, ne quis in dextra, vel ad dextram ambulet, sed ne in medio constitutus, in alterutram partem deflectat. Ille autem à medio ad dextram declinat, qui à virtute ad vitium transit, cuiusmodi, exempli causa, is dici potest, qui bona opera, quæ facit, sibi suæue virtuti, non Deo tribuit; aut qui diuinæ gratiæ omnia admetitur, libero autem arbitrio nihil quidquam: aut versa vice, qui libero arbitrio omnia adscribit, diuinæ autem gratiæ nihil penitus.

Neque causeris hîc iam & dicas; non deest voluntas sectandi rectas sapientię vias, sed nulla adest facultas. Nam vt vires sunt infirmae, & laborum pondus graue, & hostes acres, & alia praeterea multa desunt; siquidem non est hoc opus tuarum virium, sed miserationum Dei. Ipse *itinera tua in pace producet*, eumque in modum omnia consilia, opera, & cogitata tua moderabitur, vt nihil occursurum sit, quod mentis tuae pacem, & tranquillitatem interturbet; nihil quod conatum tuum (conatum enim diuinae gratiae adiungere debes) remoretur aut impediat.

AD CAPVT QVARTVM SCHOLIVM.

2. *Donum bonum tribuam vobis. &c.* Reddit rationem, cur doctrinam paternam studiosè audire, religioséque seruare debeant omnes; quia nimirum est doctrina pura, & ab errore libera, & ad comparandam sapientiam, vitamque beatam, instrumentum apprimè idoneum.

3. *Nam & ego filius fui. &c.* Hæc alia est ratio cur hanc doctrinam auidè audire, studioséque retinere debeant, quia nimirum non ab homine vulgari, sed à viro erudito, longâque experientiâ edocto magistro traditur; nempè ab eo, qui à prima aetate à sapientissimo & sanctissimo Propheta Dauide in Dei sapientia accuratissimè fuerat institutus, & in lege Domini à parentibus quàm diligentissimè eruditus.

4. *Et docebat me. &c.* Primùm doctrinae caput & quasi fundamentum est auidè, non auribus tantùm, sed corde quoque & animo audire, quae traduntur. Quare primùm quoque, quod Dauid pater à Salamone exige-

bat, erat

bat erat, vt verba eius corde ſimul & animo exciperet: proximum, vt præcepta illius, ſi modò viuere vellet, cuſtodiret: poſtremùm, vt eius rei cauſâ nullum laborem detrectaret, nullis ſumptibus parceret, hoc enim ſonant verba illa *poſside, eme, compara, &c.* ſapientiam & prudentiam, nam vna vox Hebræa *Kenech* hæc omnia ſignificat. Ceterùm Iudæi per ſapientiam quæ hîc parari iubetur, intelligunt legem populo ex Ægypto profecto traditam, nos rectiùs transferimus ad Euangelij doctrinam. Hæc enim eſt precioſa illa margarita, quam diuenditis omnibus comparare iubemur.

7. *Principium ſapientiæ, poſside ſapientiam. &c.* Locus præſens nonnihil difficultatis habet, quare non vno quoquè modo, aut ſenſu exponi ſolet. Quidam ita reddunt: Ante omnem aliam notitiam, omnemque aliam gazam, quam homines conſectari conſueuerunt, tu compara ſapientiam. Alij: Antè illi ſapientiæ, quæ in morum diſciplina, vitæque integritate conſiſtit; operam naua, quàm eam inquiras, quæ in diuinarum rerum cognitione, & contemplatione poſita eſt. Alii rurſum: Ne priùs ſapientiam profiteâre, quàm ab aliis illam hauſeris. Oportet enim priùs diſcas, ac tùm demùm alios doceas. Alij denique: Magnifacere ſapientiam, eamque rebus omnibus anteferre, ſapientiæ comparandæ initium eſt minimè vulgare. quaſi dicat: Amare ſapientiam, aut velle poſſidere ſapientiam, initium eſt ſapientiæ. Venare itaque, & inquire ſapientiam, & quæcumque in bonis habes, pro intelligentia illius impendere ne dubites.

8. *Exalta ſapientiam, & exaltabit te. &c.* Senſus horum verſiculorum facilis eſt. Significatur enim, qui ſapientiam honorant, tantique illam æſtimant, vt omnibus opibus illam anteponant, omnesque labores & ſumptus illius cauſa contemnunt, eos viciſſim ab illa honorari, nec non ad magnos honores & dignitates per illam euehi. Vox *Malmelecha* quàm noſter interpres reddidit verbo *arripe*, inter ceteros ſonat etiam, *iter ſterne illi*, vel, *viam muni ad illam.* Chaldæi legunt *Chanibera, Dilige*, vel *complectere illam.* Verùm tendunt hæc omnia eódem ferè.

10. *Audi, fili, & ſuſcipe. &c.* Expoſita patris ſententia (ea enim hucusque porrecta exiſtimatur.) Sapiens ad inſtitutum ſcopumque propoſitum denuò redit, nempè ad ſtudium ſapientiæ iterùm iterúmque inculcandum. Facit id autem aliis & aliis verbis frequenter, quò nimirùm planum hinc fiat, rem, de qua ſermo eſt, magni eſſe momenti, ſimulque oſtendat perdifficilè eſſe homini iuueni, laxiori vitæ inſtituto aſſueto, ſtultitiâ vitiorumque viâ relictâ, virtutis ſapientiæque viam amplecti, præſertim inter tot

impedimenta: nam & natura est infirma, & ad carnis illecebras propensa & vitiorum incitamenta exstant plurima, & exempla praua nusquam non sunt obuia, & praua denique consilia nunquam desunt, ait ergo: Fili, suscipe, & cordi tuo imprime verba mea, meaque monita atque præcepta complectere, vt diu viuas, & iucundè viuas.

11. *Viam sapientiæ monstrabo. &c.* Occurrit hic tacitæ obiectioni, quam iuuenis, quem hic instituendum suscepit, facere poterat. Poterat enim allegare sapientiæ virtutisque viam duram, ignotam, periculosam, multisque aliis incommodis obsepram esse, adeoque se eam ingredi non audere. Ad hæc autem Sapiens: Fili, nihil horum metuas, ego itineris ducem me tibi præbebo; ego per viam planam & amœnam te ducam. &c. Vocat autem virtutis, & sapientiæ viam planam & lætam, quia talis ferè est sub finem. Nam initio quâdam asperitate non caret; tum etiam quia nullum adfert incommodum, aut nocumentum, vt vitiorum viæ solent.

13. *Tene disciplinam. &c.* Quandoquidem sunt nonnulli, qui virtutis viam alacriter ingrediuntur, sed postea propter rei difficultatem, quàm imaginantur, desistunt; hortatur hic filium, vt viam cœptam constanter persequatur. Quò autem alacriùs illud faciat, promittit illi vtriusque vitæ felicitatem. Vox Hebræa *Hachazek* sonat, *firmeris, potensque & robustus esto in disciplina & eruditione*, quò nimirum hæreticis & aduersarijs, qui acriter te fortè impugnaturi sunt, obsistere valeas.

14. *Ne delecteris in semitis. &c* Per impiorum semitas prauas opiniones, corruptæque doctrinæ & morum homines insinuat. Horum namque consuetudo iuuenibus est perniciosissima, & periculosissima. Quarè & hic, & alibi passim hortatur, vt omni angue peius eam vitent, tantóque studio ab eiusmodi hominum commercio abstineant, vt ne per viam quidem cum illis incedere; aut quouis modò iisdem occurrere velint. Nam coitio & occursus, vt conueniendi occasionem, ita veneni quoque infundendi & peruertendi ansam offerunt.

16. *Non enim dormiunt. &c.* Redditur per hæc ratio, cur modis omnibus à sceleratorum hominum consuetudine abstinendum sit. Ea autem est ardens destinatumque nocendi, deprauandi, perdendique studium. Etenim vt alij pascuntur cibo, potu, somno, aliisque similibus; ita illi maleficiis & facinoribus. Et quia nox ad illa patranda commodior habetur, fit, vt vigilias somno anteferant, adeoque noctes totas insomnes

frequen-

frequenter ducant. Habétque id locum in omni omnino vitiorum genere, ad quæ quiſpiam ex animi inſtituto fertur.

18. *Iuſtorum autem ſemita. &c.* Aſſignare videtur diſcrimen inter vitam iuſtorum & impiorum: Etenim iuſtorum vita haud abſimilis eſt auroræ; nam vt hęc lux paulatim creſcit, donec tandem perueniat ad ſummam claritatem, hoc eſt, ad meridionalem; ita quoque iuſti de virtute ad virtutem procedunt, donec tandem ad diem illam perueniunt, quæ noctem non habet. Verum impiorum vita nocturnis tenebris ſimilis eſt; nam vt hæ obſcurę & caliginoſæ ſunt, vt, qui in illis gradiuntur, grauiter identidem impingant (neque enim vbi vadant ſatis intelligunt) ita etiam impij de vno peccato in aliud, de vno errore in alium prolabuntur.

20. *Fili mi, auſculta. &c.* Alia rurſum præcepta filio traditurus, ad attentionem & diligentiam denuo excitat illum. Monet autem vt & aures, & oculos, & cor ipſum, hoc eſt, ſe totum ad hauriendum & retinendum componat. *Auſculta*, inquit, *ſermones meos, & inclina aurem tuam ad eloquia mea. Cuſtodi illa in medio cordis, neque vnquam ab oculis tuis ea recedere ſinas.* Quãdoquidem ea ſola tantæ ſunt virtutis, tantæque energiæ, vt & vitam præbeant viuentibus, & ſanitatem omni carni, hoc eſt, toti homini. Siquidem ex bona animi conſtitutione multa ſæpè corporis vitia ſanantur; quippè cum plurimi corporis morbi ex animæ morbis ortum trahant.

23. *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum. &c.* Iam verba & ſenſa, ad quæ, & aures, & oculos, & cor ipſum vult eſſe intenta, ſubiicit. Sunt autem illa quattuor aut quinque ſalutaria documenta: horum primum eſt, vt omni diligentiâ & curâ cuſtodiat cor ſuum, propterea quod ex ea cura vita ipſa dependeat. per *Cor* autem voluntatem vel mentem ipſam accipit, quæ variis hoſtibus & tentationibus patet. Nam & diabolus, & caro, & mundus tentant, & multæ magnæque inſidiæ nuſquam non oppugnant, mortémque intentant, atque ita ne capiaris, magnâ opus eſt diligentiâ.

24. *Remoue abs te os prauum. &c.* Hoc eſt aliud præceptum ad oris cuſtodiam ſermoníſque moderationem ſpectans. Nam etſi, quod hic dicitur, ad alios referri queat, rectiùs tamen ad propriam linguam refertur. Eſt enim ars non parua linguam moderari noſſe, eúmque in módum illam cuſtodire, vt non impingat, neque proximum, neque auctorem ſuum vulneret.

25. *Oculi tui rectâ videant. &c.* Præcepto de corde & lingua tradito, addit nunc aliud de oculorum cura & custodia: Siquidem per illos malè custoditos mors non minùs ingreditur in animam, quàm per aures & alios sensus, imò magis. Quod autem de oculis carnis hîc docetur, id ad mentis oculos rectè quoque refertur. Vt igitur illi iubentur rectâ tueri, & non vagari, vel peregrinari; ita isti rectâ contendere ad finem, mox ad media, postremò ad alia.

26. *Dirige semitas pedibus tuis. &c.* Hoc præceptum ad motum & gressum pertinet, simulque ad animalis affectus moderationem, & compositionem. Siquidem is per gressus significari solet. Nam vt homo pedibus, ita anima affectibus mouetur. Vtrique igitur sunt continendi, & pedes corporis, & affectus animi, ne exorbitent, aut aliquid, quod cum ratione pugnet, designent.

27. *Non declines ad dextram. &c.* Per hæc explicatur quo modo pedes gressus suos moderari debeant. Moderatio enim hæc in eo posita est, ne declinent ad dextram aut sinistram; sed per medium, in quo virtus consistit, incedant. Vitium enim omne designatur per defectum vel excessum: per dextram & sinistram accipere quoque licet prospera & aduersa; amicorum fauorem & inimicorum persecutionem. Per dextram denique designantur virtutes, per sinistram vitia. Quare Dominus hanc improbat & damnat, illam verò approbat.

28. *Ipse autem rectos faciet. &c.* Occurrit tacitæ obiectioni; poterat enim quispiam dicere; lubenter sequerer semitas rectas, officiumque facerem, sed metuo, ne labori par sim; nam et vires sunt exiguæ, & labor arduus, & hostes multi. Ad hæc ille: nihil metuas, Dominus aderit, Dominus dux & adiutor tuus erit. &c.

PARA-

PARAPHRASTICA CAPITIS QVINCTI EXPLANATIO.

1. *Fili mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam.*

QVanta pericula, fili mi, à sceleratorum hominum commercio infirmiori ætati impendeant, prolixè exposui; at non minora imò verò multò maiora ab impudicarum mulierum consortio eidem impendêre certò tibi persuadeas. Quamobrem, vt contra impiorum hominum fraudes, & imposturas multis iam ante argumentis & rationibus te muniui, ita nunc contra improbarum mulierum blanditias & dolos te instruere institui. Tu proindè ad doctrinam & sapientiam, quam ea de re tradam, attende, & ad intelligentiam meam aurem adiunge, hoc est, ad consilia & documenta, quæ non absque sapientia & intelligentia aduersus meretricios æstus & fraudes tibi suggesturus sum, promptè alacriterque aduerte.

2. *Vt custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent.*

QVòd autem primarium & quasi ostium ad sapientiam est, omni cura & diligentia ab obscenis rerum imaginibus custodi cor tuum. Quandoquidem immundi cogitatus omnium flagitiorum sunt radix & origo. Nec tantùm accuratam cogitationum rationem habeas, verùm etiam verborum. Quarè non modò cor tuum eam seruet legem & disciplinam, vt nullas obscenas imagines admittat, verùm tua quoquè labia ita sint composita, vt nec alia, nec aliter loquantur, quàm sapientia dictat, honestasque & ratio postulat. Sint interim ad eum modum erudita & instructa, vt impurorum hominum orationi, cum opus id fuerit, obuiam ire queant.

3. *Ne intenderis fallaciæ mulieris. Fauus enim stillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius.*

QVò autem à turpibus incestisque cogitationibus, è quibus verba inhonesta, obscenaque opera haud rarò oriuntur, faciliùs libereris, ad fallacia blandáque meretricis dicta ne attendas. Quandoquidem labia mu-

retricis instar fauci mellis sunt dulcia, omniqúe blandimentorum genere delinita. Guttur autem eius oleo mollius leniusque fluit. Est eâ enim arte comparatum, vt nullam asperitatem, nullam rusticitatem, nullam inconcinnitatem præ se ferat, sed omnem gratiam omnémque venustatem, & blanditiem sapiat, & fundat.

4. *Nouissima autem illius amara, quasi absynthium, & acuta, quasi gladius biceps.*

VErumtamen nouissima, hoc est, epulum, ad quod inuitat, & pocula, & præmia, ad quæ prouocat, non sunt, veluti mel dulcia, sed instar absynthij amara; neque vti oleum mollia & leuia, verùm quouis mucrone, & gladio acutiora. Nam & conscientiam grauiter vulnerant, & certam mortem animæ conciliant, & totum denique hominem in extremam miseriam & calamitatem præcipitant.

5. *Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant.*

QUænam huius causa? *pedes eius*, hoc est, omnes illius actiones, studia, & affectiones (quod per vitæ semitam, quæ & recta, & constans, & casta est, non ambulent, neque ambulare vnquam instituant) rectâ tendunt ad mortem, gressusque omnes, & motus, & opera eiusdem ad inferos inclinant; adeoque quicumque meretricis verbis allecti, consuetudinem cum ea habent, vnà cum illa ad mortem, & infernum præcipites trahuntur.

Idem omninò vsu venit illis, qui sectantur quamcumque mysticam meretricẽ, hoc est hæresin, vel idololatriam, vel carnis voluptatem (siquidem hæc omnia sublimiori quodam sensu per alienam mulierem designantur, prout magna quoque inter illa affinitas intercedit.) Quapropter, fili, attẽde sapientiæ preceptis eiusdémque consiliis; incumbè prudentiæ, & intelligentiæ, non letiferis mulierum amoribus, non fœdis carnis deliciis, non prophanis mundi pompis & voluptatibus, non iis negotiis, quæ ex carnali sapientia ortum ducunt, non heresi denique aut idololatriæ. Nam etsi hæc ferè dulcia hominibúsque grata proponat, quibus illos ad sua placita pelliciat, studia tamen illius nouissimè ad mortem & infernum tendunt; quem hactenus etiam sustentant, quatenus multas mortalium animas quotidiè eò amandant. Ab his omnibus ergò meretricibus abstine, fili, quia omnes verę sapientiæ aduersantur, mortémque & infernum ex equo comminantur.

6. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus eius & inuestigabiles.

CVm ergò pedes illius rectâ ad mortem tendant, fit, vt per vitę semitam non incedant (neque enim eadem semita simul ad vitam & mortem tendere potest.) Rursum, quod gressus illius ad inferos directè ferantur, ad quos mille viæ, mille ostia, mille patent aditus, efficitur, vt sint vagi & incerti, nulliqúe facilè peruestigabiles; neque enim consistunt in vno aliquo vitio aut flagitio, aut proposito, sed instar fluctuantis maris procellæ, ex vno in alterum, & iterum in alterum rapiuntur, idque citra terminum. Eapropter si viuendi rationem, quam mulier adultera obtinet, ponderare & expendere institueris, haud facilè illam deprehendes, certóque cognosces. Nam, vt modo dicebatur, viæ eius sunt mobiles & inconstantes; nec vlli sui notitiam temerè offert. Imò ne ipsa quidem suas vias, vitæque suæ semitas satis expendit, nec satis exploratè tenet. Si enim expenderet, aliam vtiq; vitæ rationem institueret.

7. Nunc ergo, fili mi, audi me, & ne recedas à verbis oris mei.

8. Longè fac ab ea viam tuam & ne adpropinques foribus domus eius.

QVandoquidem, fili, meretricum verba, studia, & opera tantis cum periculis sunt coniuncta, tuque rerum adhuc es rudis, fraudumque meretriciarum ignarus, noli sirenum illarum blandimenta, dulcesque earum voces audire, sed mea verba meaque consilia audi; neque latum vnguem ab oris mei eloquiis decede. Meum autem consilium, cui te obsequi par est, suadet, téque iterum iterumque admonet, vt viam tuam à muliere meretrice & compta, quàm longissimè facias, omnémque illius contuendi & conueniendi occasionem quàm diligentissimè caueas. Nam ad euitandum discrimen, quod ab impudicis scortis, non iuuenili tantùm, sed virili quoque ætati imminet, nulium efficacius, nullum præsentius est remedium, quàm recessus, & fuga. Procul itaque ab illa illiúsque itinere instituas viam tuam; neque eò vmquam amentiæ procedas, vt ad ædes vel fores illius accedere animum inducas, siquidem eiusmodi accessus magnis citra vllam controuersiam expositus est salutis periculis.

9. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.*

FVge, inquam fili, omneque cum adultera muliere colloquium caue, ne blandimentis illius allectus miſereque deceptus, corpus & animam, & quicquid tãdem in bonis habes, profundas, ingratisque hominibus impertias. Nam quicumque datâ operâ ſcortationi vacat, & famam ſuam obſcurat; & corporis robur, ſi quod habebat, eneruat; & faciei decorem, quò pollebat, contaminat; & quod his omnibus deterius eſt, animam ſuam omnibus ornamentis ſpoliat. Caue ergò tantas illas opes, tantáſque animi corporisque dotes hominibus alienis non gratis tantùm; ſed magno quoque cum tuo detrimento impertias; Si cui autem impertiri lubet, illi à quo omnia accepiſti, impertias, nempè æternæ ſapientiæ.

CAue nihilo ſecius annos tuos, hoc eſt vitam vitæque ſanitatem & incolumitatem crudeli meretrici deuorandam & abſumendam obtrudas: Certum eſt namque omne omninò adulterium, omnémque Venerem lege damnatam, non modò honorem & famam, omnemque corporis & animæ venuſtatem adimere; verùm corporis quoque vires magnoperè exhaurire, variosque morbos & ægritudines parere; atque ita vitæ periodum miris modis plerumque accidere. Neque mireris, fili, adulteram me, quæ tot blanditiis & illecebris tecum agit, *crudelem* appellare; nam etſi lingua blanditur, cauda tamen, ſcorpione peius, ferit & pungit. Neque enim contenta eſt amaſium ſuum pecuniâ, famâ, Dei gratiâ, aliisque eiusmodi ſpoliaſſe, brutoque aſſimilaſſe, ſed vlteriùs progreſſa ipſam quoque vitam rapere contendit.

10. *Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores ſint in domo aliena.*

QVando hæc igitur omni crudelitate & inhumanitate ſunt plena, meretricium amorem, vt rabidum canem, furentemque anguem fugias, ne ſi aliud fortè ſecutus fueris, extraneos viribus opibusque tuis exſatures; & quæ tu tuique maiores non absque magno labore pepererant, quibúſque te, vxorem, liberos, totámque familiam alere debebas, in domum meretriciam transferas. Qui enim libidini ſuæ fieri vult ſatis, multa profundat ac impendat oportet; neque enim faciles ſolent eſſe amaſiæ, niſi auaritiæ ſuæ ſatisfecerit amator: imò verò non prius plerumque pellicandi & adulandi finem faciunt, quàm amoribus ſuis addictum omnibus bonis & donis

exutum

exutum ad porcos amandauerint, hoc est, ad extremam miseriam & calamitatem adegerint.

11. *Et gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas & corpus tuum.*

ABstine proindè & caue tempestiuè, ne post famam honorémque sublatum, post carnes corpúsque consumptum, post vires opesq; exhaustas, turpitérque dilapidatas; post vitam denique irreparabiliter detritam fœdéque consumptam, insanos gemitus, vana suspiria, frustraneósq; planctus edere, tuámque stultitiam eiusmodi threnodia & lamentatione deplorare compellaris.

12. *Et dicas, Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum.*

13. *Nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam.*

14. *Poenè fui in omni malo, in medio ecclesiæ & synagogæ.*

CVr detestatus sum disciplinam & eruditionem: Cur omnem increpationem, omnémque admonitionem spreuit cor meum? Cur vocem me docentium, & institutionem non audiui? cur morum magistris non inclinaui aurem meam? Heu quomodo temporis quasi puncto in omne malum, omnémque miseriam & calamitatem incidi, idque in Dei Ecclesiæ medioque fidelium cœtu constitutus? vbi tam multa illustria virtutum exempla vidi, vbi tot salutaria documenta & monita audiui, vbi tot bonos diuini spiritus impulsus frustra percepi? Heu quò deueni, expeditum propemodum video, vt cadam in malum, vnde numquam emergere potero, nempè in æternam damnationem sempiternósque cruciatus. Neque tamen iustè conqueri valeo. Quomodo enim non dignus sum omni supplicio, qui toties tantâque suauitate inuitatus, & excitatus, ita durũ, cœcum, & obstinatum me præbui; vt optimi parentis disciplinam palàm execrarer, infestóque odio persequerer; neque vllis omninò illius monitionibus aut increpationibus permotus ad vllam vmquam frugem me reciperem: quique præceptoribus morumque magistris imbuendus & erudiendus postea traditus, adeò illorum doctrinæ & institutioni morem non gessi, vt ne audire quidem eorum voces dignatus fuerim.

15. Bibe aquam de cisterna tua & fluenta putei tui.

NE igitur eiusmodi sera stultáque pœnitentia & inutilis threnodia tibi aliquando eueniat, omni turpi inhonestóque amore misso, *bibe aquam de cisterna tua*, viuósque latices hauri de medio putei tui, hoc est, libidinis æstum non alienæ abusu, non promiscuo vulgatoque coitu, sed legitimo propriæ vxoris vsu exstingue. Vt enim ij qui salutaris fontis scaturiginem habent domi, ex obsoletis vicinorum cisternis aquam petere non solent; ita tu quoque legitimo castóque coniugij thoro deserto, pollutum alienum thorum inuadere nequaquam debes.

16. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.

DE tua itaque munda & pura cisterna aquam bibe, & ex tui putei scaturigine dulces latices pete: tui rursum fontes ita sint vberes, vt aquarum riuulos per plateas ex se diffundant; hoc est, si coniugium inire lubet, ideo illud ineas, initumque vsurpes, quò numerosa benéque morata soboles ex illo prodeat, ciuitatisque plateas impleat; cuiusmodi riuuli, ex vaga libidine, neque prodeunt, neque commodè quoque prodire possunt. Nam vt parentes sunt incerti, ita incerta quoque est cura & educatio. Sed neque naturalis illa στοργὴ paternáque affectio hic locum habet, vt vbi de legitima prole certò constat.

17. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.

SInt proindè riui tui tibi soli, & non alienis tecum communes, hoc est tales stude habere proles, de quibus certò statuere & pronunciare potes, non esse nothas, tibique cum aliis communes, sed germanas & ex legitimo thoro procreatas. Eiusmodi autem ex solo legali coniugio sperare & exspectare potes, ex vaga autem libidine nequaquam; siquidem ex adultera, vel meretrice, vel concubina nati, incertum semper parentem sortiuntur.

18. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentie tuæ.

CVra vt vxor tua vteri fœcunditate sit felix, proléque numerosâ fortunata; quòd vtique consequeris, si promiscua incertáque libidine corporis vires non exhauseris; neque cum quauis indiscriminatim consueueris; sed vxorem tuam, tamquam proprium corpus, dilexeris, thorique fidem fideliter eidem seruaueris. Oblecta te ergo non cum crudeli, auaro, & infido

fido scorto; sed cum muliere, quam, cùm iuuencula adhuc esset, primis ætatis annis coniugali lege tibi copulaueras, & qua cum iam dudum antè familiariter consueueras.

19. *Cerua carissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.*

VXor tua instar hinnuli vel ceruæ domesticæ tibi sit iucunda & cara: ceruorúmque more, qui, dum pabuli causâ mare transmittunt, se inuicem sustentant, tua tecum diuidat onera, túque vicissim illius mores, qualescúmque tandem fuerint, patienter sustine. Sit coniugium inter vos fidele, castum, & amabile. Vt illa nouâ subindè prole te recreat; ita tuus in illam amor indies crescat, eásque vires & incrementa sumat, vt aliarum omnium prorsus oblitus, amore illius tantùm-non ebrius tibi videâre; neque vllius alterius vbera deinceps, aut somnies, aut expetas, aut cogites; sed illius tantùm; quæ copiosam vtique honestæ oblectationis materiam tibi subministrare poterit.

20. *Quare seduceris, fili mi, ab aliena, foueris in sinu alterius.*

CVm igitur inter legitimam vxorem & adulteram tantùm intersit; quodcúmque tandem spectare lubuerit, cur seduceris ab aliena? cur implicatus teneris amore extraneæ? Cur in sinu foueris adulteræ? Cur infelix cùm aliena mauis perire, quàm cum propria felicem vitam ducere? Non initia, sed rerum exitus spectandi sunt, fili: audisti, cuiusmodi impuri amoris sit catastropha, qualis è diuerso casti coniugij fructus sit atque iucunditas.

21. *Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat.*

QVod si nostram admonitionem veluti inanem aspernaris, si bonum, & malum; honorem, & ignominiam eodem loco ducis, si nullo posteritatis amore tangeris, saltem oculos Dei, quos nihil omnium latet, time, saltem horrenda illius iudicia expauesce. Respicit ille namque vias hominis, omnésque illius semitas ponderat. Quamobrem, si turpiter vixeris, si flagitium aliquod designaueris, etiamsi loco occultissimo arbitrisque omnibus remotis illud acciderit, non arbitreris Deum id fugiturum. Nihil enim est tam abditum, quod perspicacissimum illius oculum fugiat; nihil tam exile

& leue, quod ille non obseruet & ponderet, quò ni mirum pro tribunali olim sensurus vnicuique quod suum est, iustè reddat.

22. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.*

NEque Deo lictores defuturos existimes, qui maleficos capiant, captósque ad iustũ illius tribunal sistant, vt vincula, vel carceres, quibus impiorum hominum turbam coërceat, vt gladios, quibus sontes feriat; siquidem suis quisque impiùs iniquitatibus capitur, suisque peccatis quasi duris quibusdam funibus constringitur. Si ergò iniquus fueris, noli cogitare de fuga; quia quocúmque te contuleris, aut verteris, tua tecum vincula, & compedes semper portas, quæ te proinde vel inuitum ad iudicium æternúmque supplicium rapient; à quo etiam nullo vnquam tempore, nulla prorsus prece, aut intercessione liberaberis.

23. *Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.*

QVod, fili, ne vsu tibi quandóque veniat, Deum seuerissimum scelerum vindicem time, meisque consiliis & monitis tempestiuè morem gere; ne olim verè id de te dici possit, quod de omnibus impiis in impietate sua exstinctis verè dici solet; nempe: Ipse mortuus, hoc est, æternę morti, & damnationi adiudicatus est; quia per multitudinem & magnitudinem stultitiæ suæ seductus, & occæcatus, disciplinam, quam sapientia illi suggerebat, admittere noluit. Incidit itaque in Dei iudicium mortisque sempiternæ supplicium, non propter Dei inuidiam aut inclementiam, sed propter suam iniquitatem, insignémque & vanam, & multiplicem stultitiam.

AD

AD CAPVT QVINCTVM SCHOLIVM.

1. *Filimi, attende. &c.* Hortatur denuo filium, vt ad ſapientiam & intelligentiam, quam tradit diligenter attendat, magnámque, & cogitationum & labiorum ſuorum rationem habeat; ſiquidem prima via ad obſcœna opera, eſt obſcœna cogitatio; proxima, obſcœna oratio.

2. *Ne intenderis fallaciæ mulieris. &c* Vetat ne blandæ pellacisque mulieris orationi attendat; vt quæ ad fraudem faciendam, dolúmque ſtruendum ſit inſtructiſsima; certámque animæ, & corpori perniciem moliatur. Nam etſi ſermo illius inſtar mellis ſuauis, & inſtar olei lenis ad tempus oblectet; attamen fructus quos parit, abſinthio amariores, omnique ſcindenti gladio acutiores ſunt. Opponitur autem abſinthij amaritudo, mellis dulcedini; acies autem gladij, olei lenitati. Appoſitè autem vtrumque ad carnis ſenſum & hæreſin transfertur, nam vt caro molliter inuitat, & animam à Chriſto verò ſponſo ſeparat, & tandem in interitum mergit, mirâque amaritudine conſcientiam adurit. Idem facit hæreſis & inanis Philoſophia.

5. *Pedes eius deſcendunt. &c.* Hæc planum faciunt, quò ſenſu nouiſſima. ſcorti abſinthij inſtar amara, omnique ancipiti gladio acutiora aſſerantur: quia nimirum omnia illius ſtudia, omnésque conatus & deſideria tendunt ad mortem, omnesque eiusdem greſſus & affectus ad inferos trahunt. Sed nec aliò quoque tendere aut trahere poſſunt. Tu proindè, fili, omnem illius familiaritatem vita, & fuge. &c.

6. *Per ſemitas vitæ. &c.* Poſt improbarum mulierum linguam, pedésque & affectiones obiter deſcriptas, ſubijcit nonnulla de illarum greſsibus & ſemitis, quas vagas, & incertas, adeoq; cognitu difficiles aſſerit. Etenim tribus iſtis membris, lingua, inquam, pedibus, & greſsibus Sapiens compendio quodam complectitur omnia mulierum vitia, & opera. Nam quidquid boni, vel mali mulier operatur, hoc totum ad aliquod ex tribus iſtis capitibus referri licet. Videtur autem inſinuare ſcorti vias vitæque rationes vſque adeò vagas, & inconſtantes eſſe, vt vix aliquid certi de iis pronunciare queas, etiamſi diligenter obſerues, & ponderes.

7. *Nunc ergo, fili. &c.* Solita excitatione præmissa, maloque & periculo, quod ab impudenti muliere iuuenibus imminet, exposito, admonet hoc loco filium, vt ab omni occasione, quæ ad meretricium commercium, aut familiare colloquium pellicere solet, studiosè abstineat. Hortatur proinde vt adeò ab illa se alienum ostendat, sibique caueat, vt à via quoque, per quam illa forsan ventura, deflectat: siquidem occursus in via salutationis, aut familiaris colloquij ansam præbet. Per colloquium autē venitur ad alia, & item ad alia, & tandem ad lapsum. Imò solus impudicarum mulierum conspectus ad libidinem prouocat, nedum colloquium. Quare saluberrimum & præsentissimum remedium est secessus, & fuga.

9. *Ne alienis des honorem tuum. &c.* Per hæc causa redditur, cur homo iuuenis scortorum conspectum & colloquium, omnémque illorum familiaritatem studiosè declinare & fugere debeat; quia nimirum isthæc omnia non solùm insidiantur famæ & honori, sed vitæ quoque & saluti. Etenim omnia ornamenta, quæ quouis modo in homine sunt, per fœdam illicitámque Venerem obscurantur & deperduntur, ingratisque scortis, & inferni mancipiis gratis obtruduntur. Quæ scorta meritò hoc loco *crudelia* appellantur, quia numquam saturantur, donec totum hominem perdant, & in damnationis barathrum demergant.

10. *Ne fortè extranei. &c.* Post percensita damna, quæ adulterium & quæuis alia Venus illicita infert adulteri vel scortatoris personæ, famæ item, & vitæ, & saluti, subiungit ea paucis, quæ adfert externis eiusdem opibus & facultatibus, quas virium nomine hoc loco designat: Siquidem scorta hominem scortatorem vsque ad nuditatem extremámque inopiam exhaurire solent; ita vt cum filio prodigo porcos pascere, siliquasque pro pane comedere compellatur, idque cum summo familiæ dedecore, & detrimento.

11. *Et gemas in nouissimis. &c.* Subdit hîc quod ex præcedentibus necessariò consequitur. Nam post honores, opes, vires, ceteráque omnia, quæ bonorum appellatione continentur, turpiter flagitioséque absumpta, quid superest, nisi gemitus, suspiria, rugitus, meræque desperationis facies? Quo enim modo non vehementer doleat, qui hinc suâ se culpâ bonis omnibus spoliatum, inde verò malis omnibus inuolutum conspicatur?

12. *Cur detestatus sum. &c.* Subiungit hîc adulteri vel cuiuscumque alteriùs scelerati hominis serò pœnitentis orationem planè patheticam & lamentabilem, magnâque consideratione dignam. Cur, inquit, parentum, præce-

præceptorum, pastorum, aliorúmque omnium disciplinam, & admonitiones hactenus sum execratus? Cur salutaribus illorum increpationibus cor meum non acquieuit? Cur aurem ad docentium vocem non inclinaui? Similia Sapientiæ cap. v. de sterili infructuosaque damnatorum pœnitentia leguntur.

14. *Pœnè fui in omni malo. &c.* Præcedentia non propemodum sed simpliciter in omne malũ incidisse indicant; verum posteriùs magis ad rem facit. Non enim est hic sermo de absolutè dãnato; sed de eo, qui in damnationis periculo versabatur, & hoc quoque vox Hebræa *Cimgat* confirmat. Si per futurum exponas, sensus erit: Etenim concidam in omne malum, vel deducar ad malorum omnium extremum, nempè ad damnationem. Hæc enim compendio omne malum in se complectitur.

15. *Bibe aquam de cisterna tua. &c.* Explicatis periculis, miseriis, & calamitatibus, quæ ex adulterio, & quauis alia illicita Venere oriuntur, exponit honesti coniugij commoda, obliquè ad illud exhortans. Nam etsi hoc tempore casta virginitas casto coniugio anteponatur, olim tamen non erat ita: Sed & nunc quoque melius est nubere, quàm scortationis, aut adulterij periculo sese exponere. Describit autem res cõiugales metaphoris aptissimis, & castissimis ait autẽ: *Bibe aquam de cisterna tua. &c.* Hoc est, libidinis ardorẽ propriæ coniugis vsu extinguas, non alienæ abusu; sicuti qui domi fontem vel puteum habent, ex alieno fonte præsertim immundo haurire non solent.

16. *Deriuentur fontes tui. &c.* Aptè coniugale opus aquarum fontibus, comparatur; nam vt fontes sitim sedant, & riuos ex se progenerant, ita coniugium legitimè exercitum libidinis fomitem mitigat, & sobolem ex se procreat, quod rarò facit vaga libido: Nam etsi hæc prolem nonnumquã excitat, ea tamen incerta, adeóque minus grata est.

17. *Habeto eas solus. &c.* Monet, vt sua solus vxore potiatur, neque eam cum aliis communem habeat. Neque ipse rursum cum vlla alia adulterium committat. Siquidem vtrumque prolis certitudinem tollit, & generationem impedit.

18. *Sit vena tua benedicta. &c.* Hortatur vt à vaga libidine se continens, propriam vxorem fœcundare, honestámque ex ea voluptatem capere studeat. Nam etsi carnis oblectamenta ex vulgari coitu capi nonnulla queant, illa tamen nec pura sunt, nec solida. Nam & iustum metum adiunctum habent, & conscientiam vulnerant, & multa præterea alia incommoda plerúmque

rumque generant. *Mulierem* autem *adolescentiæ* eam appellat, quam adolescentulam in vxorem duxerat adolescens.

19. *Cerua carissima. &c.* Sensus est: vt hinnuli & capreæ vel damæ, aliáque eiusmodi animalcula apud nobiles viros & matronas in deliciis haberi solent; ita vxor tua tibi præ ceteris omnibus rebus, & mulieribus iucundæ, & honestæ oblectationis sit materia. Quod si qua grauamina hinc indè acciderint, ea vtrimque æquo animo ferte, exemplo ceruorum, qui maria pascuorum causa tranantes, se metuò sustentant, iuuant, & tolerant.

Vbera eius oblectent te. &c. Per *Vbera* castum coniugalémque amorem, ceteráque omnia, quæ ad sobolis propagationem ordinem sortiuntur, designat. Vult autem eum amorem esse tantum, vt omnem alium externum secludat. Hoc namque *Ebrietatis* nomine subindicatur. Vt enim potu grauati interdum delirant, ita quoque impotenter amantes. Obseruandum est autem, licet Salomonis ætate polygamia recepta esset, ipsum tamen secundùm primæuam institutionem, legémque Euangelij de coniugio hic verba facere.

20. *Quare seduceris. &c.* Enumeratis commodis & incommodis, quæ hinc ex honesto coniugio, inde ex turpi amore, & adulterio proueniunt, eiusmodi epilogo orationem absoluit. Quando tantùm inter adulteram, vel alienam, & legitimam vxorem discrimen intercedit, cur seduceris cum aliena?

22. *Iniquitates suæ capiunt impium. &c.* Occurrit per hæc rudi quorumdam cogitationi. Poterat namque simplex quispiam ita apud se cogitare: Cùm tanta sit sceleratorum hominum multitudo, quomodo vnus Deus tot poterit capere, iustáque pœna afficere? Ad hanc autem deliram imaginationem Sapiens respondet: ne putes Deo defuturos satellites, aut vincula, aut carceres, aut secures, quibus sontes capiat, constringat, & puniat, suis enim quilque iniquitatibus veluti funibus capitur, atque constringitur impius. Dicitur autem impius peccatorum suorum funibus constringi, quia per illa, & propter illa, ad certum supplicium coram domino obligatus tenetur, & quidem semper, nisi fortè per pœnitentiam ab illo vinculo absoluatur. Constringitur hactenus quoque, quia dæmonis seruitute premitur, & ne vllum opus viuum edere possit, impeditur.

23. *Ipse morietur, quia. &c.* Exponit paucis, quid de eo tandem futurum sit, qui scelerum suorum vinculis obfirmatè constrictus vitâ defungitur. Talis enim propter stultitiarum suarum multitudinem, ad animæ & corporis mortem, ęternæque damnationis sedem abripietur. Attribuit autem eiusmodi hominibus *multitudinem stultitiæ*, vel quia in multis seipsos deludunt, vel certè quod hi, qui suâ stultitiâ ludificantur, non vno modò comparati sunt omnes; Alij enim stultè cogitant, certóque sibi persuadent Deum, quæ occulto fiunt, aut non videre, aut non punire, aut non tantum punire, quantum asseritur. Alii se ante mortem seriò pœnitentiam acturos: Alij hoc, vel illud peccatum graue alioqui, vel nullum esse, vel perexiguum: Alij aliud stolidè imaginantur. Hi omnes suâ stultitiâ capiuntur, suorumque peccatorum funibus constricti ad inferos detruduntur.

PARAPHRASTICA

CAPITIS SEXTI EXPLANATIO.

1. *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam.*
2. *Illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus.*

QVantum, fili mi, curarum, damnorum, periculorum, & turbarum temerarij contractus, intempestiuęque pro altero quocúmque sponsiones adferre soleant, aliena exempla te doçeant. Eapropter si incautus in hoc curarum incendium incidisti, hoc est, si pro amico vel extero quocumque stipulatâ manu spopondisti, fidémque tuam pro illo obstrinxisti, scias te proprij oris verbis, quasi duro quodam vinculo captum irretitumque teneri. Nam siue quis fidem suam obligat amico pro extero; siuè vice versâ extero & ignoto pro amico & noto; siuè pro vtroque simul; si is, in cuius gratiam fidem suam obligauerat, pactam fidem (vt fieri frequenter solet) non seruauerit, apud creditorem obligatus captusque necessario tenebitur.

3. *Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum.*

SI, inquam, fili, imprudens eò prolapsus es miseriæ & amentiæ, vti temerariâ sponsione non vulgaris iacturæ periculo rem familiarem exposueris (siquidem facultates non tantùm per adulteria, scortationes, comessationes, aliáque eiusmodi dissipantur; verùm etiam per inutiles contractus, per stultas promissiones, aut fideiussiones; per lites forenses temerè intentatas, vel inconsultè admissas, per incautas denique cum ignotis exterisque hominibus familiaritates, & necessitudines:) consiliũ meum secutus, primo quoque tempore ex laqueis illis te liberare, & expedire enitere; etiamsi creditori supplex fieri, eiusdémque pedibus aduolui te oporteat. Satiùs est enim præter consuetudinem, aut personæ quoque decorum, nonnihil sese submittere, quàm citra necessitatem tantam rei familiaris iacturam facere.

Quæ tua est simplicitas, putas fortassis tuis te verbis ligari non potuisse, nec posse; falleris, fili, eo ipso momento, quo pro amico tuo spopondisti, tuo te ore ad debitum illius dependendum obligasti, adeóque sub proximi nempè sub creditoris manum, & potestatem imprudens te redegisti, restat itaque, vt à vinculo illo teipsum expedias, & in pristinam libertatem primâ oblatâ occasione te vindices. Ast vt id consequare magnâ opus est tibi cautione, magnâ prudentiâ, multo consilio, & deliberatione. Etenim lites sectari me iudice non debes; quippè quæ breui temporis spatio magnam pecuniæ vim exhauriant; nec inimicum rursum ex amico facere te decet. Humilis proinde supplicatio magis tibi conuenit, quàm superba insultatio. Rogandus est potiùs amicus, pro quo fideiussisti, quàm inciuiliter irritandus. Pronus itaque ad illius pedes te abiice, omnique orationis lenocinio vsus, vt debitum, quod in te recepisti, soluat, téque missum faciat iterum illum inducere, iterúmque contende. Quod si istud per te ab eo impetrare non vales, amicos, qui pro te intercedant, pectusque illius flectãt atque emolliant, suborna. Tandem si illum pro quo spopondisti, fidémque tuam obligasti, non inducere vales, vt debitum soluat, téque à vinculo illo, quo ligatus teneris, expediat, per te & per amicos omni studio omnique contentione labora, vt saltem creditor à fide iussionis obligatione te liberet. Nam cùm duplex liberationis extet via, altera vt debitor creditum soluat; altera vt creditor sponsionis obligationem remittat, si vna non successerit, alteram tenta.

4. Ne

4. *Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.*

5. *Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis.*

DEnique neque oculis tuis vllum indulgeas somnum, neque vllam dormitationem palpebris tuis, neque vllam quietem pedibus tuis; paucis, nullum subterfugias laborem, nullam detrectes molestiam, nullam prætermittas occasionem (siquidem in re seria non seriò agere, aliud nihil est, quàm per socordiam & ignauiam dormitare) donec quasi caprea de manu venatoris, aut veluti auis de manu aucupis è spõsionis illius laqueis eripiare. Etenim vt auiculæ & damulæ, quod suâ naturâ infirmæ & timidæ sint, celeri fugâ vitæ salutíque suæ consulunt, captæ autem vi tota ex aucupis, vel venatoris retibus euadere, seséque extricare contendunt (neque enim viuere se putant, nisi naturali libertate potiantur) ita tu quoque fideiussionis retia modis omnibus fuge. Sin autem per imprudentiam in illa incidisti, nihil intermitte, donec te inde expeditum & liberatum videas.

6. *Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam.*
7. *Quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem.*
8. *Parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.*

NEque tamen ad tuendam, & conseruandam rem familiarem sat esse credas, si per scorta, aut temerarias sponsiones, aut alias turpes artes eam non dilapides; sed opus est præterea vti per honestum laborem, animíque industriam & curam, quæ in bonis habes, identidem augere, & locupletare contendas. Nam si propter quotidianos sumptus aliquid subindè ex asse adimas, nihil autem vmquam per industriam, aut laborem resarcias vel adijcias, non poterit res tota tandem non absumi, cùm non sit infinita. Quod si ignauo otio desidiæque assuetus laborem omnem auersaris, neque studiosorum hominum exemplo, neque artificum aut agricolarum studio, ad opus aliquod faciendum excitaris; agedum ignaue ad formicam, quæ inter operosa animantia est minima, oculos conuerte; perpende, & demirare quantâ sedulitate & industriâ, quantóque conatu, & vigilantiâ æstiuo tempore, in hiemis solatium, annonam congerat. *Trahit ore*, vt scribit ille, *quodcúmque potest atque addit aceruo*, oneráque sæpenumerò se maiora in cauernulam suam conuectat; ibidémque tantâ diligentiâ, & curâ asseruat, vt corrumpi haud facilè queant. Quod si quod putrefactionis periculum vrgeat, conge-

congestam escam ex promptuario, quo desiccetur, ad solem exportat: granorum fibras, ne germinent, arrodit: quæ grauiora gestat, quàm vt per cuniculos suos inferri valeant, in partes secat: quæ ore trahere & mouere non potest, ea obuersis pedibus, & humeris impellit. Quin alia multa summâ admiratione digna industriæ, & sedulitatis paradigmata ignauis proponit. Atque hæc omnia solâ naturâ duce. Neque enim ductorem habent formicæ, qui viam illis præmonstret, vt grues, oues, & alia quædam animalia habere solent: neque præfectum, aut magistrum, qui operum pensum illis præfiniat; neque principem, qui ignauos castiget, & sedulos remuneretur; neque alium denique quemcumque, cuius consilio aut auxilio nitantur. Si ergò meis verbis non moueris, neque aliorum exemplis excitaris, saltem formicæ studium & industriam æmuleris, disce sapientiam, vtilémque & salutarem consectare laborem. Turpe est namque hominem ad laborem natum à tantillo vermiculo in laboris, prouidentiæ, & prudentiæ ratione superari.

9. Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo.
10. Paullulum dormies, paullulum dormitabis, paullum conseres manus vt dormias.

VSquequò tandem piger & ignaue dormis? quousque stertis? quando tandem aliquando è somno exsurges? plus satis dormitum: plus satis ociatum est; expergiscere tandem, & ex ignauiæ strato te proripe. Minue somnolentiam & dormitationem; desine manum complicare; cessa pectus, & latera demulcere, téque hac ratione ad somnum prouocare, tuámque ignauiam confouere. Etenim dum paullulum dormitationis captas, dum manus complicas, dum huc illucque in strato te volutas, neque vlli rei honestæ animum applicas; sed totos dies totasque noctes ociosus transigis; ita sanè vt in nullos alios vsus manus accepisse videaris, quàm vt harum operâ tuam desidiam, tuãque somnolentiam foueas, pectúsque demulceas: en egestas veluti inexspectatus quispiam nuncius; & inopia tamquam vir clypeo instructus te somno & otio deditum repentè inuadet, idque tanta vi, vt illi resistere nequaquam valeas, vt maximè velis.

11. *Et veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.*

NEc potest profectò rerum omnium penuria ad hominem vsque adeò ignauum & somnolentum, totámque eiusdẽ familiã veluti celer quispiam veredarius, aut armatus miles subitò, magnóq; impetu & festinatione non accedere. Sicuti è diuerso à viro sedulo & impigro tempestiuè non aufugere. Eapropter si somnum recideris (natura enim modico somno contenta est) honestóque labori sedulo incubueris, fugiet à te mox omnis egestas, omnisque penuria; ijsque fugatis atque proscriptis rerum omnium affluentia, messisque bonorum vberrima ad te certò commigrabit. Quandoquidem vt pigritia & ignauia rerum omnium pariunt inopiam, & omnem rursum malitiam & improbitatem: ita labor & industria magnam rerum, quibus vita hæc præsens indiget, generant copiam, & omnem præterea virtutem & honestatem.

12. *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso.*

FVge proindè otium & ignauiam, omnémque hominem ignauo otio somnóque immoderato deditum. Quicumque enim eiusmodi est, homo inutilis, & iniquus, & mendax, & toto animo tamquam verus quispiam Belial à Deo, omnique honestate alienus est. Enimuerò cùm animum ad nullum honestum opus applicet, sese totum, omniaque sua membra in scelerum instrumenta, aliorúmque perniciem conuertit. Etenim ore incedit peruerso; aliud namque, dum familiariter cum quopiam agit, versat in corde, aliud linguâ depromit. Amicâ blandâque oratione vtitur, interim in corde dolum, & perniciem machinatur. Palam de quibusdam benè, clam autem de omnibus peruersè loquitur; omnibus obtrectat, in omnes maledicta lingua incursat. Neque corde & ore tantùm; sed singulis propemodum membris se peruersum & improbum ostendit.

13. *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur.*

NAm & scelerum socijs, vt oblata occasione vtantur, oculis annuit, pedibúsque ijsdem innuit, & digitis indicium facit; paucis, nihil sanum, nihil sincerum, nihil modestum præ se gerit; verùm vultu & habitu, & incessu, & manuum gesticulatione, & pedum agitatione & toto reliquo corpore, merum histrionem exprimit. Aut rectiùs forsan & ad rem præsen-

tem accommodatiùs, quo facilius imponat, fraudémque incautis faciat, eâ vtitur vultus constantiâ, eâ incessus grauitate, eâ manuum, & gestuum moderatione, eâdémque totius corporis compositione, vt quamuis re ipsâ peruersâ, & mendaci, & falsâ oratione vtatur, veritatem tamen dicere palàm videatur.

14. *Prauo corde machinatur malum & omni tempore iurgia seminat.*

IDem ille Belial impiusque homo, licet amicum se simulet, blandâque & amicâ voce coram compellet; in corde tamen peruersa, nempè fraudem, pestem, atque perniciem molitur, ad quam etiam inferendam prauitatis suæ consortes occultis oculorum nutibus, manuumque & pedum indicijs prouocat. Vel hoc modo: Quamuis ore amicitiam fingat, oculis tamen aliisque corporis partibus inimicitiam subindicat. Vix enim virus, quod in animo abditum latet, ita tegi ac dissimulari potest, vt aliquo externo argumento se non prodat. Corde itaque machinatur malum, nullóque non tempore lites, dissidia, atque contentiones interconiunctos disseminat, quod sanè venenum ceteris omnibus exitialius existit. Graue est cuicúmque malum intentare, grauius sub amicitiæ schemate hostilia moliri, grauissimum omni tempore inter amicos, & familiaritate coniunctos discordias & iurgia serere. Neque aliter tamen euenire potest moribus & vitijs, quorum iam mentionem fecimus, non mutatis atque è medio sublatis. Nam cùm apostata ille coram omnibus blandè amicéque loquatur, à tergo autem nullum non acriter mordeat, præsentes rursum laudet, absentes autem vituperet, amicósque, quod in se est, falsis contra se inuicem delationibus armet, fieri omninò non potest, vt multæ lites, multaque dissidia & iurgia inter illos subindè non oriantur.

15. *Huic extemplo veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit vltrà medicinam.*

CVm ergò id hominum genus, quod in oris peruersitate graditur, oculisque, & manibus, & pedibus loquitur, totóque corde pestem machinatur, & dissidia inter coniunctissimos perpetuò molitur, sit pessimum, reique publicæ perniciosissimum, non est mirum, si subitâ perditione obruatur, eumque in modum conteratur, vt nullum ampliùs salutis remedium habeat reliquum, hoc est, si in æternæ damnationis barathrum repentè demergatur, numquam indè amplius emersurum. Quia igitur otij stipendium

aliud

aliud nihil eſt quàm ſempiternus interitus, otiũ, multaque flagitia & ſcelera, quæ indè oriuntur, grauitérque apud inferos puniuntur, fili mi, ſummâ contentione fuge, animumque ad honeſta ſtudia adiunge; ſi non virtutis amore, qui meritò mouere & inſtigare te debebat, ſaltem formidine impendentis pœnæ, illiusque ſempiternæ.

16. Sex ſunt quæ odit Dominus & ſeptimum deteſtatur anima eius.

FIli, licet Deus Opt. Max. omne omninò peccatum odio habeat, & deteſtetur (ſiquidem nullum omnino eſt, quod ſummæ illius bonitati, ſanctitati, & voluntati non aduerſetur) attamen ſex aut ſeptem inter cetera ſunt, quæ anima illius peſsimè execratur, odióque peculiari perſequitur; nempè oculos ſublatos, linguam vanam, manus inſontem ſanguinem effundentes, cor iniqua ſecum verſans, pedes ad ſcelus patrandum vſque accinctos, teſtem mendacem, & diſcordiarum inter coniunctos incentorem.

17. Oculos ſublimes, Linguam mendacem, Manus effundentes innoxium ſanguinem.

PRimùm igitur, quod Deus odit, animáque eiuſdem auerſatur, vt quod maximè, ſunt *Oculi ſublati*, homines nimirum ſuperbi, faſtuque & arrogantiâ tumidi. Nam etſi aliis quoque corporis partibus mentis tumor & faſtus indicetur, oculis tamen & ſupercilijs præcipuè. Eſt autem Deo hoc ſuperbiæ vitium eò exoſius, quò minus eſt in homine, de quo veluti de proprio pèculio gloriari, aut inſolentius ſeſe effere poſsit. Nihil enim omninò in bonis habet, quod gratis à Deo non acceperit; nihil, quod temporis puncto ipſi adimi non valeat; nihil, quod ſtatim non concideret & interiret, ſi Deus clementiâ ſuâ illud non conſeruaret, de quo ergò arrogan-ter ſe iactat?

Alterum quod Dominus odit, & execratur, eſt *Lingua mendax*. Nam cum ipſe ſit prima perque ſe ſubſiſtens veritas, ſemper conſtans, ſemper ſui ſimilis, omne omnino mendacium, qualecúmque tandem illud ſit, tamquam ſibi aduerſum, ſuæque naturæ contrariũ deteſtatur. Sed & omne quoque mendacium ſuâpte naturâ eſt malum, turpe, & inhoneſtum; neque quidquam in rerum vniuerſitate exſtat, tametſi potens, quod illud honeſtum, aut licitum reddere poſsit. Quamobrem, ſi Deo vis placere, fili, abſtine ab omni mendacio, neque enim linguam fortitus es, vt mentireris, aut

homines

homines falleres, aut offenderes, sed vt Deum laudares, inuocares, gratiasque eidem pro acceptis beneficijs ageres; nec non animi tui conceptus, cùm vsus id postularet, alteri prodere posses.

Odit tertio, & quidem vehementer odit, *Manus insontem sanguinem effundentes.* Nam præterquam quòd nefarium, mortéque & carcere dignum facinus sit, hominem insontem ad Dei imaginem creatum vitâ priuare; res quoque secundùm se fœdissima, & ab omni prorsus ratione & æquitate alienissima est, nobile illud organum, quod non absque singulari beneficio à Deo accepimus, vt post expleta munia, & ministeria, ad quæ vtiles & necessariæ homini sunt manus, proximum per illud, maximè verò insontem defenderemus, eiusdémque salutem propugnaremus, in innocentum perniciem & cædé conuertere. Iurè proindè Deus sanguinarias eiusmodi manus detestatur.

18. *Cor machinans cogitationes pessimas, Pedes veloces ad currendum in malum.*

NEque manus tantùm cruentas externáque flagitia, quæ per illas designantur, execratur Dominus; verùm *Cor* quoque, *quod iniqua machinatur.* Cuiusmodi cor illud meritò censeri haberique potest, quod de industria magnoque studio varias nocendi vias excogitat, nec non, quomodo hoc vel illud vitium vel flagitium designare queat, nocte diéque secum versat; prauásque & obscenas cogitationes, quæ subindè incidunt, adeò non repudiat, vt vltro quoque accersat. Nam fœdis cogitationibus pulsari vel oppugnari non est peccatum; vtpotè in nostra potestate nequaquam situm. Quare etiam non legitur hîc cor, quod patitur iniquas cogitationes, sed *cor quod iniquitatis cogitatus machinatur.* Quartum igitur quod odit Deus, sunt *Improbæ*, hoc est à lege & ratione alienæ *cogitationes*; ne quis falsò sibi persuadeat, externa tantùm flagitia odisse Deum, non etiam interna.

Quinctò exosos habet *Pedes magnâ auiditate & alacritate, ad quodcúmque flagitium vel facinus perpetrandum festinantes*, nec iniuria: nam ex inscitia, aut infirmitate, aut vehementi alteriùs impulsu prolabi in noxam aliquam, id humanæ fragilitatis, corruptæque naturæ nostræ infelicitas est; At verò summa alacritate, plenoque impetu, ac sponte citra vllius impulsum aut dolum ad scelus rapi, summaque, vbi illud designaueris, lætitiâ exultare, hoc demum extremæ nequitiæ, deploratæque malitiæ argumentum est.

Atque

Atque ita eiusmodi studium animique affectio non potest Deo non magnoperè displicere.

19. *Proferentem mendacia testem fallacem. Et eum qui seminat inter fratres discordias.*

SExtum, quod cane & angue peius odit Deus, est, *Testis mendax*, cuiusmodi is dici haberique potest, qui intra vel extra iudicium in proximi damnum mentitur. Detestatur sanè Dominus omne omnino mendacium, omnémque linguam vanam & futilem, vt paulò antè dicebatur: præ ceteris autem peculiari odio prosequitur linguam illam, quæ veritatem, quæ Christus est, oppugnat, vt hæretici, aut omninò negat, vt Iudæi. Tum illam rursum, quæ falsum contra proximum testimonium depromit, rectumque iudicium non absque graui reipub. & proximi detrimento peruertit. Quam multi passim fortunis omnibus per falsos testes exuuntur? Quam multi famâ, quàm multi vitâ, quàm multi omnibus, quæ in bonis haberi solent, priuantur? Non est ergò mirum, si Deus eiusmodi mortalium pestes velut reipub. perniciosissimas detestetur & execretur.

Septimò & postremò graui iustóque odio illos prosequitur, maiorēque in modum execratur Dominus, *Qui lites atque discordias inter fratres caritatis vinculo vnitos datâ operâ disseminant*. Et meritò sanè: Nam quid sceleratius potest excogitari, quàm eos, quorum vna est Fides, vnus Dominus, vnum Baptisma, quique de vno pane edunt, & calice bibunt, & vno tandem matris Ecclesiæ gremio continentur, peruersis dogmatis, aut occultis obloquijs, aut prauis consilijs, aut alijs occultis machinationibus, & practicis à se inuicem diuellere, & capitale odium inter illos excitare? Cùm ergò Deus septem hæc peccatorum sceleratorúmque hominum genera tantopere detestetur, caue, fili, in aliquod ex ijs omnibus aliquando incidas. Neque enim potes Deo placere, & quocumque ex prædictis omnibus contaminatus esse.

20. *Conserua, fili mi, præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.*
21. *Liga ea in corde tuo iugiter & circumda gutturi tuo.*

FVgies autem hæc omnia, & alia præterea, de quibus paulò post te commonefaciam, fili, haud magno negotio, si præcepta patris tui diligenter custodieris, legēq; matris tuæ non neglexeris, sed tam hanc, quàm illa iugi meditatione animo versaueris, tecúmque die noctúque pertractaueris. Quamobrē iterum & iterū te admoneo, vt legis præcepta, quæ iam indè ab

initio ex me hausisti, & vnà quodammodò cùm lacte imbibisti, studiosè in pectoris tui scrinio conserues; non ad breue tempus, sed per vniuersam vitam; neque quouis modo, sed omni curâ & diligentiâ; ita vt nullum thesaurum, quantumuis preciosum, custodias diligentius. Pari studio admonitum te volo, ne insolentium quorumdam iuuenum more legem, quam mater tibi præfiniuit, & à primis annis fideliter instillare numquam desit, facilè contemnas aut deseras, verùm religiosè obserues. Quinimo ne facilè excidant aut in obliuionem veniant, & hanc, & illa ex æquo in corde tuo imprime, & ad tuum guttur vtraque alligata tene; neque enim aliud preciosius recondere, aut elegantius pectoris vel colli ornamentum gestare potes quam præcepta patris, quæ vitam præstant & mortem eliminant; & legem matris, quæ summum vbique ornatum atque decorem conciliat.

22. *Cùm ambulaueris, gradiantur tecum: cùm dormieris custodiant te, & euigilans loquere cum eis.*

QVod si ea in precio habueris, assiduoque in ijs meditatus fueris; cùm iter aliquo feceris, gradientur tecum, teque per viam prosperè deducent. Cùm dormieris, cùm ab hostibus aspectabilibus, tùm ab ijs quoque, qui sub aspectum non veniunt, te custodient; & cùm è somno euigilaueris, familiariter tecum loquentur, diuinorumque operum modum & rationem tibi præfinient. Etsi illa tacerent, otiumque agitarent, tu tamen cum illis loquere, consiliumque & auxilium ab illis pete, & tecum, quocumque tandem te contuleris, comites adsume.

23. *Quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ.*

QVia mandatum Dei, quod à prima ætate ex parentibus accepisti, est lucerna quædam, cuius præsidio per obscuras vitæ huius tenebras citra vllam offensionem, aut prolapsionis periculum incedere poteris. Lex rursum eiusdem clara veraque humanæ mentis lux est. Nam vt lux solis indicat, quo sit eundum, aut deflectendum; quæ rursum via plana sit & facilis, quæ contra aspera, & difficilis, aliáque eiusmodi: ita lex Dei demonstrat & docet, quid sit agendum, aut vitandum; quid æquum quid iniquum; quid vitio affine, quid cum virtute coniunctum. Neque solum lex illa lux est, verùm certa quoque vitæ via est: siquidem qui per illam gradiuntur, deducuntur ad vitam, quæ finem non habet. Est eadem denique increpatio eru-

ditionis

ditionis & disciplinæ; nam & rudes erudit, & deprauatos hominum mores corripit. Legis enim munus vtrumque est; nempè sontes punire, & studiosos benéque meritos remunerari.

24. *Vt custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ.*

QVod si patris & matris monitis obtemperaueris, eorumdémque præceptis parueris, non modò à septem illis malis, quæ anima Dei detestatur, liberaberis, verùm etiam à praua, malitiæque & impudicitiæ ex instituto dedita muliere; & à blanda rursum lingua extraneæ, hoc est à blanditiis & lenocinijs linguæ adulteræ, vel impiâ certè doctrinâ imbutæ. Vtriusque enim consortium non solùm periculosum, sed lege quoque prohibitum est.

25. *Non concupiscat pulcritudinem eius cor tuum, ne capiaris nutibus illius, pretium enim scorti vix est vnius panis: mulier autem viri pretiosam animam capit.*

VErùm quia improbæ mulieres non solùm linguæ blandimentis ad libidinem prouocant, sed formæ quoque elegantiâ & venustate, propterea cohibe cor tuum; ne propter cuiuscúmque adulteræ vel extraneæ pulcritudinem illicito amore incendatur. Nam etsi species & formæ pulcritudo, propter se non expetantur: sunt tamen causa, cur res pulcra appetatur. Hæc autem voluptas & gratia, cùm in capite, eiusdémque partibus & ornamentis maximè eluceat, caue suis te cincinnis, lasciuisque nutibus, vel oculorum ictibus adultera in rete suum pertrahat. Nihil est enim quibus iuuenes magis capiantur, faciliusque ad libidinem incitentur, quam feminei capitis ornamentis; siuè ea sint congenita, siuè arte ascita. Quamobrem qui à mulieribus earumdémque artibus tutus viuere desiderat, sicut omnes desiderare meritò debent, is ab illarum colloquijs abstineat, earumque pulcritudinem ne obseruet, neque gratos oculorum ictus, aut splendida capitis ornamenta admiretur. Sunt enim hæc omnia arma & retia, quibus callidæ improbæque mulieres incautos iuuenes venantur, & in extremam animæ corporisque miseriam præcipites plerumque rapiunt.

26. *Pretium scorti vix est vnius panis, mulier autem viri preciosam animam rapit.*

COmperiuntur enim non pauci (& comperti sunt iam antè sæpè multi) qui propter meretricium amorem, assiduamque cum meretricibus consuetudinem, vsque ad panis buccellam, hoc est, vsque ad extremã inopiam, pudendámque mendicitatem redacti fuêre; quod sanè probrosum & miserum est malum, leuius tamen aliquanto eo, quod ex adulterio nascitur. Quandoquidem mulier seu coniugata, viri opibus non contenta, preciosam quoque adulteri animam rapit, hoc est, non tantum bonis istis caducis & fluxis spoliat adulterum, vt meretrices solent; sed mente quoque, & sensu, & salute, & vitâ denique ipsâ illum exuit. Neque enim aliud esse videtur adimere alicui animam, quàm tollere illi mentem & vitam, vtcúmque vitæ nomẽ vsurpes. Et vt nullum vel huius, vel illius vitæ periculum esset, adhuc res secundum se vilissima & abiectissima est scortum, & vilior & abiectior adhuc moecha, longè autem vilissima & abiectissima est voluptas, quæ indè percipitur. Vix enim vnius panis pretium æquat, propter quod vita & anima perditur. Magna sanè insania est propter momentaneam illam voluptatulam, quæ ex scorto vel adultera hauritur, non modo Dei gratiam & fauorem, & vitam præterea æternam, sed ipsam etiam animam velle amittere, vel certo amissionis periculo exponere.

27. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant.*

28. *Aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius.*

29. *Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cùm tetigerit eam.*

NEque tibi persuadeas, fili, adulterium, quod occultè plerúmque committitur, occultum semper fore, ideoque impunè abiturum. Nam, vt fieri non potest vt quis citrà vestium adustionem ignem in sinu foueat; aut citrà pedum offensionem super ardentes prunas ambulet; ita fieri quoque non potest, vt quis cum proximi vxore consuetudinem habeat, neque pœnam tamen sentiat. Quapropter si famam, si vitam, si animam, si cetera denique omnia perdere non vis, nihil tibi cum alteriùs vxore licere existima,

ſtima. Nam licèt maritũ, vel cognatos, vel omnes etiam homines flagitium illud celes, Deum tamen celare numquam poteris; adeóque, vt culpæ expers non es, ita à pœna quoque numquam immunis eris. Imò verò tantùm abeſt, vt citra noxam & pœnam noxæ debitam, Veneream conſuetudinem cum proximi vxore quiſpiam impunè habere queat, vt ne familiaritatem quidem citra adulterandi voluntatem cum illa inire debeat, aut inoffensè quoque inire valeat. Nam eſto eiuſmodi homo adulterium committere non inſtituat, neque malum aliquod animo verſet; attamen ſi proximi ædes frequenter viſitat, & cum vxore illius familiariter ſæpè ſuſurrat, ad minimum maritum illius, niſi ſtipes fuerit, offendet, & alijs ſcandalum offeret, & ſeipſum itidem libidinoſæ oblectationis periculo exponet; imò prauæ concupiſcentiæ maculam vix euadet. Sicut qui ignem in ſinu geſtat, aut per candentes carbones ambulat, læſionem aut non euadit, aut ægrè admodum euadit.

30. *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit, furatur enim vt eſurientem impleat animam.*

31. *Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet.*

NEque eſt rurſum vt adulterium leue aliquod crimen, aut flagitium veniâ dignum eſſe exiſtimes. Eſt enim grauiſſimum, & furto (quod graue alioqui & infame haberi ſolet) multis partibus grauiùs & infamius: ſiquidem fur ad ſubleuandam rerum neceſſariarum inopiam, quâ premitur, plerumque furatur; atque adeò veniâ dignus videtur; adulter autem propter mentis inopiam, merámque animi petulantiam in adulterium fertur. Ad hæc damnum, quod per furtum infertur in integrum inſtaurari poteſt, quod autem per adulterium conflatur, emendari facilè non poteſt.

Non grandis ergò macula aut noxa eſt furtum, ſi cum adulterio committatur; maximè verò ſi compertum fuerit furem non auaritiâ incitatum, ſed neceſſitate compulſum id furto abſtuliſſe, vnde famelicum ventrem explere poſſet. Quis enim ægrè ferat, id ſibi clanculum ademptum eſſe, quo alterius vita, quæ alioqui periclitabatur, in viuis eſt conſeruata? At verò adulter nullâ neceſsitate coactus, ſed intolerandâ quâdam

quadam amentia & petulantia incitatus flagitium designat. Quod si quod furtum grandius, quàm rei necessitas postulabat, commissum deprehendatur, illud non in duplum tantùm, sed in septuplum quoque compensari, & redintegrari potest, & redintegrari quoque solet. Adulterium autem si partes læsæ conciliationem detrectent, sicut detrectare plurimum solent, nulla prece aut precio redimi potest. Quò etiam fiebat vt in veteri Testamento, tamquam crimen omnino inexpiabile & indelebile nullâ hostiâ expiaretur, sed morte simpliciter multaretur.

32. *Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.*
33. *Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.*
34. *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ.*
35. *Nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemtione dona plurima.*

MVltum ergò inter furtum & adulterium, inter furem rursum & adulterum, inter pœnam tandẽ, & quæ huic, & illi debetur, iuréque irrogatur, intercedit. Etenim furem ad furtum adigit fames, rerúmque egestas; adulterum autem ad scelus impellit mentis inopia animíque insolentia. Siquidem immoderatus Veneris vsus non solum corpus eneruat, sed mentis quoque iudicium obfuscat. Fur rursum in fraude deprehensus multæ nomine soluit duplnm, aut septuplum, aut totum quoque quod in bonis habet. Adulter autem pœnæ lóco dependit vitam ipsam, vt de aliis, quæ hanc pœnam antecedunt, nihil dicatur. Denique nota, quam furtum inurit, deleri potest, & quidem facillimè, si ex necessitate ortum constiterit: At verò labes, quam adulterium adspergit, nullâ arte, nullo ingenio aut fuco induci potest. Mitto hîc adulterium implacabilem adulteræ marito iram, & indignationem ciêre. Enimuero zelotypiæ furor, propter atrocem iniuriam, quam passus est, ita illum incendit, vt nullius precibus acquiescat, nullum intercessorem aut precatorem quantumuis potentem audiat, nullum donum aut munus, tametsi magnum pro, redemtione, aut reconciliatione recipiat; sed vindictam semper spiret & vrgeat: quam ipse quoque, si iudex officium non fecerit, in die vindictæ, hoc est, commoda vlciscendi oblata occasione, citra controuersiam infert, at furtum iusta compensatione restitutum, omnem mox iram & alienationem obliterat.

AD

AD CAPVT SEXTVM SCHOLIVM.

1. *SI spoponderis. &c.* Præcedenti capite docuerat adulterari, Veneremque illicitam sectari omninò non licere; sobolis autem procreandæ vitandæque scortationis causâ licere vxorem ducere, familiam instituere, institutámque gubernare, & omnia, quæ ad eam rem faciunt, tractare, & administrare. At quia vxor, liberi, ceteræque familiæ partes, absque opibus nec haberi, neque honestè quoque sustentari possunt, formicarum exemplo exhortatur hîc filium ad laborem (per hunc enim opes comparãtur:) sed quia opes honesto labore comparatæ, vel relictæ quoque non solùm absumuntur & dissipantur per otium & ignauiam, verùm etiam per temerarios & inutiles contractus, initio capitis huius admonet filium, ne facilè pro altero spondeat, maximè verò pro ignoto, porro autem cum nulla maior opum reiue familiaris sit pestis, quàm commercium cum adulteris vel meretricibus, propterea sub finem iterum digreditur contra adulterium omnéque carnis flagitium.

Si spoponderis, fili. &c. Coniunctio, *si*, potest ad primum tantum periodi membrum referri ad hunc modum: Fili, si pro amico fidem tuam obligasti, fac quod dico: potest rursum ad singula transferri in hũc sensũ: Fili, si pro amico spopõdisti, si manũ defixisti, si amici causâ illaqueatus teneris, fac quod dico. &c. Potest denique ad duo simul referri, vt hic sit sensus: Fili, si pro amico spopondisti, si stipulatâ manu fidem tuam pro amico obstrinxisti, oris tui verbis irretitus detineris, proindè ne hîc te laqueus præfocet, primâ oblatâ occasione indè te expedi. Ceterum fide pro altero iubere trifariam contingit. Vel enim spondemus pro extero, quod periculosum est, vel pro amico, quod vsitatum est; vel pro vtroque simul, quod mixtum est, omnes has sponsiones admittit præsens locus.

3. *Fac quod dico. &c.* Scopus huius loci est, sponsorem nihil debere intermittere, nullis laboribus aut molestijs parcere, nullã submissionem aut obiectionem detrectare, donec à vinculo illo, quo obstrictus tenetur, sese expediuerit, quod si istud per se non possit, vel amicorum operâ liberationem eiusmodi vrgere & procurare debere. Quod autem de vinculo ex temeraria

meraria fideiuſsione contracto hîc dicitur, illud ad omne debitum omnémque obligationem rectè referri poteſt. Siquidem par eſt omnium ratio. Conſiderent hæc igitur paſtores, ceteriſque omnes, qui pro aliorum ſalute & incolumitate ſeſe animásque ſuas obligarunt & oppignorarunt.

6. *Vade ad formicam. &c.* Exemplo formicæ hortatur ad honeſtum laborem, eorumque inſectatur mores & vitam, qui otio ſomnóque dediti & rem, & tempus ſimul turpiter abſumunt. Ait autem: Tu quiſquis es, quem nullæ admonitiones, nulla ſtudioſorum hominum exempla, nulla rerum penuria à ſomnolentia, ad vigilantiam; ab otio, ad negotium; ab ignauia, ad diligentiam excitant, vade ad formicam, & indè ſaltem diligentiæ & induſtriæ paradigma accipias, tuæque ſenectuti & impendenti miſeriæ conſulere diſcas.

9. *Vſquequo piger dormies? &c.* Poſt acrem increpationem, efficacémque ad laborem impulſionem, luculentâ deſcriptione, ſomnolenti ignauique hominis ingenium ob oculos ponit, Neque enim vllum ille ſterterendi, oſcitandi, aut otiandi modum ſeruat, verum ignauè veluti ſus in luto, in ſuo ſe ſtrato huc illucque verſat atque volutat. Ceterùm vox Hebræa *Megat* geminum ſenſum offert, verbalem vnum, aduerbialem alterum, & vtrumque commodum: hoc ſignificat *Modicum* vel *paullulum dormies*; illo *diminue* vel *accide ſomnum*. Quod ſi feceris, nulla te obruet egeſtas, quin potiùs copioſa meſſis inſtar fontis tibi obueniet: ſin minus, egeſtas tantâ vi te inuadet, vt ei reſiſtere nullo modo poſſis.

12. *Homo apoſtata. &c.* Diſſeruit aduerſus ignauos, & ignauiam vitiorum & ſcelerum omnium matrem, (otium namque docet & generat omnia vitia atque flagitia.) Nunc vero deſcribit inſigne quorumdam nequitiam, à quorum proindè conſuetudine filium, totámque adeo iuuentutem vult abſtinere. Ceterùm quem noſter interpres, *Apoſtatam* vocat, Hebræi appellant *Hominem Belial*, hoc eſt, exlegem iugóque & honore carentem, inutilem itidem & impium, omnique improbitate & impuritate plenum; denique talem, qui ſe totum omniáque membra vertit in nequitiam & improbitatem. Nam & ore peruerſo graditur, (aliud namque in lingua, aliud in corde promtum habet, aliud rurſum de hoc, aliud de illo loquitur, de omnibus tamen malè.) Et oculis annuit, & manibus pedibúſque indicia facit, neque externis hiſce improbitatis ſignis & incitamentis contentus, corde quoque improba conſilia pertractat, iurgiáque & lites proſeminat.

15. *Huic extemplo veniet. &c.* Ostendit improbum illum non impunè peccaturum; sed grauissimas, quando minimè id exspectabit, improbitatis suæ pœnas daturum. extemplò & ex insperato, inquit, veniet illi interitus, plenáque contritio, idque citra vllam salutis spem. En, quo tandem ignauia & otium ignauos perducat.

16. *Sex sunt, quæ odit Dominus. &c.* Vt proximè hominem ex eo sceleratum, & nequam ostendit, quod omnibus corporis partibus turpiter aburatur; ita hîc grauia quædam vitia commemorat, quæ peculiaribus corporis membris attribuuntur, & per ea communiter designantur. Inter sex autem hominis vitia, primum locum assignat oculis sublimibus, proximum, linguæ mendaci: tertium, manibus sanguinarijs: quartum, cordi intento ad malum: quinctum, pedibus ad quodcumque patrandum scelus properantibus: sextum, testi in alterius perniciem mentienti: septimum & postremum, linguæ disseminanti inter fratres disidia.

Per oculos sublatos hominem, qui nutu ipso totoque corporis habitu animi fastum & arrogantiam præ se fert, accipe: mysticè autem hominem, qui ea scrutari & diiudicare contendit, quæ humanæ mentis captum excedunt. Per linguã mendacem vel mendacij, vt Hebræa sonant, hominem mendacijs assuetum, aut falsitati & vanitati ex instituto deditum, cuiusmodi linguam Deus meritò odit; data enim est lingua & creata in alium vsum, quàm ad fallendum & mentiendum. Per manus sanguinem insontem fundentes, hominem sicarium crudeliter in quosuis etiam in insontes grassantem.

Per cor denique, quod praua meditatur, hominem die noctuque, vt proximo malum aut damnum inferat, intentum. Ponit autem cor seu voluntatem in medio illarum rerum, quæ odit Deus, quia vnum hoc est radix & fons omnium malorum, & scelerum, quæ in hominem cadunt. Per pedes ad scelus festinantes animi affectum ad maleficium quodcúmque edendum incẽsum, qui sanè affectus est funestissimus. Nam ex inscitia vel infirmitate in vitium aliquod prolabi, infirmæ naturæ proprium est, At verò sponte & alacriter in scelus proruere id planè est intolerabile, & apud Deum detestabile, vt quod maximè. Per testem mendacem denique hominem in publico iudicio perniciosè mentientem, aut falsum testimonium contra proximum quouis modo perhibentem. Quod genus peccati est admodum graue & apud Deum & homines summoperè detestabile: lædit enim non tam priuatum hominem, quàm totam communitatem. Sicut & discordiarum quoque

inter ſanguine vel alia neceſsitudine coniunctos diſſeminatio. Oriuntur hinc enim grauia ſæpè in tota repub. & familia diſsidia.

20. *Conſerua præcepta patris tui. &c.* Quandoquidem ad euitandum laqueos & inſidias, quas impuræ mulieres, perditæque & flagitioſæ vitæ homines iuuentuti ſtruere ſolent, nihil eſt efficacius accuratâ paternorum præceptorum obſeruatione, propterea Sapiens iterum iterúm que filium hic hortatur, & per illum reliquos omnes iuuenes, vt patris præcepta & legem matris diligenter obſeruent. Interim per eiuſmodi præcepta non videtur aliqua œconomica vel politica ſtatuta deſignare, qualia nimirum patres & matres familias familiæ præſcribere ſolent (quamuis hæc quoque negligenda non ſunt:) ſed præcepta decalogi, aliáque ad religionem & pietatem facientia. Itaque myſtico ſaltem ſenſu, per patris præcepta accipere hîc licet legem Dei, per matris autem, legem & ſtatuta Eccleſiæ.

21. *Liga ea in corde tuo. &c.* Similia leguntur Deuteronomij cap. vj. & cap. iii. huius libri. Omnia autem huc tendunt, vt intelligamus patris & matris præcepta ſumma vbique cura & diligentia obſeruanda, cordique & animo altiſſimè imprimenda. Meminit autem cordis & gutturis, vel quod harum partium præſidio homo ſpiritum trahat, vitámque ducat; vel quod quæ præ ceteris cara habemus, ea è collo vel pectore ſuſpendere conſueuimus; vel certè quod aſſiduo in iis, & cum his verſandum ſignificare voluerit. Annectit enim: *Cum ambulaueris, gradiantur tecum, cum dormiueris, cuſtodiant te, & cum euigilaueris, loquantur tecum.* Poſſent hæc tamen per futurum quoque haud incommodè exponi, quò hinc nimirum colligamus fructum quem patris & matris præcepta obſeruata adferre conſueuerunt.

23. *Quia mandatum lucerna. &c.* Hæc confirmant, quod paulo ante dicebatur, nempè Sapientem, quando filium hortatur vt patris matrisque legi obtēperet, non agere de oeconomicis, præceptis, ſed de diuinis, quorum excellentiam hoc loco illuſtribus epithetis deſcribit, ſimulque rationem reddit, cur tam ſtudiosè & accuratè obſeruanda ſint diuinæ ſapientiæ præcepta. Ceterum lex non citra iuſtam cauſam appellatur *Lux* vel *Lucerna*. Nam & in vitæ huius tenebris viam planam indicat, & inter bonum, & malum, inter rectum, & obliquum diſcretionem præbet, & quid denique faciendum vel vitandum ſit, perſpicuis verbis edocet. Vocatur quoque *Via vitæ*: quod rectâ ad vitam æternam conducat. Appellatur tandem *Increpatio diſciplinæ*, vel *increpans diſciplina*: quia vitia & ſcelera caſtigat, deprauatósque

mores

mores increpat. Quæcumque autem tribuuntur hic legi, ea optimè quadrant in Christum.

24. *Vt custodiant te. &c.* Hic aliud obseruatæ legis præmium & beneficium assignatur: neque enim parua res est tutum esse ab insidijs, quas improbæ mulieres iuuenibus varijs vijs & rationibus instruunt. Nam & per orationis blandimenta insidiantur, & per subdolam fucatamque linguam, &per varium corporis cultum,& per naturalem acciticiámque venustatem & pulcritudinis ostentationem;&alijs præterea innumeris artibus,à quibus omnibus, fili mi, diligenter cauere debes, maximè verò ne tortis illis cincinnis, lasciuisque nutibus cor tuum capiatur & irretiatur.

26. *Precium scorti. &c.* Ostendit quam vile, quam momentaneum & pænè nihilum sit, quod per scortationem quæritur, & quàm preciosum, quod eius rei causâ amittitur. Quod enim quæritur, est breuis voluptas: quod autem perditur, est summum bonum, quod homini,cùm in hac, tum in altera quoque vita obtingere potest, nempè corpus & anima,& vita ipsa æterna,& tota nihilominus æterna substantia. Siquidem amatores propter scorta & meretrices ad exiguam panis buccellã,hoc est, ad extremam paupertatem & miseriam tandem rediguntur. At multo tamen grauius est adulterium, quam simplex scortatio. Quare dispar quoque pœna vtrique peccato hic assignatur; huic nimirum facultatum absumptio, illi vitæ & animæ perditio.

27. *Numquid potest homo. &c.* Occurrit hic duplici obiectioni, quæ ab adultero de adulterio suspecto fieri poterat. Poterat enim quispiam dicere: dabo operam, vt clanculum illud committam, atque ita pœnam, quam leges adulteris statuunt, tum periculum quoque, quod à marito imminet, facilè euadam. Adhæc autem Sapiens;in cassum niteris,& spe vanâ teipsum deludis: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo. &c.* Vt nemo mortalium tuto citraque adustionis periculum, ignem in sinu gestare potest, aut super ardentes prunas nudis pedibus ambulare, ita nemo quoque impune adulterium cõmittere valet. Nam licet adulter homines celare possit illud, adeóque humanæ legis pœnas euadere, Deum tamen, qui flagitia omnia acerrimè vindicat, latere non potest. Poterat rursum dicere non eo animo ad alterius coniugem accedo, vt rem cum illa habeam, verùm vt familiariter cum ea agam,facetéque confabuler. Ad hoc autem Sapiens: Ne hoc quidem citra adustionis, hoc est, prauæ libidinis incendium maleque suspicionis periculum fieri potest: nam creber accessus ad alienam, &

familiaris cum illa conuentus, secreti amoris, Venereæque consuetudinis suspicionem apud maritum, & scandalum apud exteros homines generat haud vulgare.

30. *Non grandis est culpa. &c.* Adulterij grauitatem ostendere volens comparat illud hoc loco cum furto, sicut paulo ante illud commiserat cum simplici fornicatione, eidémque prætulerat. Docet autem furti peccatum leue esse præ adulterio, & illud rectè: nam multo minus damnum infert proximo furtum, quàm adulterium, quia hoc detrimentum compensari non potest, illud potest. Ad hæc furtum sortitur causam fortius impellentem, quàm adulterium. Quandoquidem ad furtum impellit inopia, rerumque ad vitam necessariarum penuria; ad adulterium autem mera stultitia animique insolentia: quippe cum adulter libidinem suam aliâ & quidem licitâ viâ exstinguere potest. Nota denique, quam furtum inurit, deleri potest, quæ autem per adulterium imprimitur, aboleri nequit: siquidem maritus ab adultero læsus, vt noxam condonet, induci nec solet, nec facile quoque potest: atque ita perpetuo vindictæ occasionem obseruat & aucupatur. Conueniunt in hoc tamen fur & adulter, quod vterque vsurpet rem alienam inuito domino, & vterque rursum quærit latibula, vt clam operetur.

PARAPHRASTICA
CAPITIS SEPTIMI EXPLANATIO.

1. *Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili, honora Dominum & valebis: præter eum verò ne timueris alienum.*

FIli mi, multa hactenus grauia & salutaria dogmata morumque præcepta à me accepisti: sed quod iuuenes pleriique sanam doctrinam alterâ tantùm aure excipere soleant (vtpote ad illa magis attenti, ad quæ ætas illa magis fertur,) subuereor ne eâ fide & diligentiâ retinueris, memoriæque insculpseris, qua par erat.

Quamobrem denuò te admoneo, & quantâ contentione, curâ, & diligentiâ,

gentiâ possum, exhortor, vt sermones meos diligenter custodias, meaque precepta veluti preciosum quempiam thesaurum in imo pectoris tui secessu recondas: Vt inde, vbi vsus id postulauerit, depromere queas. Inter cetera autem sapientię precepta ea precipuè tibi commendo, quę de Dei honore, & cultu, deque eiusdem timore & reuerentia agunt, quod si ea cordi habueris, omnibus hostibus tuis fortior euades.

2. *Serua mandata mea, & viues: & legem meam quasi pupillam oculi tui.*

CONsueuerunt sæculi huius prudẽtes, ne quid ad honestam vitę sustentationem in futurum desit, multum annonæ multúmque pecuniarum & opum reponere: tu verò, vt æternùm viuas & beatè viuas, serua mandata mea, custodi legem meam, idque non quouis modo, sed eâ curâ & diligentiâ, quâ pupillam oculi soles, hoc est, accuratissimè. Nam vt absque pupillarum sanitate cæcutimus, & in tenebris ambulamus, adeoque grauiter sæpe impingimus: ita sine diuinæ legis lumine, quod sapientia ostendit, in medijs tenebris palpamus, etiamsi secundum sæculum prudentissimi habeamur.

3. *Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.*

SErua itaque legem meam, & veluti nobilem gemmam, auro inclusam alliga illam digitis, quo hac ratione perpetuo ob oculos tuos versetur, operéque ipso ostendas magni facere te illam. Inscribe eandem rursum non in æreis, aut marmoreis tabulis, vt lex Mosaica descripta exstabat, & leges nonnullæ politicæ describi nonnumquam solent; sed in tabulis cordis tui, quo semper illã ibi legere & recolere valeas, hoc est, omni curâ & diligentiâ custodi illam, ita vt nullâ obliuione possit induci, nullâ falsâ doctrinâ infici nullâ carnali impudicarum muliercularum amore contaminari, nullâ denique earundem blandiloquentiâ euerti.

4. *Dic sapientiæ, soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam.*
5. *Vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena quæ verba sua dulcia facit.*

QVòd si pro ætatis tuæ ratione & conditione (iuuenis enim es) fœminarum familiaritate & pulcritudine frui lubet, mulierum omnium pulcerrima, & venustissima est sapientia, omniumque blandissima, & eloquentissima est intelligentia: cum ijs proinde gratiam inire stude, locoque sororum illas habe. Etenim si sapientiam casto amore veluti sororem dilexeris; si intelligentiam cognatæ loco habueris, à muliere aliena & extranea, quæ suis blanditijs ad turpia cõmercia allectare consueuit, tutus eris; omnésque impudici amoris stimulos facilè superabis; id quod summi beneficij loco habere meritò teneris. Sunt namque omnes omnino adulteræ, omnes prostitutæ pudicitiæ fœminæ ad seducendum iuuenes rerum ignaros, nec non ad stuprum prouocandum instructissimæ, id quòd exemplo memorabili planéque euidenti non ita pridem ante ipsemet comperi.

6. *De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi.*
7. *Et video paruulos, considero vecordem iuuenem.*
8. *Qui transit per plateas iuxta angulum, & prope viam domus illius graditur.*
9. *In obscuro, aduespera scente die, in noctis tenebris, & caligine.*

ETenim cùm per clathratam domus meæ fenestram aliquando prospectarem, in cœtu iuuenum, qui in plateis vagari & ob sensus iudicijque infirmitatem facili negocio capi seducique solent, animaduerti vnum præ ceteris vecordem & stolidum, qui vagus & ab omni honesto opere ocio-sus transibat, non per regiam frequentemque plateam aliquam, sed per vicum angulosum paneque desertum, ad domum cuiusdam adulteræ mulieris vergentem. Gradiebatur autem per vicum illum sinuosum non medio die, non luce clarâ, sed die ad vesperam iam inclinante, noctéque iam tum impendente, hoc est, sub noctis crepusculum, tenebris noctisque caligine iam ingruentibus, atque ideo ad flagitium certâ quâdam ratione inuitantibus. Nam & locus obscurus & solitarius erat, & tempus nocturnum iudicium simul & indicium adimebat.

10. *Et ecce*

10. *Et ecce occurrit illi mulier, ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga.*

11. *Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.*

HVc autem cum vecors ille mentéque captus iuuenis obscuro iam die venisset, obambulándoque tantisper hæsisset, dum noctis caligo & tenebræ late omnia occupassent, ecce mulier quædam meretricis schema præ se ferens, hoc est, vultu, habitu, verborũ lenocinijs, totóque ore & corporis gestu impudentem meretricem exprimens, in medium proruit: erat hęc autem non modo exculta, vaga, procax, & garrula; sed libidine quoque vsque adeo incensa, tantâque impudentiâ lasciua, vt osculum aut aliud ad stuprum incitamentum nullum exspectauerit; sed magna procacitate in stolidi illius iuuenis amplexum vltro irruerit, ac varijs modis & artibus ad concubitum illum pellicere studuerit, nihilque omnino ex ijs, quæ impudentissimorum scortorum turba ad illaqueandas simplicium animas adhibere consueuit, prætermiserit.

Enimuero adultera illa non corporis cultu solùm, effrontem impudentémque meretricem referebat, verùm pedibus quoque, & manibus, & linguâ, & corde, & reliquis omnibus corporis partibus fraudem lasciuiamque spirabat. Nam & linguâ erat procaci & garrulâ; & corde rursum vago & vafro, & ad dolos texendos iustructissimo; pedibus denique ęquè atque animi affectibus vagis, & inquietis. Quare nec domi nec vllo alio loco quieta consistebat. Verũ quietis omnis impatiens, modò foris agebat, modò per ciuitatis plateas discurrebat; modo rursum ad ciuitatis angiportus & angulos sese recipiebat; ibi denique insidiarum occasionem expectabat; modo denique aliò & aliò nequitię exercendae causâ commigrabat. Paucis, omnes illius artes, omnésque motus atque conatus huc tendebant, vt incautos simplicium iuuenum animos irretiret, & in stuprum pertraheret.

13. Apprehensúmque deosculatur iuuenem & procaci vultu blanditur, dicens.
14. Victimas pro salute deuoui, hodie reddidi vota mea.
15. Idcirca egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre & reperi.

AD eum ergo modum composita & instructa, iuuenem illum vecordem & stultum, in cuius occursum prodierat, complexa est, complexumque & lasciuo osculo delinitum, procaci ore vultuque composito, ac blandâ tandem, & amorem simulante oratione, ita allocuta est. Victimas, quas pro salute tua Deo iam dudũ ante deuouerã, hodie demum fausto omine reddidi ac persolui, eáque de causa in occursum tuum prodij, tuum vultum vidère, teque coram conuenire auidè desiderans, & ecce voti compos euasi. Hæc illa tota ex dolo, tota ex imposturis consuta. Enimuero impudens illud callidumque scortum Deo iam dudum antè, quò amore illius potiretur, certum se sacrificium deuouisse confingit, ipsiusque adeò peculiarem amoris se rationem habuisse: quippe qui eum, quem auxiè quæsierat, fausto statim euentu inuenerit. Fingit adhæc ardenti illius solius amore sese flagrare, cum nullum ante obscœnum amatorem repudiasset. Neque ex vlla rursum lasciuia, aut leuitate ex ædibus in publicum prodijsse; sed illius tantùm causâ, quod nimirum ex oblata in illius gratiam victima, lautum domi epulum, magnumque ciborum apparatum reliquum haberet, cuius ipsum participem esse cuperet. Comminiscitur tandem cum complures, qui se inuitarent, admittere potuerit, nullum tamen admittere voluisse; sed seipsam, quo illum quæreret, domo relicta in viam dedisse, opportunéque, quem magno olim desiderio quæsiuerat, inuenisse.

16. Intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Aegypto.
17. Aspersi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cinnamomo.

ET quamuis nox iam impendeat, subiungit illa, nihil est tamen vt de strato sollicita sis animula mea: habeo enim lectum elegantissime instructum; vtpote stragulis sumptuosis ornatum, funibusque byssinis ex Aegypto allatis suspensum, & lignis affabrè cælatis, magnáque arte incisis sustentatum. Neque his contenta, totum quoque cubile meum myrrhâ, aloe, & cinnamomo suffiui; nequid omnino desit, quod vel ad gratiam & voluptatem faciat; vel adsit, quod vel nauseam moueat, aut cunctationem aliquam adferat.

18. *Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies.*

CVm itaque domi meæ omnia magnificè, sumptuosè, & splendidè sint instructa, nihilque desideretur ampliùs, quod vlli omnino sensui voluptatem conciliare queat; *Veni, inebriemur vberibus, vsquedum dies illucescat & fruamur amplexibus diu hactenus concupitis.* Hoc est, age, vsque ad satietatem indulgeamus amoribus & carnis illecebris; vt quæ non minus carnis sensui sint iucunda & grata, quam vbera dulci lacte plena teneris infantibus; totâque nocte, dum sol mane oriatur, lasciuis vacemus complexibus, suauiisque & osculis: sunt namque eiusmodi opera noctis & tenebrarum propria, non diei aut lucis.

19. *Non est enim vir in domo sua, abijt viâ longissimâ.*
20. *Sacculum pecuniæ secum tulit: in die plenæ lunæ reuersurus est in domum suam.*

NEque est vt mariti mei impetum aut gladium metuas; aut, ne te repente obruat ac trucider, formides, siquidem hac parte tutum te esse iubeo. Quandoquidem vir meus non est domi, procul hinc peregrè abiit; neque breui temporis spacio huc denuo est reuersurus. Vt qui non paruam pecunię summam in sumptus necessarios secũ asportauerit. Et licet maximè properet, attamen ante diem constitutum, hoc est, ante plenilunium, vel, vt aliis magis placet, ante nouilunium neomeniæue festum domum non est rediturus. Nihil est ergò quòd à mariti mei insidiis tibi timeas, & quamuis domi esset, vel non procul abesset, adhuc securus esto. Nam ille etiam cum domi præsto est, absens est: vt qui nullam domi habeat potestatem, nullam auctoritatem. Tota enim auctoritas & potestas penes me vnam est.

21. *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum.*

HIc tantis verborum lenocinijs, sermonisque & labiorum blanditiis flexit illum, suæque sententiæ & voluntati subscribere compulit: nec mirum sanè iuuenem otiosum & vagum, omnique sapientiæ præsidio destitutum, tot machinis & arietibus pulsatum, tot modis & rationibus ad libidinem prouocatum callidissimæ perditissimæque meretricis importunitati tandem cessisse; cùm viri quoque fortes & constantes tot machinis quassari,

moueri potuissent, & plurimi minoribus artibus & molitionibus expugnati, moti fuerint.

22. *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur.*

23. *Donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur.*

CVm hinc ergo multis modis oppugnatus, pulsatus, & prouocatus esset; inde verò nullo firmo præsidio munitus foret, (nam neque sapientem comitem habebat, neque præceptorum Dei, quæ olim à parentibus hauserat, memor amplius erat; neque Dei timorem ob oculos cernebat, neque discrimen in quo versabatur, considerabat) statim quasi bos petulcus, aut agnus lasciuiens magnâ animi voluptate & alacritate adulteram secutus est. Etenim vt bos vel agnus, quum è stabulo educuntur ad macellum, rati ad pinguia pascua, vel ad liberam auram se euocari, nonnumquam lasciuiunt & saliunt; ita vecors ille iuuenis arbitratus ad conuiuium, carnisque illecebras se inuitari & pertrahi, reipsa ad mortem & seruitutem pertrahebatur. Rursum vt homo insanus, mentéque & ratione captus, dum ad compedes, aut virgas, vel ergastulum abducitur, aliò se duci existimãs, gestit & iubilat; & tintinnabula, quibus ornatus est, insolenter agitat; ita miser ille ad epulum lectumque molliter paratum rectâ se pergere stolidè credens, pergebat ad vincula & carcerem, in quæ propter adulterium venire nequaquam non poterat. Nam etsi modò ad tempus hîc impune peccet, tantisper tamen gestiendo & lasciuiendo ad adulteram currit, donec tandem lethalis sagitta iecur eius transfigat, hoc est, donec maritus adulterę, vel lex ipsa, vel acerrimus scelerũ vindex Deus mortiferum vulnus illi inferat & è medio illum tollat, aut certè donec insanabilis amoris telum iecur illius traiiciat: vel certe donec sanæ pœnitentiæ mucro cor illius findat. Solet enim vera pœnitentia omnem libidinem & voluptatem penitus abscindere.

Denique vt auis ignara, quòd de vitæ suæ periculo agatur, auide festinat ad escam insidiosè obiectam; ita stultus & vecors ille, inscius de salutis suæ iactura agi, alacri animo ad meretricis complexus propositumque ab illa apparatum properat.

24. *Nunc*

24. *Nunc ergo, fili mi, audi me, & attende verbis oris mei.*
25. *Ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis eius.*

CVm igitur res meretricia tanto cum salutis discrimine sit coniuncta, adulteriaque & cetera carnis flagitia tam infelices exitus sortiantur, tu fili, verbis oris mei obsecutus da operam, ne mens tua à via veritatis & honestatis abstracta, ad vias illius declinet, aut ad callem, qui ad turpitudinis eius domum tendit, sese inflectat. Vt enim salutis initium est ab ædibus illius quam longissimè recedere; ita peccati, & perditionis principium est studiosè vias, quæ ad ædes eius ferunt, declinare. Tu itaque principijs obsta, viarumque & operum adulteræ orbitas deuita, ne forte in semitis illius aberrans, obuiam illi venias, blandisque sermonibus illius allectus capiaris & pereas.

26. *Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.*
27. *Viæ inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.*

MVltos namque quotidie vulnerant adulteræ, multos subindè impuræ meretriculæ non ignauos vel timidos tantum, sed robustos quoque occidunt, idque in vtroque homine. Cur ita? quia via domus eius, est via inferni, rectâ penetrans ad interiora mortis. Vix vlla enim alia compendiosior, & certior, ad sepulcrum, mortem, & infernum extat via, quàm illa, quæ ducit ad domum adulteræ, vel ad meretricum lustra. Quamobrem, fili, cum ad domum adulteræ vel scorti tendis, cogita te rectâ ad inferos tendere. Cum vltra vero ad illius conclaue procedis, ad æternæ mortis cubile te pergere certò apud te constitue. Quòd si eo es corporis robore, vt præsentem mortem non formides, saltem animæ interitum veritus, omnem illicitam Venerem veluti basiliscum fugias.

AD CAPVT SEPTIMVM SCHOLIVM.

1. *Fili custodi sermones meos. &c.* Multa hactenus de vitanda scortatione & adulterio, deque impudicarum mulierum artibus & fraudibus proposuit Sapiens, nunc verò illustri paradigmate obscenarum mulierum impostu-

impoſturas, dolos, & blandimenta ob oculos ponit. At prius tamen quàm id faciat, filium, vt ad doctrinam & morum precepta diligenter attendat, iterum iterumque hortatur, id quod alibi paſſim facit. Nouit enim, iuuentutem ad pietatē morúmque diſciplinam capeſſendam tardam eſſe adeoque crebris acribuſque ſtimulis indigere.

Fili honora. &c. Hæc ex lxx. editione ſunt petita, neque multum ad rem faciunt, quare in emendatis quoque exemplaribus Latinis non habentur: ſignificatur autem Deum præ ceteris omnibus honorandum, timendum, & colendum, hoſtiiſque & ſacrificiis frequenter placandum, & demerendum; quippe quod id genus erga illum officia, validiſſimum aduerſus omnes hoſtes & tempeſtates præſidium exoptant. Cum autem aſſerit nullum præter Deum timendum, aliud nihil docet, quàm nullum eo timore, quo Deus timeri ſolet & timeri quoque debet, extimeſcendum eſſe. Nam vt ſuper omnia eſt amandus, colendus, & honorādus; ita ſuper omnes quoque timendus, iuxta illud Euangeliſtę: *Nolite timere.*

2. *Serua mandata. &c.* Intelligebat Sapiens vitam omnibus percaram eſſe, nihilque exſtare, quod ipſi præferri ſoleat. Quamobrem quo filium ad legis obſeruationem efficacius moueat, promittit hic illi vitam ſempiternā: *Serua*, inquit, *mandata mea, & viues*; non vtique ad tēpus, ſed in omne æuum. Verum non ſegniter ſeruare debes, ſed accuratè. Quo hoc autem conſequaris cordi imprimè & digitis circumpone, & opere exprimere ſatage.

4. *Dic ſapientiæ ſoror mea es. &c.* His verbis blandè ad ſapientiæ ſtudium inuitat, quæ enim dicit huc tendūt. Si, vt iuuenes aſſolent, amare omnino lubet, age, ſapientiam ama. Hæc enim pulcritudine & nobilitate, formâque & indolis præſtantiâ mulieribus omnibus præſtat; neque te exterarum mulierum amore capi facile permittet; à quibus alioqui iuuenes facili negocio capi ſolent. ſunt enim illæ ad illaqueandum doctiſſimæ.

6. *De feneſtra domus meæ. &c.* Elegantiſſimo exemplo oſtendit, quantæ ad ineſcandum & ad ſtuprum pertrahendum meretricum ſunt artes. Aſt verēne, quod his narratur, acciderit, an docendi tantum cauſſâ in medium allatum ſit id certò nondum conſtat; certum eſt tamen, quod ſcribitur fieri potuiſſe, multaque ſimilia frequenter accidiſſe. Summatim autem tria exponit: primò occaſiones, per quas incauti ſapientiâque deſtituti iuuenes in fœdæ libidinis foueam haud difficulter pertrahuntur. Mox impudicæ mulieris mores fraudesque, quibus iuuenes circumueniunt. Poſtremò quanto cum ſalutis periculo carni vel mulieri ad flagitium pellicienti aſſenſus præbeatur.

beatur. Ceterum per cancellos Sapiens desigãt locũ, vnde ipse, quæ in platea fiebant videre & obseruare poterat; neque tamen ab aliis videri. Vidit autem inter alios simplices captuque faciles, quemdam ad retia valde idoneum. nam & iuuenis erat, & vecors, & otiosus, & vagus, neque per regiam viam incedebat, sed angulos & lustra & loca obscura consectabatur; hæc enim omnia ad illicitam Venerem viam sternebant; neque his contentus ad domum quoque adulteræ se adiungebat, idque tempore obscuro, & nocte iam impendente. Porrò autem quatuor distinctæ voces, quæ ordine hîc ponuntur, videlicet, *Crepusculum, Vespera diei, Noctis nigredo, Caligo*, progressum, qui in peccatis contingere solet, insinuant. Primo enim offertur tentatio, hinc sequitur oblectatio, mox consensus in opus lege inhibitum, postremò opus ipsum. Crepusculum obtinet medium inter tenebras & lucem, atque ita adumbrat tẽtationem. Vespera diei, quod plus habeat obscuritatis, quàm lucis, oblectationem. Noctis nigredo & Caligo, quod omnem lucem tollant, plenum in prauũ opus consensum, ipsumque adeo opus.

10. *Et ecce occurrit. &c.* Describit adulteram, quæ studio iuuenem aliquem obseruasse videtur eiusmodi, cuiusmodi iam descriptus est, nempe vecordem & stolidum, libidinique deditum. Inducitur autem hæc mulier summè impudens. nam neque, dum ad flagitium inuitetur, exspectat; sed vltrò huc prouocat; nec habitu honesto prodit in medium, sed meretricio. Et quo timorem omnem exuat, maritum abesse, & Deum iam per sacrificia placatum mentitur. Paucis, ad fallendum & euertendum instructissima inducitur: vaga nihilo secius, & garrula, quietis impatiens, nusquam illubentiùs quàm domi consistens.

11. *Nunc foris, nunc in plateis. &c.* Per hæc exprimitur quomodo vaga, & quietis impatiens fuerit, & quo fine vtrúmque fuerit. subijcitur quoque triplex eiusdem actus, quo insignis illius lasciuia & impudentia ostenditur. Nam & stultum iuuenem vltrò complectitur, & lasciuè deosculatur, & deosculatum blandissimè planéque meretriciâ oratione affatur, & licet, quidquid faciat, solius lucri libidinisque causâ faciat, incensi tamen amoris causâ se facere nugatur.

14. *Victimas pro salute deuoui. &c.* Hic locus non vno modo exponitur. Aut enim ait diu se pactam sacrificium, vt primum illius compos fieret, illud autem iam tandem soluendum. Aut illius tantùm causâ lautum conuiuiũ se instituisse, quod alioqui ex voto pro salute illius edito iam debebat, vt magnum esculentorum & poculentorum apparatum ex mactatis

victimis reliquũ sibi esse asserat, adeoque generaliter cum illo cupiuisse viuere, frontémque exporrigere.

16. *Intexui funibus. &c.* Per hæc, & mirificè ad lasciuiam inuitat, & obiectioni simul occurrit, quàm vecors ille adolescens facere poterat. Quandoquidem absoluto iam lasciuo illo colloquio dicere poterat: iam alta nox est, de cubili mihi prospiciam necessum est. Adhæc autem illa: Non isthæc te cura mordeat, habeo lectum luculentissimum, sumptuosissimeque & mollissimè instructum, & gratissimis nihilominus odoribus aspersum, & totum denique cubile meum aromatibus delibutum.

18. *Veni inebriemur amoribus. &c.* Hâc oratione apertâ & impudente inuitat ad adulterium: Veni, inquit, totâque nocte vel ad ebrietatem, vel satietatem vsque, carnis illecebris nos oblectemus. Neque est, vt vllum omnino periculum hinc metuas; quia vir meus non est domi, neque intra dies aliquot domum est rediturus: sed neque præsentia quoque illius magni facienda est, quippe cum ego totius domus principatum obtineam.

21. *Irretiuit eum multis. &c.* Hæc paucis complectuntur muliebrium insidiarum & impostrarum catastropham, totiusque tragœdiæ exitum, qui fuit vecordis iuuenis debellatio, & in illicitam Venerem consensio.

22. *Statim eam sequitur quasi bos. &c.* Perpulcra & percommoda similitudo, qua infelix meretricij amoris exitus ad viuum exprimitur: etenim, vt bos petulcus, vel agnus lasciuiens cùm ad lanienam ducuntur, sæpe lasciuiunt & saliunt, rati se ad læta pascua, vel ad liberam auram recreationis causâ duci; ita iuuenis ille ratus ad conuiuium gratasque carnis illecebras se pellici & inuitari, trahebatur ad mortem & damnationem. Hæc enim scortatorum & adulterorum sunt præmia

Et ignorat stultus. &c. Hæc alia est similitudo eodem tendens. Sicut, inquit, fatuus, dum ad compedes vel carcerem abducitur, sæpe, quæ eius stultitia est, iocatur & ridet; quia non perpendit quo vincula illa tendunt; ita vecors adulter vel scortator, dum voluptatis causâ scorta sectatur non animaduertit se in dæmonis seruitutem præcipitem rapi, rectâque ad mortem & damnationem proficisci.

23. *Donec sagitta transfigat. &c.* Sunt qui hæc ad similitudinem proxime præce-

præcedentem referant, vt sit sensus; stultus toties veniet ad compedes, donec tandem configatur. Alij ad proximè sequentem ad hunc modum: auis toties aduolat ad escam obiectam, donec tandem capiatur: nonnulli ad omnes tres in hunc sensum: vt bos vel agnus lasciuit, & stultus non absque risu ad compedes tendit, & auis escam obiectam petit, donec tandem jecur illius sagittâ transfigatur; ita adulter adulterium toties repetit, donec tandem omnino trucidetur, & è medio tollatur.

23. *Velut si auis. &c.* Hæc est tertia similitudo, quâ declaratur periculum, in quo adulteri versantur, & infelix exitus, quem plerique omnes sortiuntur, estque vna hæc præ ceteris & viua & apta. nam vtrobique extant insidiæ, vtrobique esca obiecta, vtrobique periclitatio, vtrobique tandem mors.

Et nescit. &c. Aduerte vt clausula illa, *donec sagitta transfigat iecur eius*, ad omnes tres similitudines rectè transfertur; ita clausulam hanc ad omnes tres percommodè referri posse in hunc sensum. Quemadmodum bos saliens haud intelligit de vita sua agi; donec lanioni frontem in macello porrigat; & vt stultus compeditus ignorat de corio suo agi, donec magistro dorsum præbere compellatur; & vt auis ad escam aduolans, nescit de vita sua agi, donec capiatur; ita adolescens impudicæ mulieris amore captus, nescit quo in periculo versetur, donec tandem transfigatur.

24. *Nunc ergo, fili mi. &c.* Discrimine, in quo adulteri & scortatores versantur tribus percommodis similitudinibus indicato & explicato, ad filium ceterosque, quorum ætas adhuc rudis & infirma est, orationem denuo conuertit, admonens & obsecrans, vt non modò adulteria, ceteráque carnis flagitia studiosè deuitent; verùm etiam alia omnia, quæ viam ad illa muniunt, aut occasionem offerunt: adeo vt vias quoque, per quas graditur adultera, easque præcipuè, quæ ad domum illius abducunt, declinare debeant.

26. *Multos enim vulneratos. &c.* Hunc versiculum quotidiana exempla confirmant. siquidem innumeri propter adulteras & scorta, vel illarum certe rerum occasione, quotidie cadunt, & iam olim ceciderunt: & inter illos quàm plurimi robustissimi, ne quis viribus suis nimium fidat; aut ob animæ vel corporis robur sese euasurum confidat.

27. *Viæ inferi. &c.* Hæc ea confirmant, quæ modò præmiserat, nempe permultos passim propter scorta, & adulteras vulnerari & occidi: viæ, quæ ad meretricis lustra, vel adulterarum ædes tendunt, rectâ

tendunt

tendunt ad mortem & infernum. Quamobrem, si scortatores expenderent non eâ alacritate ad lupanaria contenderent, quâ nunc contendunt. Quæcumque hactenus de improba muliere dicta sunt, ea omnia sublimiori sensu ad carnis sensum, & hæresim verissimè referri possunt, maximè vero ad huius temporis hæreses & mores.

PARAPHRASTICA

CAPITIS OCTAVI EXPLANATIO.

1. *Numquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam?*
2. *In summis excelsisque verticibus, supra viam, in medijs semitis stans.*
3. *Iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus loquitur, dicens.*

NEque causeris hîc fili, ac dicas; impudicâ muliere missâ, equidem sapientiæ mandatis libenter parerem, si vocem illius audire liceret, suíue copiam ipsa faceret. Verum cum nusquam illa compareat, nusquam vocem edat, quomodo illi obtemperare, aut vllam omnino cum ea familiaritatem inire potero? Siquidem hæc causatio nullo prorsus fundamento nititur, cum sapientia & intelligentia passim clamitent, omnésque familiariter ad se inuitent; neque enim illæ clanculum, aut in obscuro angulo, vt meretrix illa, dant vocem, sed publicè locisque maximè conspicuis: neque in angusto vico clamitant, sed passim & vulgò; neque in terræ cauernis, vt hæretici solent, mussitant, sed in summis montium verticibus, eminentioribúsque ciuitatis speculis personant, vt remotè quoque positi facile audire queant; neque extra viam, sed iuxta viam prostãt, neque in vna tantùm semita aut via concionantur, sed in medijs viis semitarumque coïtonibus; neque procul à porta merces suas venditant, sed ad ipsas ciuitatis portas, vel in ipso verius ciuitatis introitu, hoc est, non vni tantùm hominum generi, aut ætati, sed omni omnino statui, sexui, & conditioni promiscuè. Hoc enim per eam locorum diuersitatem, in quibus prostant, disertè insinuatur.

4. *O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum: intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduertite.*

AD vos, ô viri, clamo, ad vos, ô filij hominum, orationẽ meam dirigo: expergiscimini paruuli, & intelligite astutiam, arrigite aures stolidi, omnésque

omnésque indiſcriminatim, quia omnes ſaluos, omnes mearum opum participes fieri deſidero, omnes proinde adeſte, non tantùm viri principes virtute, potentiâ, opibusque excellentes, non tantùm ſapientes, non tantùm magni & validi; ſed filij quoque hominum, & paruuli, & rudes, & infirmi, & inſipientes & omnes denique cuiuscumque generis, ordinis, ætatis, ſexus atque conditionis homines. Adeſte (inquam) & animaduertite omnes, præſertim vero vos paruuli, qui nihil altum, nihil ſublime ſapitis; ſed toti adhuc humi repitis; & vos itidem inſipientes, qui ita ſtolidi & hebetes eſtis, vt inter rectum & obliquum, inter bonum & malum vix diſcernere valeatis. Nam etſi ſapientia vbique clamet, vbique obuia ſit, non ab omnibus tamen percipitur, ſed tantùm à quærentibus & attendentibus ſeſeque illâ non indignos exhibentibus.

6. *Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum: & aperientur labia mea vt recta prædicent.*
7. *Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur impium.*

AVdite & attendite non mirabilia naturæ opera, non perplexas Philoſophorum quæſtiones, non inania paruique momenti ſophiſmata proponam vobis; ſed magna & illuſtria, ſed inſignem vſum habentia: neque enim labia mea, vt quiduis indiſcriminatim effutiant, aperiam; verùm vt ea depromam, quæ ſunt ſana & plana, fideique & veritati, & vitæ honeſtati per omnia conſentanea. Quandoquidem guttur & cor meum non meditatur vanitatem, ſed veritatem; non obliquitatem, ſed rectitudinem; non iniquitatem, ſed æquitatem. Etenim labia ceteraque elocutionis organa mea iam inde ab initio ita ſunt cõparata, vt impium omnémque omnino impietatem vehementer deteſtentur; tantum abeſt vt impietati patrocinentur, aut aliquid, quod orthodoxæ veritati aduerſetur, proloquantur.

8. *Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum.*
9. *Recti ſunt intelligentibus & æqui inuenientibus ſcientiam.*

FIli, ſermones mei non ſunt Philoſophorum, aut paganorum placitis ſimiles, aut hæreticorum doctrinæ affines: nam etſi illa multa vera contineant (alioqui nemo legeret, nemo curaret) attamen multa paſſim falſa, vana, & profana admixta habent. At mei ſermones omnes ſunt ſancti, iuſti & recti, déque iuſtitia, & æquitate ex profeſſo inſtituti, & quidem omnes ita

nes ita ſunt ſancti, iuſti & recti, vt nihil in ijs comperiatur impurum, nihil prauum, nihil diſtortum, nihil peruerſum. Interim licet omnia oris mei eloquia ſint recta, iuſta, & ſancta, non omnibus tamen eiuſmodi apparent; ſed ijs tantùm, qui æqui boniq́ue ſcientiam pollent, quique meos ſermones perfectè intelligunt. At non omnes intelligunt, quia non omnes, vt intelligant, diligentem dant operam; vel certè quia mentem, in qua ſapientia recipi debebat, alijs iam rebus obſtructam & præoccupatam habent.

10. *Accipite diſciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quàm aurum eligite.*

11 *Melior eſt enim ſapientia cunctis opibus pretioſiſsimis: & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.*

QVotquot proindè & qualeſcumque eſtis, ſiue viri principes, ſiue filij hominum, ſiue homines ignari rerumque rudes, ſiue ſtolidi, menteque capti, agite, meam doctrinam meamque eruditionem capeſſite, pluriſque omni auro & argento illam facite: quia vna hæc vos ſaluos Deoque acceptos facere poteſt; aurum autem & argentum, ceteraque omnia, quæ vulgò in bonis habentur, per ſe iſtud non poſſunt. Capeſsite hanc, inquam, præ pecunia; quia non poteſtis vtrique comparandæ ex æquo vacare. nemo enim poteſt duobus dominis, vitâ præſertim & moribus inter ſe diſsidentibus ſimul ſeruire: tum maximè, quia ſapientia omnibus margaritis & vnionibus nedum exiguis pecunijs plurimum præſtat. Imo verò nihil vſquam exſtat quod cum illius valore & precio comparari queat; ſiue internam illius vim ſpectes, ſiue fructus, quos edit, conſideres.

12. *Ego Sapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.*

ENimuero vna illa in omnibus orbis partibus primatum obtinet, ſuasq; vires vbique exſerit. Quare magnâ de ſe ipſa fiducià hoc loco ita loquitur: Ego in ſano prudentique conſilio habito, hoc eſt, vbicũque ſana & rectâ conſilia inueniuntur, abeſſe non ſoleo: neque enim ſolertia & in rebus agendis prudentia mihi deeſt, imo verò omnes prudentiæ, conſilij, & aſtutiæ vias notas exploratasque habeo, eruditisque cogitationibus intereſſe gaudeo: paucis, vbi ratio enititur, vt aliquid prudenter inſtituatur, vel tranſigatur, ibi ſemper præſto ſum, bonáque conſilia ſuggero, ac totum negotium mirâ ſuauitate & prudentiâ dirigo: vt quæ omnem bonorum conſiliorum & cogitationum rationem accuratè teneam.

13. *Timor*

13. *Timor Domini odit malum: arrogantiam & superbiam & viam prauam, & os bilingue detestor.*

QVia rursum timor Domini, vnde ego prognata sum, odit omne malum & peccatum, præsertim vero superbiã, viã prauam, & os bilingue, fit, vt ego quoque tria hæc summo odio prosequar, summáque detestatione execrer: nec iniuriâ. Siquidem superbia vel arrogantia, quæ in mente internisque cogitationibus præcipuè sita est, est initium & quasi radix omnis peccati: praua autem via, quæ in actione consistit, prauam peccandi consuetudinem includit, quæ humanæ saluti est omnium infestissima: os denique bilingue, quale est, quod aliud loquitur, aliud meditatur, & apud diuersos de eâdem re sæpè diuersa, omnem pacem, omnemque humanam societatem penitus dissoluit, merito proinde sapientia tria hæc odit.

14. *Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo.*

NEque mireris, fili, si paulo antè in prudentibus consilijs, eruditisque cogitationibus me versari dixerim. Nam vt omnes bonæ leges, piaq; statuta ex me fluunt; ita bona quoque iustáque consilia. meum enim consilium iustitiâ & æquitate numquam destituitur, neque destitui potest. Ex me rursum prodit omnis prudentia, omnísque rectè intelligendi ratio penes me tandem habitat, omnis vera generositas, omnísque animi fortitudo. Per me etiam honores & principatus obtinentur, per me cuncta fortiter & generosè administrantur, per me denique omnes tentationes & aduersa debellantur & expugnantur.

15. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.*
16. *Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.*

PEr me, inquam, Reges ad regna perueniunt, prudentérque & sanctè illa gubernant, nec non intra legitimi imperij limites, ne in tyrannidem degenerent, constanter detinentur, per me legumlatores & magistratus iusta decernunt, æquásque & rationi consentaneas leges ferunt. Neque enim illi iustas leges condere, populóque proponere dicendi sunt, qui alium scopum, quàm iustitiã, bonique publici promotionem præfixum habent. Per me denique Principes imperant; omnésque potẽtatus & terræ iudices munere suo rite funguntur; hoc est, siue leges condant, siuè sententiam inter partes cõtrouertentes ferant, omnes meâ ope, meâque solertiâ & industriâ

nituntur: Siquidem nullum omnino exſtat munus, ſiue illud priuatum, ſiuè publicum fuerit, quòd ſine me rectè & cum laude adminiſtrari queat.

17. *Ego diligentes me, diligo: & qui mane vigilant ad me, inueniunt me.*

VErùm licèt ſapientia ad quoduis munus rite obeundum comprimis ſit neceſſaria; attamen non omnibus, qui in functione aliqua verſantur, obuenio: nec aliud in cauſa eſt, quàm quod non omnes debito amore me complectantur, neque eo, quo par erat, ſtudio me quærant. Ego enim me diligentes viciſſim diligo; & qui mane vigilanter me quærunt, haud difficulter me inueniunt: Siquidem vt alicui obtingam, nullo opus eſt ære aut precio; nullâ machinâ, aut vibellicâ; nullo magnatum aut principum fauore, ſed ſolo amore & ſtudio. Quandoquidem aliud nihil eſt manè quærere, quàm ante omnia, vel ſtudiosè quærere. Quamobrem ſomno ventriq́ue dediti raro me reperiunt, quia neque me caſte diligunt, neque manè me quærunt, neque idem poteſt mane me quærere, & ſomno nihilominus prolixo indulgere.

18. *Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia.*

LIbenter, inquis, te ceteris omnibus anteponerem, ſummáque curâ & diligentiâ perquirerem, verum vxorem habeo, liberos & familiam alo, quos ſine magnarum opum pręſidio honeſtè ſuſtentare non valeo; neque citra famæ honorisque iacturã illorum curam abijcere queo: ſimul autem ſapientiæ & his vacare nimis arduum cenſeo. Bono animo eſto, ait illa, ſi me amaueris & quæſieris, certóque iuueneris (ſicut haud dubiè inuenies, ſi verè amaueris, rectéque quæſiueris) inuenies ſimul opes, non quaſuis, ſed magnificas; iuſtas itidem & ſtabiles, inuenies nihilo ſecius gloriam & honorem, ceteráque omnia, quæ mundus amare, & ambire ſolet. Curis proinde ceteris miſsis, me dilige & ante omnia venare; & apud me inuenies diuitias, & gloriam, iuſtitiam, opesque firmas & ſtabiles; quales fere non ſunt prudentum huius ſæculi, vel quia contra iuſtitiã parantur, vel quia iniuſtè detinentur, vel quia iniquè diſpenſantur.

19. *Melior eſt enim fructus meus auro & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo.*

NEque tamen in rebus iſtis fluxis, fortunæque ludibrijs, aut mundi honoribus pręcipuas opes meas collocatas exiſtimes; fructus enim, quos

ego

ego fundo, meisque cultoribus impertio, omni auro lapidéque precioso sunt preciosiores; meíque prouentus selectissimo argento præstant; etenim opes, honores, ceteraque, quæ ego largior, ea sunt sempiterna, veréque beãt & felices reddunt; hoc autem mundi huius honores & facultates nequaquam possunt.

20. *In vijs iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij.*
21. *Vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.*

ADhæc seculi prudentia patronos suos per vias iniquas ad desideratas diuitias plerumque ducit; ego autem vt in vijs iustitiæ, iudicijque semitis ambulo; ita illos, qui me sectantur per semitas iustitiæ ad sempiternas illas opes promissasque delicias duco, & quamuis eos, qui sincerè me diligunt, ditare cupiam, non ob id tamen à iustitia deflecto; nec cuiquam, quod suum est, eripio; sed medium iudicij & æquitatis vbique seruo, & seruare cultores meos doceo; quo pro iustitiæ meritò, & æquitatis ratione illos ditare, eorumque thesauros implere quandoque valeam; non tàm bonis istis caducis & temporarijs, quàm sempiternis & spiritalibus. Volo enim eos, qui me diligunt, eius quod semper, & stabile est, hæredes constituere, eorumque thesauros animæque vires ijs bonis replere, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit.

22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.*

NEque mireris, si æterna promitto, quasi eiusmodi promissa præstare nequeam; propterea quòd æterna priuatâ auctoritate impertire, illius solius videatur proprium qui, numquam non fuit, est, & erit. Nam & ego quoque æterna sum: siquidem Dominus omnium viarum operumque suorum initium me habuit. Per me enim fecit, quæcumque fecit, & sine me ab eo factum est nihil. Neque tamen tunc primum, cùm cœlum & terram condidit, possidere me cœpit; *Possedit me enim ab initio antequam quidquam faceret*, hoc est, iam inde ab omni æternitate, adeóque æque æterna sum atque ille, apud quem ab æterno fui. Etenim si ante omne Dei opus apud Deum exstiti, cunctáque per me vnã facta sunt, efficitur omnino me non aliquod Dei opus esse; sed rerum omnium opificem, Deo coeternam cum non exstet nisi vnum tantum æternum.

23. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.*
24. *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant.*
25. *Necdum montes graui mole constiterant, ante colles omnes ego parturiebar.*
26. *Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ.*

AB omni igitur æternitate ordinata princepsque constituta sum, antequam terra condita subsisteret, ante exortas abyssos. Quando nulli adhuc fontes eruperant, neque vlla aquarum vis producta exstabat, ego iam formata eram. Necdum montes graui mole subsistebant; neque colles fundati erant, quando ego iam existebam. Necdum terram, fluidamque aëris naturam fecerat; neque tellurem habitabilem, culturæque idoneam reddiderat; neque orbem illius in certas plagas regionesque digesserat, quando ego iam regnabam: quippe per quam isthæc, ceteraque omnia, quorum speciatim non memini, condita sunt.

27. *Quando præparabat cælos, aderam: quando certâ lege & gyro vallabat abyssos.*
28. *Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum.*
29. *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ.*

NEque tum solum presto eram, operámque præstabam, quando terram, eius denique spacia, & flumina, & aëris ignisque elementa, tum cœlos quoque corporáque cœlestia condebat; verùm tum etiam, cùm omnia hæc certo ordine, pondere, & mensurâ digerebat & disponebat, singulísque suas leges præfiniebat, suásque vires & operationes imponebat; nam & quando abyssum totámque illam vastitatem, quæ inter cœlum & terram interiacet, quasi circino descriptam delineatámque ad formam orbicularē redigebat, suâque omnipotentiâ quasi vallo quodam intra certos limites concludebat, ceteráque, quæ huc faciebant, adhibebat, equidem præsto eram. Pari modo quando æthera totámque superiorem aëris regionem (quam elementale cœlum appellamus) sursum firmabat; & nubes, quæ vberes aquarum fontes sunt, in medio aëre librabat & suspendebat, eásque ab aquis, quæ supra firmamentum sunt, ab aquis rursum, quæ infra aërem existunt, secernebat, præsens aderam; sed neque tùm quoque deeram, quando mari certum terminum, quem transilire non liceret, præfigebat aquísque,

aquísque limitem, intra quem consisterent, præfiniebat. Quando denique, terræ fundamenta appendebat, suâque omnipotenti virtute, & voluntate illam in medio immobilem suspendebat, (neque enim alia sunt terrae fundamenta, quam efficax Dei voluntas summáque eiusdem potentia) ego itidem cum eo erã. Quando, inquã, hęc omnia fiebant, ego semper illi aderam cunctáque vnà cum illo suauiter componebam, hoc est, omnia, quæ per me facta fuerant magnâ suauitate gubernabam, assiduóque fouebam & conseruabam, nec non singula in suos legitimos fines dirigebam & impellebam, maximè verò hominem, propter quem facta sunt omnia. Siquidem vnus hic ad finem, ad quem conditus erat, suis viribus venire non poterat; adeóque, vt à diuina sapientia dirigeretur, foueretur, & promoueretur, escísque spiritalibus aleretur, & subinde reficeretur, opus habebat.

30. *Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore.*

GVbernabam itaque, & componebam cum eo suauiter omnia; neque vllam hinc tamen, aut molestiam capiebam, aut laborem sentiebam, quin potiùs in magna lætitia & oblectatione apud cœlestis sapientiæ patrem versabar. Procedebat námque opus illud è nullo prorsus priuati quæstus, aut proprij commodi desiderio, sed ex spontaneo gratuitóque amore, quo nullius præsidio indigens, nullius gratiam ambiens ferebar in omnia, pręcipue verò in hominem: siquidem in pręcipuis deliciis duco sempérque duxi, versari, & viuere cum filiis hominum. Neque assiduò tantum læta apud eum agebam, sed quotidie quoque ludebam coram eo, hoc est, ex operibus summâ sapiẽtiâ, summâque potentiâ à Deo per me factis, tantum gaudium, tantámque oblectationem & voluptatem capiebam & capio, vt gestienti vel ludenti, non absimilis videri possem.

31. *Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.*

PORro autem quæ omni tempore, hoc est, ab omni æternitate in summa felicitate, gaudio, & oblectatione apud Deum vixi, post terrarum orbem conditum: ex illo ipso quoque suauíque eiusdem gubernatione & administratione non vulgarem lætitiam & oblectationem cepi, pręcipuè verò ex homine, vt qui solus inter omnia animantia ad mei imaginem conditus, meíque sit capax, imo verò solus, propter quem reliqua omnia condita exstant. Meae igitur praecipuè delitiae sunt cum homine esse, cum homine

viuere,

viuere, cum homine societatem & familiaritatem inire, in hominem tandem me totum transfundere, & transformare.

32. *Nunc ergo filij audite me, Beati qui custodiunt vias meas.*
33. *Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abijcere eam.*

CVm is ergo in hominum genus sapientiae sit sensus, ea mens, is affectus, quid tandem moratur, quid detinet, vel obstat, filij, quo minus aures faciles mihi praebeatis, meísque praeceptis atque consiliis alacriter & ex animo parere incipiatis. Beati sanè & ter & amplius fortunati; non qui carnis voluptatibus dant operam; non qui blandis meretricum sermonibus obsequuntur, earumdémque vias obseruant; non qui opibus affluunt, aut mundano fastu turgent, sed qui vias meas, hoc est, mea praecepta, meáque monita & consilia custodiunt, operéque illa exprimunt, alioqui enim verè beati haberi non possunt. Notum est illud Christi: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

Audite proinde disciplinam & eruditionem, deprauatos mores corrigite, virtutum studia capessite, neque illotis pedibus ad sapientiæ arcana contendite; sed ritè ad eam comparandam vos componite. Quod si feceritis breui citra controuersiam sapientes euadetis, omnémque pœnam & castigationem subterfugietis. Capessite, inquam, sapientiam & disciplinam, eósque, qui gratis vos erudiunt, vel ob errata quoque paternè castigant, magni faciatis; neque improborum hominum more sanam illorum doctrinam repellatis, irritámue reddatis; sed viuam efficacémque in vobis exstitisse ostendite.

34. *Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei.*

BEatus planè est homo ille, qui me audit non semel in anno, & frigidè, sed auidè & quotidie; quique vigilat ad fores meas nullo non tempore, hoc est, singulari curâ, studio, & vigilantiâ me inquirit; maioréque diligentiâ quam vlli alteri rei mihi dat operam: Quandoquidem qui summo mane me quærunt, & ad ad fores meas indefessè excubant, postesque ostij mei peruigiles obseruant, indubitatò voti compotes euadunt. Scriptum est enim: *Qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperitur.* Neque enim aliud est, *Quærere* & *Pulsare* quàm ad fores sapientiæ excubare.

35. *Qui*

35. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino, qui autem in me peccauerit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.*

QVi autem me inuenit, is incomparabilem vtique bonorum omnium thesaurum reperit, nempe vitam, quam omnes naturaliter optant, & salutem sempiternam, quam solus Dominus largitur, ac totum denique illud, quod in hominis desideriũ iustè venire potest, adeóq. est verè beatus, vt qui habeat quidquid vult; & nihil malè vult, & quia obtentæ sapientiæ merces est tanta, fit vt nullus labor, nulla molestia illius impetrandæ causâ sit recusanda.

Porro autem vt meritò beati sunt censendi, qui me diligunt, studiosèque quærunt; ita iure inter verè miseros & infelices illi habendi sunt, qui in me peccant, méque contemnunt, ac pro nihilo ducunt; siquidem nihil excogitari potest miserius, nihil calamitosius, nihil insanius, quam propriam odisse vitam, mortémque, quàm omnes horrent, diligere. Constat namque quæcumque sensu aliquo valent, ea naturaliter amare vitam, & formidare mortem. Is autem haud iniuriâ mortem dicitur amare, qui diligit opera morte digna, cuiusmodi sunt peccata, præsertim mortifera. Sicut è diuerso is diligit vitam, qui diligit & amplectitur operâ vitæ æternæ meritoria.

AD
CAPVT OCTAVVM
SCHOLIVM.

1. CApite proximè præcedenti induxit impudentem mulierẽ, omnibus vicis & angulis sese prostituentem, rerúmque imperitos iuuenes ad libidinem suique amorem omnibus artibus & machinis prouocantem; hoc verò sapientiam veluti alteram quamdam mulierem omnes promiscuè magnâ vocis contentione ad se suique studium inuitantem inducit: cuius vtique vox maioris meritò apud omnes fieri debet, quàm lingua adulteræ, aut molle labium meretriculæ, cùm infinitis

partibus vna hæc illis, & præstantiâ & dignitate præstet.

2. *Numquid non. &c.* Abruptus ordiendi modus. Poterat enim filius dicere: lubenter sapientiæ parerem, si eius vocem audire, aut speciẽ cernere liceret. Ad hoc autẽ Sapiẽs: Quid hoc audio, fili? an non passim illa clamat, & omnibus locis inuitat? Assignat autem tria vel quattuor loca, nimirum montium summitates, vnde vox à prætereuntibus facile percipitur. Viarum comitia, quæ biuia vel triuia appellantur: huc enim magna hominum frequentia coire & conuenire solet. Loca ciuitatum portis vicina, vel intra ipsas portas sita, vbi olim ius dicebatur. Et ciuitatis medium vel forum: & quia hæc veluti capitalia reliqua omnia comprehendunt, rectè dicitur sapientia vbique & palàm clamare, omnésque ad sui societatem inuitare, non autem in angulis, vt hæresis solet, mussitare. Per Montes & montium vertices, accipere licet sapientes & ciuitatis principes, per Biuia vel triuia, homines viles & abiectos, per Ciuitatis portas, iudices vel homines suburbana loca obtinentes, vt sunt hortulani, agricolæ, & per Ciuitatis medium vel forum, mercatores & opulentiores ciues. Sapientiæ autem vox vsurpatur hîc eâ latitudine, vt simul vtrámque complectatur, creatã nimirum & increatam, & ipsum quoque Verbum incarnatum.

4. *O viri ad vos clamito. &c.* Hæc sapientiæ oratio, quæ vtcumque prolixa est, duas complectitur partes, nam & omnes promiscuè excitat, & omnes, vt sapientiæ studio dent operam, eiusdémque monitis & consiliis pareant, admonet, facit hoc autem partim se ipsam laudando, partim quoque doctrinam suam commendando. Vt autem vitam ijs promittit, qui obtemperant, ita è diuerso mortem illis interminatur, qui aspernantur. Inuitat porro quadruplex hominum genus ad suam doctrinam, nimirum viros, filios hominum, rerum imperitos, & stultos. Viros vocare videtur sapientiâ & virtute constantes: Filios hominum illos, qui nihil sublime sapiunt, sed humili abiectáque cogitatione terram fodiunt: Paruulos, homines imperitos, nullumque rerum vsum habentes, & ingenio hebetes: Stultos denique eos, qui malum pro bono, obliquum pro recto præ nimia stoliditate eligunt. Per hos autem complectitur omne omnino hominum genus, pro vt omnes quoque homines æterna sapientia vult saluos fieri, & ad veritatis agnitionem venire: sicut omnibus quoque suam communicauit imaginem.

6. *Audite quoniam de rebus. &c.* Indicato clamore & inuitatione sapientiæ, locisque, è quibus illa clamat vel inuitat, descriptis, & illis tandem

proditis

proditis, ad quos clamat, nũc paucis significat, cuiusmodi fercula ijs sit propositura, quos ad suum epulum inuitat, nempe multa, magna, & salutaria, non autem falsa, aut inania, aut insalubria. Quandoquidem documenta eius non sunt perplexa, aut paruæ vtilitatis, aut vana, aut erronea, aut obscena, vt mundi sapientum esse solent, sed vera & solida, omni vtilitate & honestate plena.

8. *Iusti sunt omnes sermones mei. &c.* Hoc de Philosophorum & sectarum sermonibus verè dici non potest. Quòd siquid in sacris quoque occurrat, quod minus certum aut rectum videatur, id secundum se non est tale; sed imperitis apparet tale, id si intelligere voles, gratiam ab illo petas, *qui aperit, & nemo claudit*: vel illos consulas, qui Dei spiritu pleni orthodoxè exposuerunt.

10. *Accipite disciplinam. &c.* Plurimum iam ante sapientiam laudauerat, quo ad illius amorem auditores excitaret, hîc ad laudis illius cumulum illud adhuc adijcit, quod vna illa rebus omnibus hominum æstimatione preciosis longè præstet, adeóque omnibus mundi opibus & diuitijs anteponendam esse. Porro autem cum ait, *Accipite disciplinam, & non pecuniam* non prohibet conquisitionem pecuniæ, sed sapientiæ studium pecuniæ aucupio præponit, sicut cum alibi dicit, *Misericordiam volo non sacrificium*, sacrificium non prohibet, sed minus se illud facere quam misericordiam indicat.

12. *Ego Sapientia habito in consilio. &c.* Post doctrinæ suæ commendationem denuo ad sui ipsius cõmendationem redit, & primò quidem, quid in hominibus operetur exponit, mox quid cum Deo agat, egeritque semper iam inde ab initio, aperit, postremò omnes, qui sapientiam ex animo sectantur beatos pronunciat. Vindicat hoc autem loco sibi prudentiam, & astutiam, sanctarúmque cogitationum inuentionem, & intelligentiam, & omnium tandem calliditatum notitiam.

13. *Timor Domini. &c.* Quod timori Domini hîc tribuitur, id sapientiæ tribui quoque potest nec iniuriâ, nam licet sapientia non sit idem prorsus cum timore Domini, est tamen genuina illius proles. Tribuitur autem illi triplex odium: primò namque capitali odio prosequitur superbiam, quæ initium est omnis peccati, versaturque circa prauas cogitationes præcipuè. Mox prauas vias, hoc est impuras actiones, inueteratasque peccandi consuetudines. Postremò os bilingue, quale est, quod aliud loquitur. Sũma,

deteſtatur omne omnino cõmiſsionis peccatum. Nam quidquid legi aduerſatur, illud aut eſt praua cogitatio, aut improba locutio aut peruerſa actio.

14. *Meum eſt conſilium. &c.* Prodit omnis boni ſe ſaniqúe conſilij fontem, omnisque legitimi ſtatuti legiſque parentem, ſimulque aperit, quo ſenſu ſapientia in conſilio habitare dicatur; quia nimirum ex ipſa oriuntur ea omnia, quæ intellectum inſtruunt, & voluntatem perficiunt; & ea omnia rurſum, quæ veræ fortitudini veræque prudentiæ & æquitati cognata ſunt.

15. *Per me Reges. &c.* Hæc planũ faciunt ſapientiã non ea ſolum tradere & dicere, quæ ad futuram vitam faciunt; ſed nullam quoque præſentis vitæ portionem, aut functionem exſtare, quæ citra ſapientiam commodè obiri & adminiſtrari poſſit. Quare ſiquid reges, aut principes, aut iudices, aut alij quicumque artifices ſalutaris boni præſtant, id totum ſapientiæ debent.

17. *Ego diligentes me diligo. &c.* Magnas ſapientiæ opes, magnúmque eiuſdem vſum eſſe extra controuerſiam eſt. Verum tanti illi ſapientiæ fructus non ita multis obtingunt: non quod ipſa ſeſe cum omnibus ſuis viribus & opibus cõmunicare non velit; ſed quod infrequentes ſint, qui ſapientiam diligãt, & ex animo quærant. Siquidem diligentibus & inquirentibus vltro ſe offert, tantùm abeſt, vt per pecuniam, aut vim bellicam, aut principum fauorem illam impetrare debeant.

18. *Mecum ſunt diuitiæ. &c.* Occurrit hîc tacitæ cuidam obiectioni. Poterat enim quiſpiam dicere, non poſſum ſimul rei familiari & ſapientiæ operam dare, aut propter ſapientiæ ſtudiũ honorem negligere, aut famam periculo exponere. Reſpondet illa, ſi me obtineas & opes, & honores, & famam, & gloriam, & quæcúmque cum his affinitatem habent, in ſummo gradu obtinebis. conferam enim opes ſuperbas, honores illuſtres, & gloriam immortalem. At interim hæc omnia tenuia ſunt, ſi cum ijs conferantur, quæ præſtat illa in altera vita.

20. *In vijs iuſtitiæ ambulo. &c.* Solent auari per vias tortuoſas & iniuſtas ad opes contendere; ſapientia autem profitetur ſe cultores ſuos per iuſtitiam & æquitatem ad veras & ſtabiles opes perducturam; effecturámq. vt ijdem illi per iuſtitiam & æquitatem ambulent, magnósque cœleſtium diuitiarum opumque theſauros reperiant.

22. *Dominus poſſedit me in initio. &c.* Hæc eſt altera pars capitis, in qua ſapientia exponit, quid cum Deo operetur, & operata iam ſit inde ab initio,

quibus

quibus planum facit se æternam esse. Commendat se autem à tribus præcipuè, nempe ab antiquitate, à rebus gestis, & ab operum magnitudine, varietate, & venustate inducitur quoq. per prosopopœia loquens, vt Poëtæ virtutes nonnumquam inducere solent. Quamuis autem vox Hæbrea *Kanam* non solum *Possidere* significet, verum etiam *Acquirere*, hic rectius tamen redditur per *possedit*, quam per *acquisiuit*; quia Deus numquam fuit absque sapientia. Lxx. legunt *Dominus initio viarum suarum creauit* vel *formauit me*; sed in idem redit. Indicatur per hæc autem ab æterno, ante omnē omnino creationem sapientiam exstitisse. Quare etiam statim subiungit: *Antequam quidquam faceret à principio*, hoc est, ante omnē rem conditam: & paulo post, *Ab æterno principatum habui*, quod noster interpres reddit, *Ordinata sum*: probant enim hæc omnia, vt & sequentia quoque, sapientiam, per quam facta sunt omnia, æternam esse, & ante omnem creaturam exstitisse, adeóque Deum esse, eiusdémque cum ipso potentiæ.

24. *Nondum erant abyssi. &c.* Per vniuersitatis partes ostenditur sapientiam omnem rem creatam antecessisse, exordio autem ab infimis facto ascendit paulatim vsque ad corpora cœlestia.

27. *Quando præparabat cœlos. &c.* Demonstrarat ante omnia creata se exstitisse, adeóque æternam Deóque Patri coæternam esse: nunc à cœlo exorsa, se neutiquam otiosam fuisse indicat; sed vna cum Deo Patre operi semper intentam, cunctáque simul cum illo absoluisse & ordinasse, atque ita omnipotentem esse: siquidem ex nihilo posse producere, diuinæ omnipotentiæ est argumentum. Per *Abyssum* quidam totum illud spacium, quod inter terram & infimum cœlum interiacet, hîc designatum putant. Alij aquæ elementū tantum. Per *Aquarum* autem *fontes* non eas solum aquas accipiunt ijdem, quæ è terra erumpunt; sed illas etiam quæ è nubibus distillant, vel ipsas certe nubes. Per *Terminos* porro *maris* littora, quibus aqua arcetur, & quasi quibusdam cancellis intercluditur, adumbrantur: in pœnam tamen peccati quādoque erumpit. Tandem per *Terræ fundamenta*, ipsa terræ stabilitas, quæ aliud nihil est, quàm firma Dei voluntas, infinitáque eiusdem potentia.

30. *Et delectabar per singulos dies. &c.* Per hæc indicat nullam se ex gubernatione cunctorúmque in suos fines directione molestiam sensisse; sed magnam potius ob singularem erga creaturas, præcipuè vero erga homines amorem, ex ea re voluptatem cepisse; neque enim aliud hîc sonat *Ludere*, quàm gaudere, vel oblectationē capere. Aduerte porrò, licet quæcūq.

de sapientiæ creatione hîc dicta sunt, ad increatam Dei sapientiam referri queant, rectè quoque ad Christi humanitatem, siue ad Christum ipsum referri posse: nam etsi illa post omnia creata sit, in mente tamen Dei antè omnem naturam creari, & in personæ vnitatem assumi præuisa est.

32. *Nunc ergo, filij, audite me. &c.* Hęc est postrema capitis huius pars, quâ hortatur ad legis pręceptorumque suorum obseruationem; certam illis, qui obseruant, beatitudinem promittens, felicésque eosdem pronuncians; non illis autē, qui carnis illecebras, aut mundi voluptates, aut aliquid aliud eiusmodi sectantur.

35. *Qui me inuenerit. &c.* Per hęc redditur ratio, cur illi beati sunt censendi, qui sapientiae monita audiunt & retinent, legémque illius diligenter inquirunt, & ad fores eiusdem vigilant; quia nimirum tales reperturi sunt non rem aliquam vulgarem, aut pondere exiguam: sed vitam gratiae in praesenti, & gloriae in futuro, *haurientque salutem à Domino*, hoc est, consequentur quidquid voluerint.

Qui autem in me. &c. Quia verò plerúnque magis terret formido pœnae, quàm excitat spes gloriae, sapientia non magna tantùm præmia suis pollicetur cultoribus; verùm magna quoque supplicia interminatur suis contemptoribus, nempe mortem, aeternamque condemnationem, quod est summum malum, in quod anima incidere potest.

PARAPHRASTICA

CAPITIS NONI EXPLANATIO.

1. *Sapientia ædificauit sibi domum: excidit in ea columnas.*

INter praeclara opera, quae sapientia, vel Deus per sapientiam condidit (cuiusmodi sunt cœlum, terra, ceteráque elementa, & quae horum ambitu continentur) peculiarem quoque domum, in qua versaretur & operaretur, sibi condidit, quam varijs etiam donorum & charismatum ornamentis expoliuit & exornauit, neque vmquam expolire & exornare desinit, siue per *Domum* iusti cuiusque animam accipias, siue Christi humanitatem, siue synagogam, siue ecclesiam, siue hæc omnia simul. Nam isthaec omnia & ab ęterna sapientia facta sunt, & certa eiusdem sapientiae sedes existunt.

Quo

Quòtautem mysticum & spiritale hoc domicilium habitatoris maiestati responderet, perpetuóque saluũ & incolume consisteret, septem validis effabréque factis colũnis illud suffulsit: nam & varijs Spiritus sancti donis & Sacramentis ædificium hoc munuit, & varios ministros, & duces, qui illud curarent sanâque doctrinâ sustentarent, & viuo vitæ exemplo illustrarent, instituit; nempe Prophetas, Apostolos, & Doctores, cetera deniq. omnia, quæ ad firmitatem illius æternámque durationem opportuna videbantur, fideliter adhibuit: & numquam huc vsque adhibere cessauit, neque vnquam cessabit: notum est enim illud Christi: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

2. *Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.*

IN magnifica & splendida hac domo magnificam & splendidam mensam instruxit: vtpote omni esculentorum, & poculentorum genere refertam. Nam & victimas immolauit, & tauros & altilia occidit, & præparauit, & vinum regiâ maiestate dignum miscuit; neque quidquam aliorum omnium, quæ magnifici conuiuij huius splendorem & magnificentiam commendare & exornare poterant, omisit. Et quamuis epulum hoc sit tale, qualis est domus, & quales rursum sunt columnæ quibus fulcitur, nempe mysticum & spiritale, attamen per res corporeas, quarum in splendidis epulis vsus esse solet, aptè illud delineauit. Quid autem singula horum sublimiori sensu denotẽt, id hic anxiè persequi non attinet. Certum est autem, vt *Mensa instructa* varias recipit interpretationes, ita singula quoque quæ in illam inferuntur.

3. *Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.*

POst mensam lautè opiparéque instructam, & præparatam, quod proximum erat, mittit ancillas, quæ quoscúmque obuios, siue intra, siue extra ciuitatem compertos ad arcem & editiora ciuitatis loca, vbi conuiuium illud instructum erat, inuitent; neque enim decebat, vt tantæ virtutis, & maiestatis domina per se ipsam inuitaret. Inuitat itaque, non per se, sed per ancillas, hoc est, per Patriarchas, Prophetas, Apostolos, ceterósque omnes, quos ab orbe condito ad cœlestem sapientiam prædicandum misit, & ad finem vsque missura est; quos tametsi masculos, *Seruas*, vel *Ancillas* vocat, quia ipsa sub muliebri schemate inducitur, mundumque non virili robore, sed muliebri mansuetudine sibi subiugauit; neque alijs tandem, quam virtutibus,

tutibus, quæ ipsæ quoque virgines appellantur, virgineóque ore depingunt-
tur, comitibus vtitur. Hæ porro ancillae vocant vel inuitant ad arcem,
nempè à terrenis ad cœlestia; ab humilibus & abiectis, ad sublimia, & ar-
dua. vel è diuerso mittit ad arcem, vt ibi in fastu & superbia degentes, de-
uocet ad veram animi humilitatem & submissionem, sed quid tandem sa-
pientiae ancillae siue ministrae, quodcúmque tandem per illas intellexeris,
dicant, audiamus.

4. *Siquis est paruulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est.*
5. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.*

SIquis est simplex, siquis rudis, siquis imperitus, agedum huc accedat, ad me sese adiungat, & sapiens euadet. Rursum siquis hospitio caret, si quis fame languet aut siti aret, ad me deflectat, ad domũ, quam vij. columnis firmaui, diuertat, ac meo pane meóque vino sese reficiat, virésque instauret. Adeste vecordes, venite paruuli non mole vel aetate, sed sensu & iudicio; non annis, sed malitiâ & improbitate, & comedite panem meum, & carnem meam, & totum, quod in vsum vestrum praeparaui, & bibite vinum, quod miscui vobis, vestróque palato & gustui attemperaui, quò cum suauitate & animi oblectatione illud bibere valeatis: vinum enim suâ naturâ cor homi-
nis laetificat, quanto magis mustum illud spiritale, quod ego propino? pa-
nis itidem naturaliter cor hominis corroborat, etsi interim multi propter
vitiorum obstacula, vel malarum affectionum impedimenta illam my-
stici vini, & panis suauitatem, & soliditatem non ita multum percipiant.

6. *Relinquite infantiam, & venite, & ambulate per vias prudentiæ.*

EIa paruuli, rudes, & imperiti, cordéque carentes, & stolidi relinquite tandem aliquando vestram infantiam, vestram simplicitatem, vestram stultitiam, hoc est, vitam vestram carnalem, vestrum erroneum stultumque iudicium, quo acti impulsíque terrena cœlestibus, caduca æternis, rituque puerorum nugas résque ioculares rebus grauibus & serijs anteponitis. Abiicite proinde eiusmodi infantiam & stultitiam, & viuetis non tantum gratiæ vitam, sed etiam gloriæ: & ambulate per vias prudentes, quales vtique sunt, quas sapientia vobis proponit. Nemo enim prius venire potest ad domum & familiaritatem sapientiæ, quam omnem exuerit stultitiam, aut exuere certe decreuerit. Quousque Iudaei circa literae sensum inutilémque caerimoniarum obseruationem obfirmatè haerebunt, num-

quam

quam peruenient ad domum ſapientiae, quae eſt eccleſia, columna, & fundamentum veritatis. Idem ſtatuatur de Heterodoxis, ceterisque omnibus ſimilibus: ſiquidem ſapientia non modò ſapientes & iuſtos ad conuiuium ſuum vocat, verùm etiam ſimplices & iniuſtos, modò tamen ita ſint comparati, vt ſimplicitatem, & iniuſtitiam cupiant deſerere, iuſtitiam autem & ſapientiam amplecti. Nam de obſtinatè improbis alia eſt ratio.

7. *Qui erudit deriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit: & qui arguit impium, ſibi maculam generat.*

ETenim qui erudit, vel corripit veritatis deriſorem (quales inter alios ſunt omnes pagani, & hæretici, & Iudæi) ſuâ admonitione adeò nihil promouet, vt ſibi quoque iniurius exiſtat, ignominiæ notam accerſat, ſimplices cordéque humiles ſi quando impingunt, per tempeſtiuam admonitionem facile emendantur; at veritatis hoſtes & eluſores, qui non, quæ Dei ſunt, ſapiũt: ſed apertè illa aſpernãtur, ſpem ſuam mendaciũ ponentes, corrigi nec volunt nec poſſunt. Vt qui culpam nullam agnoſcant quod & in hæreticos quadrat maximè; nam ſi illi errorem agnoſcerent, hæretici vtiq. non eſſent. Pari modo, qui impium arguit, ſibimetipſi maculam adſciſcit: ſiquidem, quomodocúmque reprehenſio facta ſit, admonitorem apud alios traducit, & aliquam ipſi notam aſpergere cõtendit, & ſuâ vitâ contaminatâ interdum quoque illum inficit: ſunt enim cõmercia cum hæreticis & improbis hominibus valde periculoſa.

8. *Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Argue ſapientem, & diliget te.*

NOli itaque arguere irriſorem, non ſolum ne oleum & operam perdas, ſanctumque canibus obijcias, vel margaritas ante porcos ſpargas: verum etiam ne improborum hominum odium citra vllum fructum incurras, adeóque illorũ peccatum augeas. Quod ſiqua tamen emendationis aut fructus ſpes affulgeret, & opportunitas ſeſe offerret, liceret impios quoque & deriſores officij admonere: quippe cùm fraterna admonitio magnæ caritatis ſit opus, & interdum quoque ad ſalutem neceſſaria.

Sed quia in hæreticis & veritatis hoſtibus admonendis opera plerumque perditur, aut exiguo certè fructu inſumitur, irriſorem miſſum facias; argue autem ſapientem, & diliget te; nam cùm is hominem ſe eſſe non ignoret, in multis ſæpe ſe offendere agnoſcit, adeóque reprehenſione dignum eſſe. Quod ſi ſapiens fraternam admonitionem cum gratiarum actione recipit,

multo magis eam recipere debet sensu paruulus rerúmque rudis & imperitus.

9. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Doce iustum, & festinabit accipere.

ADhibe proinde sapienti, si lapsus fuerit correptionem, & sapientior cautiorque euadet. Nullus enim ita sapiens, aut cautus est, vt interdum alterius consilio non indigeat, aut quandoq. non impingat. Quamobrem ne desit illi occasio proficiendi, cum opus id videtur, admone & reprehende illum: nam ipse quoque ad sapientiæ conuiuium pertinet. Ad eumdem modum iustum quoque admonere ne omittas. Nam & admonitionem tuam grato animo suscipiet, & doctrinam præterea doctrinæ addet.

10. Principium sapientiæ, timor Domini: & scientia sanctorum prudentia.

AVdisti, fili, sapientiam sibi domum exstruxisse, eandémque validis columnis muniuisse & splendidum epulum in ea instituisse, nec non ancillas, quæ dignos inuitarent, misisse, & cetera denique omnia, quæ ad eam rem opportuna videbantur adhibuisse. Vnum adhuc supererat indicandum, nempe inuitatos totos in hoc esse debere, ne temere, illotisque manibus & pedibus, vt dici solet, ad sapientiæ mensam irruant; nisi forsitan cum eo, qui sine veste nuptiali ad regis nuptias intrauerat, in tenebras exteriores abijci velint. Hæc autem cautio, humilitas, & reuerentia ex timore Domini præcipuè nascitur. Hic enim, vt aliquoties iam ante indicatum est, est omnis sapientiæ, omnisque boni operis, & studiosæ actionis initium. Hunc igitur, si ad mensam illam tremendam accedere placuerit, socium tibi adiunge: siquidem non solum, mensa corporis & sanguinis Christi eum exigit timorem & reuerentiam, verum mensa quoque scripturaria: Nam qui cum fastu & superbia, vt hæretici omnes, ad sacras scripturas accedunt, venenum potius, quàm salutarem animo cibum ex illa hauriunt.

Diuini porro timoris fundamentum vbi iecerimus, mensáque Dominicá recreati & satiati fuerimus, haud magna cum difficultate ad Sanctorum scientiam, in qua vera intelligentia & prudentia posita est, conscendemus: omnes namque Sancti, quotquot vmquam fuerunt, per timorem Domini profecerunt, & ad veram Dei cognitionem peruenerunt. Imo verò non solùm magni & sapientes per hunc timorẽ profecerunt, & proficiunt quotidie, verum etiam paruuli & insipientes. Impij autem & veritatis irrisores

nullo

nullo modo, vt qui à timore Domini sunt prorsus alieni. Constat autem hinc multum interesse inter scientiam Sanctorum, cuius hîc fit mentio, & scientiam Philosophorum. Hæc enim neque sanctarum rerum, neque sanctorum quoque hominum est, quamuis esse possit; illa autem & sanctorum hominum & sanctarum quoque rerum est: hæc rursum ab omni vanitate & falsitate est prorsus aliena; illa à neutra: hæc denique à timore Domini orditur, illa à rationis luce originem ducit.

11. *Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ.*

QVod si timore Domini munitus, & scientiâ sanctorum instructus, ad sapientiæ conuiuium cum reuerentia & humilitate accesseris, & ex esculentis & poculentis, quæ illa liberaliter proponit, largiter refectus fueris, multiplicabuntur dies tui, vitæque anni addentur tibi, hoc est, non modò, diu multumque viues, verum iucundè quoque feliciterque viues: siquidem anni miseri & calamitosi, verius sunt anni mortis quàm vitæ. Neque solùm felix in hoc seculo viues, celebremque tui memoriam apud posteros relinques, verùm in altero quoque seculo: imo verò æternum viues, bonisque omnibus afflues.

12. *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris, si autem illusor, solus portabis malum.*

NEque existimes, fili, quod priuati commodi quæstúsue causâ toties ad meam domum meamque mensam te inuitem. Nam sine veneris, & sapiens euaseris; siue manseris in stultitia, & in infantia tua perseueraueris, nihil mihi inde emolumenti aut accedit aut decedit; sed tua res agitur, si enim parueris, & sapientiâ potitus fueris, non mihi, sed tibi potiere. Contrà verò si sapientiæ illusor, nequámue fueris, non ego, sed tu promeritas pœnas lues, malumque, quod inde orietur, in te feres. Nam etsi stulti & impij alijs interdum suâ stultitiâ & impietate obsint, sibi tamen ipsi potissimum nocent; sapientes autem, & sibi, & alijs quoque prosunt.

13. *Mulier stulta & clamosa, plenáque illecebris, & nihil omnino sciens.*

SEd caue, fili, ne, dum ad sapientiam, eiusdémque domicilium & conuiuium properas, in æmulam illius, nempe in impudicam illam meretricem, cuius suprà mentionem fecimus, incautus incidas. Nam ipsa quoque, non secus atque sapientia suam habet domum, suum conuiuium, suas artes, veluti ancillas, per quas inuitat & allectat. Quam vt explorata habeas, stu-

dioſéque vites, paucis hîc delineabo. Eſt itaq. mulier hæc ſtulta, ſtultitiæq. & velaniæ plena, garrula itidem & clamoſa. Quandoquidem, vt ſapientia ex edito loco clamat, & ad ſe prætereuntes inuitat; ita ſtulta & inſana hæc mulier quoque: verùm id animo planè turbato geſtuque incompoſito & furioſo, prout ipſa quoque varijs turbis & paſſionibus agitatur. Ecquid aliud facit hæreſis?

Et quamuis ſecundum ſe ſit deformis, aſpera, & horrida, nihilque omnino ſciens; attamen verborum lenocinijs & blandimentis, externóque orationis & corporis cultu, ſuam deformitatem & inſcitiam ita tegere & diſſimulare nouit, vt multos in ſui amorem ſtudiumque pelliciat: cum nihil tamen cum vera ſapientia commune habeat; imo toto cœlo ab illa diſſideat. Nam & ſtulta, & inſana, & clamoſa, & rudis, & omnis prorſus ſcientiæ ignara eſt, quæ omnia cum ſapientia pugnant, vt quæ maximè.

14. Sedet in foribus domus ſuæ ſuper ſellam, in excelſo vrbis loco.
15. Vt vocaret tranſeuntes per viam & pergentes itinere ſuo.

SApientia adhæc eſt ſtudioſa & operoſa, illa contra ignaua & otioſa: ſedet namque pro foribus domus ſuæ (nam ipſa quoque, vt paulò ante dicebamus, ſuam domũ habet, tametſi caducã & ruinoſam, non vij. columnis fultã) ſedet autem non humi, ſed ſuper ſellam, quo prætereuntes commodius obſeruet & captet per viam.

Ad cuius quoque rei vſum, cum huic ſeſe in omnibus æquiparare contendat, non habitat in valle, aut decliui vrbis loco; neque in angulo plateæ, vt adultera illa, de qua ſupra; ſed in excelſo ciuitatis loco. Habitat hîc autem non alia de cauſa, quàm vt per viam tranſeuntes, ſuoque itinere pergentes, commodius ad ſe vocare, & allectare valeat. Studium namque & profeſſio illius eſt, homines per rectam vitæ ſemitam ambulantes, à directo vitæ tramite in mortis præcipitium abducere. Sapientia rurſum tanquam vera Domina; non per ſe inuitat, vt proxime audiuimus, ſed per ſeruas & ancillas: hæc autem licèt ſuam potentiam, ſuásque opes iactet; attamen tanquam ſerua veréque ſeruilis animi femina per ſe ipſam inuitat. Indigna eſt enim cui quiſpiam ingenui hominis vocabulo dignus ſeruiat. Inuitat per ſe quoque, quo omnibus manifeſtet inſignem impudentiã ſuam; vt quæ non exſpectet, dum ad ſtuprum ſollicitetur vel prouocetur, ſed quoſuis promiſcuè tranſeuntes aliudque agentes vltro inuitat. At quanam oratione vtitur?

16. Si quis est paruulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est.
17. Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.

HAud absimili illi, quâ vsa est sapientia. Nam vt sapientia non omnes ad suum conuiuium inuitat (non enim inuitat impios & derisores) ita hæc quoque impudens meretrix non inuitat iustos & sapientes; sed homines rudes, & imperitos, & inconstantes, & ad carnis libertatem ventrisque cultum propensos, ait enim: si quis est simplex & paruulus declinet huc ad me. Vecordi autem & mente capto aquas furtiuas dulciores esse suggerit, panem itidem absconditum suauiorem. Neque enim illa ad splenditum conuiuium inuitat, vt sapientia & adultera illa, cuius antè meminimus; (vt hinc quoque intelligatur hanc & illam mulierem, non esse vnam & eandem, sed diuersam) verùm ad fructum absconditi panis: nec ad vinum rursum, quod cor hominis lætificat, prouocat: sed ad furtiuã aquã; quam ceteris dulciorem asserit. Ob id fortassis, quod furto ablata ardentius fuerant expetita, maiorique labore & periculo parta. Hæc enim solent esse ijs gratiora, quæ vel vltro obtruduntur, vel citra laborem & desiderium obueniunt.

18. Et ignorauit quod ibi sint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius. Qui enim applicabitur illi, descendet ad inferos: nam qui abscesserit ab ea, saluabitur.

ET hæc quidem illa paruulis proponit, multósque ex illorum numero in suam sententiam pertrahit: quippe qui præ infantia mentisque cœcitate, omnia apud illam mortuis cadaueribus, gigantibus rursum & dæmonibus plena esse non considerent; illiusque conuiuas vnà cum illa ad profundum inferni ferri non perpendant. Multum ergo interest inter sapientiam & mulierem meretricem; siue per illam accipias publicum scortum, siue sublimiori sensu hæresin, vel idololatriam, siue carnis sensum: nam in hæc omnia optimè quadrant, quæ de meretrice eiusdemque moribus hactenus dicta sunt. Inter alia namque sapientia suos conuiuas suosque cultores transmittit ad vitam; meretrix autem ad mortem. Qui enim adiungit sese ad illam, rectâ descendit ad inferos, sicut è diuerso, qui se ab illa seiungit, salutem consequitur.

AD CAPVT NONVM SCHOLIVM.

1. VT superioribus capitibus sapientiam miris laudibus extulit, multáque, quæ ad mundi primordia spectabant, exposuit: ita hoc capite præter solidam sapientiæ commendationem, multa adfert, quæ ad orbis instaurationem & Christi œconomiam pertinent. Etenim vt supra inducit sapientiam tamquam rerum omnium vna cum Deo Patre procreatricem & gubernatricem; ita hic illam proponit veluti humanæ naturæ sociam domesticámque familiaritatem cum homine habere solitam. Denique, vt Sapiens ante produxit mulierem impudicam varijs artibus ad libidinem prouocantem, & ex aduerso sapientiam ad omne virtutis studium inuitantem; ita hoc loco inter hanc & illam discrimen assignat. Innuit autem per impudicæ mulieris exemplum, non minus à falsa doctrina & carnis concupiscentia abstinendum esse, quam à Venere non licita.

1. *Sapientia ædificauit. &c.* Hebræi legunt pluraliter *Sapientiæ*, ad designandum varios esse sapiẽtiæ effectus variásque eiusdẽ species & modos.

Sibi domum. Per *domũ, &c. sapientiæ*, alij accipiunt iusti cuiusque animam; quia iusti anima sedes est sapientiæ. Alij Synagogam, in qua Deus aliquando familiariter habitauit, & sese habitaturum sæpius promisit; Alij Christi humanitatem, in ea enim habitauit plenitudo sapientiæ. Vel ipsam Christi personam, in qua exstabant duæ sapientiæ: vna creata, altera increata. Alij denique naturam quam Dominus Christus sibi ædificauit.

Excidit columnas. &c. Septenarius hic columnarum numerus indicat fabricæ magnificentiam; nam quo omnia forent cognata, sibique similia, magnifico conuiuio, quod præparabatur, adesse debuit ornatum superbumque ædificium, in quo illud instrueretur. Mysticè porro numerum hunc septenarium alij referunt ad VII. dona S. Spiritus: alij ad VII. Sacramenta Ecclesiæ, quibus fidelium corda nutriuntur & sustentantur. Alij ad omnes Ecclesiæ Doctores, & sic numerus certus ponitur pro incerto.

2. *Immolauit victimas. &c.* Describit ordine splendidum conuiuij apparatum, primariáque eiusdem fercula. Et quamuis sapientiæ conuiuium sit spiritale, perinde tamen de eo loquitur, atque de corporali; facit namque mentio-

mentionem, non modo panis & vini, sed carnium quoque & aliarum quarumdam rerum. Per mensam autem optimè instructam, insinuat vel legis & Prophetarum oracula, vel Euangelicam & Apostolicam doctrinam; vel vtrumque Testamentũ simul.

Miscuit vinum. &c. Miscet vinum, non quod per insipidam aquam illud diluat: sed quod cuiusque palato & captui illud attẽperet, vel quod de vase in vas illud transfundat, eâque ratione defæcatius reddat. Ceterum ad mensæ huius Ecclesiasticæ apparatum non solum pertinet doctrina Testamentaria, sed Christiana quoque œconomia, Martyrumque constantia, vita & opera Sanctorum, Doctorum hominum monumenta, & multa id genus alia, potissimum vero corporis & sanguinis Christi Sacramentum.

3. *Misit ancillas. &c.* Quia vero sapientia muliebri schemate introducitur, propterea non mittit seruos, sed seruas & ancillas, per quas inuitat. Quod autem non per se, sed per ancillas inuitet, id ad conuiuij magnificentiam facit non parum. Porro autem per inuitatores sapientiæue ministros, rectè accipimus Prophetas, Apostolos, ceterosque animæ Doctores & Pastores, qui licet re ipsâ viri sint; haud inconcinnè tamen seruæ & ancillæ appellantur; quia non veniunt vi bellicâ aut militari robore instructi, sed veluti infirmi & inermes. Mystico sensu per eius ancillas commodè accipimus virtutes: hæ enim subseruiunt diuinæ sapientiæ, quæ ex alto hærentes in terra inuitant ad sublimia.

Vocat ad arcem. &c. Nempe à terrenis ad cœlestia, ab abiectis & vilibus istis rebus ad sublimia: Vel certè mittuntur ad arcem, vt eos qui ibidem in fastu & superbia degunt, reuocent ad veram animi submissionem & humilitatem.

4. *Si quis est paruulus. &c.* Exponit hic quâ oratione sapientia ad conuiuium inuitet, qualésque homines per ancillas suas vocet. Inuitat autem sex hominum genera, videlicet simplices, & mente carentes: derisores rursum & impios: sapientes tandem & iustos. Hæ porro hominum dyades vario modo vocantur: siquidem paruuli & imperiti cordéque carentes vel insipientes dicũtur ad conuiuium vocari; derisores aut & impij non vocari; sapientes & iusti intra domum conuiuij foueri. Inter simplices, & corde carentes hoc interest, quod hi quidem modici sunt cordis, hoc est, infirmæ voluntatis; illi verò modici iudicij, adeoque vt hi peccent per ignorantiam, illi per infirmitatem. Vtrique tamen peramanter ad conuiuium vocantur, quia præ ceteris magis indigent. *Venite comedite panem* Per *Panem*

designatur

designatur doctrina sacra, per *Vinum* oblectatio spiritalis, quæ partim inde, partim aliunde percipitur.

6. *Relinquite infantiam. &c.* Hæc minimè obscurè indicant de spiritali cibo & potu hîc verba fieri: per *Infantiam* autem insinuata hoc loco videtur vita carnalis, erroneumque iudicium, quale est, quo caduca & temporaria præferuntur æternis, carnalia spiritalibus; quemadmodum pueri pomum aliásque res leues & ludicras solent anteferre rebus pretiosis & serijs. conuincit & Iudæos, qui literam spiritui, Moysen Christo, inanesque cerimonias veris Sacramentis anteponunt.

7. *Qui erudit derisorem. &c.* Hic locus de secunda dyade, nempe de impiis, & derisoribus agit; quos sapientiæ ad suam domum, suumque conuiuium non inuitat: non quod hæc illis inuideat, sed quòd illos indignos censeat, omnémque operam cum illis perdi intelligat. Iudæi enim, hæretici & pagani, omnia fere fidei mysteria, omnesque Ecclesiæ ritus & cærimonias derident. Quare illos ad sacrosancta hęc mysteria opportunè importune prouocare & inuitare, aliud fere nihil est, quam margaritas ante porcos proiicere. Qui enim Iudęum, vel hæreticum de conuersione admonet, pro gratiarum actione sæpenumerò contumeliam & derisionem reportat; pro amore rursum & beneuolentia odium & amarulentiam: siqua tamen conuersionis spes affulgeret, prudentem admonitionem, & correctionem adhibere importunum non esset.

8. *Argue sapientem. &c.* At is, dixerit quispiam, reprehensione aut admonitione non indiget. Nemo tam sapiens aut iustus est, qui aliquando non impingat; & licet numquam impingat, admonitionem tamen pro sua humilitate non contemnit. Multum itaque inter sapientem & derisorem intercedit. Quare sapientes quoque, licet disertè non inuitentur, ad sapientiæ conuiuium nihilominus pertineant; tum quia vix vllus ita sapiens est, vt proficere non possit, aut alterius consilio interdum non indigeat. Sicut nullus quoque ita iustus est, quin iustior euadere queat. Tum rursum nemo ex omnibus est, qui iustius ad sapientiæ domum pertinere videatur, quam ipsemet sapiens. Componit hîc autem sapientem cum iusto, sicut paullò ante irrisorem coniunxerat cum impio: quia sicut cõmodum prouenit ex doctrina, quæ iusto & sapienti proponitur. (Nam & docens vel admonens ob beneficium, quod præstat, gratiarum actionem & beneuolentiam promeretur, & re ipsâ quoque vtrumque consequitur; & discens rursum in doctrina proficit, & docentem propter traditam doctrinam deligit) ita quoque

quoque incommodum refert, qui impium & derisorem docet vel admonet; siquidem impius propositam doctrinam deridet, proponentémque odio habet; & admonens rursum vel docens peccatum illius auget; neque enim leue peccatum est salutarem doctrinā ludibrio habere, aut benè monentes odio persequi. in summa, admonitione impius fit peior, iustus melior. Ceterum ex sex illis hominum generibus, tria spectant ad eam animæ facultatem, quâ intelligimus; nimirum simplices, irrisores, & sapientes. Simplices vel paruuli prauè iudicant, irrisores aliorum iudicia aspernātur, sapientes rectè iudicant. Tria reliqua ad partem appetētem, videlicet corde deminuti, impij & iusti. Corde carentes in virtute morali sunt imperfecti, impij in ea virtute sunt excellenter mali, iusti autem & bonum & bene eligunt.

10. *Principium sapientiæ Timor Domini. &c.* Hæc sententia semel & iterum iam antè posita est. Quare quidam coniecturam hinc faciunt Prouerbia hæc à Salomone in ordinem non fuisse redacta; sed in chartis & membranis sparsim reperta: vel ex illius oratione à quopiam excerpta, & in hanc formam, & ordinem congesta. Quamuis interim præsenti huic loco sit admodum opportuna: siquidem ad sapientiæ mensam magno cum timore & reuerentia accedendum est, maximè verò ad mensam Sacramentariam, & scripturarum lectionem. Vt *Timor Domini* appellatur initium sapientiæ, ita rerum sacrarum scientia veræ prudentiæ vel intelligentiæ principium vocari potest.

Scientia sanctorum prudentia. &c. Locus hic subobscurus est. Quidam in hunc modum exponunt: prudentia vel intelligentia sanctorum non est scientia rerum profanarum aut humanarum; sed diuinarum. Alij: scientia, quam sancti habent, ea sola est vera prudentia: at mundana sapientia, nec rerum, nec hominum quoque sanctorum est. Alij: vt timor Domini est initium veræ sapientiæ, ita scientia sanctorū rerúmue sacrarū est initiū veræ prudentiæ. Alij: sancta, vel res sanctas cognoscere, magna est prudentia & intelligentia. Verum vtcumque exponas, inter scientiam sanctorum & Philosophorum cognitionem multum omnino intercedit.

11. *Per me multiplicantur. &c.* Redditur per hæc ratio, cur diuinæ sapientię sit incumbendum, curque epulum, quod illa instruxit minimè sit negligendum, quia nimirum longam & beatam vitam cultoribus suis adfert; hoc enim indicatur per Annos vitæ.

12. *Si sapiens fueris. &c.* Significatur per hæc sapientiæ nullum commodum, aut incommodũ accedere, siue eam recipiamus, siue negligamus, verum totum fructum & detrimentum ad nos pertinere. Qui enim sapiẽs est, sibi sapit, qui rursum contemnit, sibi pœnam adsciscit; non est tamen par vtriusque ratio: quia sapiens non solùm sibi, sed alijs quoque sapit, & seruit, delusor autem sibi soli officit.

13. *Mulier stulta & clamosa. &c.* Vt supra sapientiæ ad suum inuitanti cultum, opposuit mulierem impudicam à sapientia abalienantem & abducentem, ita hîc aliam mulierem inducit ad suam domum, suumque conuiuium inuitantem, sapientiæque studium varijs artibus impedire conantem. Possunt hæc omnia sublimiori sensu ad carnis sensum, vel hæresin falsamue doctrinam trahi. Vocat autem mulierem hanc stultam & clamosam, vel tumultuariè agentẽ, quia sine sensu & ratione ducitur, & impetu passionum agitata, nihil moderatè operatur: quod optimè quadrat in hæresim. Vix enim aliud agunt hæretici, quã contra orthodoxos, eorumdemque pastores clamitare & vociferari.

13. *Plena illecebris, & nihil sciens. &c.* Et hoc etiam membrum appoposite quadrat in hæreticos; nam cum nihil aut parum admodum sciant, magnis tamen verborum lenocinijs vtuntur, quo nimirum suam inscitiam tegant, multosque in suam sententiam pertrahant. Sequitur autem hæc clausula naturaliter ex proximè præcedente: nam si hæc est stulta mulier, non potest non esse ignara, & rudis, & tumultuaria.

14. *Sedet in foribus. &c.* Per hęc exprimitur desidia, otium, & ignauia huius meretricis, studiumque obseruandi, & captandi alios, & simul quoque illius abiectio & vilitas: non enim habet palatium columnis fultum, aut regale solium, sed vilem sellam in alto tamen & edito loco collocatam; quo pertranseuntes facilius possit inuitare atque seducere; nec ancillas rursum, per quas inuitet, possidet, vt sapientia; sed per se ipsam inuitat.

16. *Si quis est paruulus. &c.* Rectè paruulos vel vecordes inuitat, quia mente valentes frustra inuitaret; neque ad vinum inuitat, sed ad aquam, eamque furtiuam & insipidam: nec ad panem rursum cœlestem, sed ad panem absconditum. Quia hæreticorum dogmata, & diluta, & furtiua, & abscondita sunt. Dicuntur autem furtiua dulciora, quia difficilius obtinentur, & propter difficultatem, quâ obuenerunt, maioris fiunt, auidiusque capiuntur.

18. *Et*

18. *Et ignorat. &c.* Ad conuiuium ſapientię conuenientibus promittitur vita æterna: furtiuas vero aquas & panes abſconditos captantibus mors & infernus, quod cum rudes & paruuli mente occœcatâ non expendant, libidinis ſuæ impetum ſectantur. Voce *Rephaim*, quám noſter interpres *Gigantes* reddidit, deſignãtur quoque dæmones, & cadauera, & mortui, aliaque eiuſmodi.

PARAPHRASTICA

CAPITIS DECIMI EXPLANATIO.

PARABOLAE SALOMONIS.

QVæ hinc conſequuntur, vt cetera, quæ hactenus ſunt expoſita, & veri Salomonis ſunt (tametſi incertum ſit eo ne ordine, quo hîc proponuntur, ab illo ſint digeſta) & Prouerbiorum, hoc eſt, gratium quarundam ſententiarum formam præ ſe ferunt, & quidem illuſtrioremem, quàm præcedentia, perpetuáque quâdam antitheſi decurrunt, & metro tandẽ apud Hebræos quondã vſitato deſcripta ſunt. Sed ad contextum.

1. *Filius ſapiens lætificat patrem: filius verò ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ.*

FIlius ſapiens, cuiuſmodi is iure cenſeri poteſt, non qui multa nouit, aut ingenij præſtantiâ excellit; ſed qui in timore Domini ambulat, parentibus obtemperat, cœleſtia animo verſat, & terrena tandem in poſtremis habet, lætitiam adfert patri. Ediuerſo verò filius ſtultus & improbus, cuiuſmodi eſt, qui neque Deum timet, neque parẽtes obſeruat, neque quidquam eorum omnium, quæ ad ſalutem faciunt, curat, mœrore afficit matrem. Neque enim poteſt filius ille, qui Dei, ſalutis, famæ, omnisque honeſtatis prorſus oblitus carni, & mundo, & dæmoni de induſtria ſeruit, matrem non vehementer affligere. Et quamuis parentes inueniantur, qui filiorum ſalutem & mores non ita multum curent, generatim tamen & ex natura rei verum eſt, quod hîc traditur.

2. *Nil proderunt thesauri impietatis: iustitia verò liberabit à morte.*

FIli, ne ita desipias aliquando, vt in opibus malè partis salutis tuæ spem colloces. Nam etsi opes iustè partæ, & in bonum honestumque finem relatæ à morte temporaria, vt de multis constat, sæpe liberant, ab æterna autem, si iustitiam adiunctam habent, semper: attamen thesauri impietatis, cuiusmodi sunt, qui per impietatem comparantur, aut contra ius & fas detinentur, aut turpiter dilapidantur, nihil prosunt, præsertim apud Deum, ad quem omnia nostra studia & conatus referre debemus; sed plurimum apud eumdem plerumque obsunt: vt qui omnem iniustitiam & iniquitatem odio habeat, suóque tempore grauiter puniat.

3. *Non affliget Dominus fame animam iusti, & insidias impiorum subuertet.*

NEc dicas mihi, non amo fraudē, non diligo imposturas, non delector vllâ omnino iniquitate; attamen tanta est sæculi huius deprauatio, tanta negotiatorum malignitas & vanitas, vt vel fame moriendum, aut ostiatim mendicandum mihi videam; nisi communem ementium & vendentium viam ingressus, in qualitate vel quantitate, vel mercium quiditate fraudem aliquam faciam. Siquidem Deus numquam patietur animam iusti fame affligi, aut inediâ perire, aut turpiter quoque mendicare. Neque enim citra causam scriptum est: *Non vidi iustum derelictum, neque semen eius quærens panem*, rursum: *Non est inopia timentibus eum*. Et hoc quidem generatim, nam ob secretam aliquam causam Deo notam aliud contingere queat, & interdum quoque contingit. Accedit huc quoque quod malè parta inediam aut non sedent, aut longo tompore non sedent: siquidem, quæ malis artibus parantur, raro sunt diuturna, aut stabilia, neque à fame, neque à morte liberant. Imo vero Dominus impiorum insidias, hoc est, opes, quas per insidias & imposturas contra famem coaceruauerāt, euertere & disperdere solet; nec hoc solùm, verum illas ipsas quoque insidias, quas contra iustos eorumque vitam, atque fortunas struxerunt impij, dissoluit & in nihilum redigit.

4. *Ege-*

4. *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat.*

VErumenimverò licèt Dominus animam iusti fame non facilè affligat; attamen vt vitæ necessaria iustis præstet, illorum quoque laborem & industriam efflagitat; neque enim ille fert otium, aut ignauiã, quippe cùm manus remissæ & otiosæ non tantum rerum necessariarum inopiam, sed multa quoque vitia & peccata parere soleant. Sicut è diuerso sedulitas, labor, & industria legi & rationi consentanea, non solum magnarum opum, sed magnarum quoque virtutum causa existit, & cùm omnis omnino manus ignaua hoc egestatis incommodum progeneret, tum ea maximè, quæ desidiæ caussâ, quo commodiùs in otio viuere queat, fraudem in pondere vel mensura adiungit.

Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes.

SIquidem fraude vel dolo parta stabilitate carent, neque ad tertium heredem transmigrare solent; quamobrem qui in dolis vel mendacijs spem suam collocant, haud incommodè illis assimilantur, qui ventos obseruant, auesque testâ lutoque sectantur. Nam & operam perdunt, & prædam, quam venantur, non assequuntur, & seipsos ludibrio exponunt.

5. *Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis.*

NEque igitur otiandum, neque fraude vtendum est, verùm dum tempus commodum se offert, & facultas adest, impigrè laborandum est; siquidem is demum inter veros sapientiæ cultores censendus est, qui in æstate vel messis tempore congregat, hoc est, qui commodo & opportuno tempore singula transigit; nec enim omne tempus aptum est ad serendum, nec omne ad metendum, nec omne ad merendum; sed singula suum tempus habent; quod obseruandum est, & obseruare solitus est, quicumque vere sapiens est. Qui autem in æstate, hoc est, eo tempore, quo laborandum, merendum, studendum, vel aliud quidpiam eiusmodi faciendum erat, stertit, ille confusionis filius meritò appellatur: nam & seipsum, & parentes suos pudore afficit: & tempore, quo singulis pro laborum & meritorum ratione merces soluetur, ad locum omni confusione & calamitate plenum publicè amandabitur.

6. *Benedictio domini super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitas.*

NE olim ergo publicè confundaris, sed diuinis benedictionibus repleaeris, opibusq. & honoribus cumuleris, ne ignauo otio te dedas; sed strenuè, dum tempus & vires sinunt, labores: siquidem benedictiones Domini, hoc est, opes, honores, aliáque eiusmodi venire solent super caput viri iusti. Eiusmodi est, qui non dolo, aut fraude ad opes festinat; sed iusto sanctóq. labore rem facere, & augere contendit: tum ne ipsi desit, vnde viuat; tum maximè, quo in egenos liberalis esse queat. Est enim euidens iustitiæ argumentum sua in pauperes liberaliter erogare. neque enim probabile fit eum aliena per iniustitiam rapere, aut inuadere, qui sua magnâ benignitate in egenos dispertit. At vero os impij iniquitate & maledictione ita impeditũ est, vt neque in suam defensionem, neque in aliorum accusationem illud aperire honestè possit. Sunt enim iniquitates illius manifestiores, quàm vt eas negare, aut dissimulare valeat. Si quâ tamen viâ potest, tegere & infitiari non dubitat; quamuis veritas tandem in lucem prodeat.

7. *Memoria iusti cum laudibus: & nomen impiorum putrescet.*

NEque hoc solum inter iustum & impium interest, quod hic quidem probro afficiatur, miseriáque operiatur, ille vero benedictione repleatur; verùm hoc quoque, inter vtrúmque intercedit, quod memoria iusti vitâ iam defuncti, eiusdémque nomen & fama passim celebretur & decantetur, & ab omnibus benedicatur; nomen autem impiorum statim post mortem sordescit & aboletur, obliuionique traditur, vel certè cum summa illorum ignominia recolitur. Nam etsi tantisper, dum illorum iniquitas latet, aliquo loco habeantur: attamen vt primum in lucem prodit, apud veros sapientes continuò sordescit, & veluti fumus euanescit: vtpote omnis solidi fundamenti exsors.

8. *Sapiens corde præcepta suscipiet: stultus cæditur labijs.*

PORro autem inter sapientem & stultum, inter alia multa hoc quoque intercedit, quod sapiens præcepta & admonitiones vndecumque profectas ex toto corde, totóque animi sensu recipit, suisque maioribus, siue illi parentes fuerint, siue præceptores, siue pastores, siue alij quicumque magistratus, ex animo morem gerit: stultus autem, quæcumque in buccam veniunt, temere statim effundit, labijs multis modis labitur & impingit, adeoq. promeritas

promeritas pœnas pendit. Inter ſtultos porro labiis meritò illos cenſueris, qui indocti ferulæque adhuc obnoxij, præcipiti motu ad alios docendum feruntur. Quare ſuis labiis ſubinde ſe cædunt, pœnęque reatu obſtringunt, vtpote multa ſtulta & inepta profundentes.

9. *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat vias ſuas, manifeſtus erit.*

QVi ambulat ſimpliciter, ſincerè, candidè, & innocenter, maiorum mandatis citra magnam diſquiſitionem obtemperans, is ambulat confidenter: Siquidem innocentia, vitæque integritas ab ijs malis hominē reddit tutum ſecurumque, quæ ſcelerati maleque ſibi conſcij continuò metuunt. Quin eadem quoque innocētia vitæque puritas, innocentem de diuino auxilio contra dæmones aliásque carnis vel mundi tentationes bene ſperare iubet, qui autem vias ſuas prauas, obliquasque facit, hoc eſt, impurè ſceleratéque viuit, deprehenſus conteretur & euertetur; vt qui ab homine ſimpliciter perfectéque ambulante ſit prorſus alienus.

10. *Qui annuit oculo, dabit dolorem: & ſtultus labijs verberabitur.*

VT is, qui oculorum nictu ad alterius perniciem abutitur, ſiue id faciat deridendo, ſiue factionis ſuæ ſocios in alterius detrimentum incitando, ſiue quouis alio modo oculorum nutu in alterius damnum abutendo, iuſtas ſuæ nequitiæ pœnas olim dabit; ita ille quoque, qui inſanorum more labiis Deum blaſphemat, aut alios ſauciat, aut quâuis aliâ ratione linguâ peccat, verbera & plagas apud iuſtum iudicem non euadet. Non eſt autem hic ſermo de quouis oculorum nutu (licet namque citra vllum peccatum oculorum vel palpebrarum nutu, vel alio quocumque corporis geſtu alteri aliquid innuere,) ſed de illicito, hoc eſt, de eo, qui tēdit ad libidinem, vel ad amicitiæ ſimulationem, cùm odium alioqui hæreat in pectore, vel in alterius exitium, vel ad aliud quodcumque peccatum.

11. *Vena vitæ, os iuſti: & os impiorum operit iniquitatem.*

VT magnum operæ precium, imo verò magna ſapientiæ & perfectionis pars in bono legitimóque linguæ vel oris vſu poſita eſt; ita è diuerſo magna pernicies, magnáque ſtultitię portio in eiusdem abuſu ſita eſt. Etenim os vel lingua iuſti eſt veluti vena quædam vitæ, aut fons viuentis aquæ. Nam vt ex puro fonte magnâ ſemper vbertate promanat pura & ſa-

lutaris

lutaris aqua, ad multos ſalutares vſus vtilis & neceſſaria; ita ex ore iuſti ſalutaris doctrina, verbáque vitam conferentia fluunt: neq. enim aliud ex iuſto & iuſtitia prodire poteſt, quàm iuſtum, ſanum, & ſanctum. Sicut è diuerſo ex ore impij impurique hominis nihil exire ſolet, niſi impium & impurum. Interim ne habeatur impius, cuiusmodi re ipsâ eſt, nonnumquam ore pium & humilem ſe ſimulat, ſuamque iniquitatem aliquo pietatis & religionis colore adumbrat, quam tamen pietatis laruam occaſionem nactus, magnâ poſtea copiâ in aliorum perniciem eructat.

12. *Odium ſuſcitat rixas, & vniuerſa delicta operit caritas.*

NIhil peius, nihil funeſtius, nihil ſceleratius exſtat odio. Nihil rurſum melius, nihil ſanctius, nihil hominum generi vtilius caritate: nam odium (vt quotidiana experimenta probant) leuiſſima de cauſa excitat lites, contentiones, rixas, bella, aliáque eiusmodi. Odium rurſum omnia in deteriorem partem rapit, adeoque ex nullo peccato peccatum, ex paruo magnum, ex magno maximum facit. Odium denique omnia turbat & infeſtat; caritas contra lites & concertationes excitatas exſtinguit, eadem omnia, etiam illa, quæ mala alioqui videntur, bene candidéque interpretari ſolet; caritas offenſas, tametſi magnas, extenuat atque diſſimulat; caritas tandem turbata & commota omnia mitigat, ſedat, atque pacificat: eſt enim ſuâ naturâ patiens, benigna, mitis, affabilis. Quod ſi humana & politica caritas tãta facit & poteſt, quid non faciet caritas diuina? Rectè proinde dicitur odium ſuſcitare rixas, caritas autem vniuerſa delicta operire & obliuioni tradere, non ſolùm propria, ſed etiam aliena.

13. *In labijs ſapientis inuenitur ſapientia, & virga in dorſo eius qui indiget corde.*

CEterum vt multum intercedit inter odium & caritatem; ita non parum quoque inter labium ſapientis, & linguam hominis corde mentéque carentis: Siquidem in labijs viri prudentis & ſapientis inuenitur prudentia & ſapientia, quæ ipſius orationem exornant, & ipſum apud ſapientes meritò commendant. At verò qui corde ſenſuque deſtitutus eſt, ita loquitur, ita agit & tractat omnia, vt nihil niſi verbera & fuſtigationes mereatur, nihilque aliud ipſi reliquum ſit, quàm vt dorſum cædentibus præbeat. Quinimò ſapientis lingua non ipſum ſolùm commendat; ſed fatuum quoque mentéque captum egregiè verberat: Neque enim ſecus ſapientis orationem

tionem auersatur stultus, quàm fatuus virgam. In ore itaque & labiis sapientis quærenda est prudens oratio, non in lingua stulti. Etenim vt in corde stulti nulla reperitur prudentia, nulla iustitia, nulla morum integritas: ita in ore eiusdem nulla inuenitur æquitas, nulla veritas, nulla honestas. Quare vnicum hoc reliquum habet; nempe vt fatuorum, aut vilium mancipiorum more dorsum flagellis aptet. Quod si in hoc sæculo non vapulet, in altero sæculo plagas non euadet.

14. *Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est.*

VErum licèt in sapientis corde & ore sapientia resideat, non semper tamen eam depromit; nouit enim, quando, quid, vbi, & quomodo loquendum sit. sermo namque, qui suis locis suisque temporibus, & coram idoneis auditoribus non profertur, tametsi secundum se sanus & sapiens videatur, non est tamen eiusmodi, quia desunt, quæ adesse debebant. Abscondunt itaque & dissimulant nonnumquam sapientiam suam sapientes, nequis falsò existimet sapientiæ esse speciem garrire, amentiæ vero interdum tacere; tum etiam ne suæ sapientiæ thesauros temere iactare videantur. Stulti vero quidquid sciunt, aut scire verius se putant, id totum statim citra delectum effutiunt. Quò fit, vt rubori, cladi, & calamitati sæpe affines fiāt, seséque & alios in magnam quandóque miseriam & confusionem conijciant; vt rectè hîc à sapiente asseratur, stultorum os confusioni vel contritioni propinquum esse. Vix enim contingit, vt suo stultiloquio aliquam confusionem & contritionem sibi vel alteri non adferat.

15. *Substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius: pauor pauperum, egestas eorum.*

NOn par diuitis & pauperis est ratio, neque æqua vtriusque conditio; etsi interim vera in diuitiis non sit posita felicitas, neque summa in paupertate rursum calamitas. Falluntur namque qui summum bonum in diuitiis ponunt; falluntur æquè, qui opes nullum commodum, inopiam contra nullum incommodum adferre statuunt, adeóque omnem laborem omnesque honestas artes, quibus opes parantur, auersantur. Siquidem diuitiæ & facultates iustis laboribus comparatæ, tanquam validum propugnaculum diuitem ornatum iustitiâ aduersus omnem tempestatem muniunt. Certâ enim experientiâ constat, diuites opum præsidio à multis in-

cõmodis sæpe expediri. At vero inopia ex ignauia præsertim & turpi desidia nata, pauperem pauidum & consternatum, & quasi fractum mutumq. efficit; & multis pręterea iniuriis & miseriis, à quibus diuites immunes viuunt, obnoxium reddit. Habetque discrimen hoc locum non solum in rerum tẽporariarum copia & inopia, verum etiam in spiritalium bonorum penuria & abundantia; imò magis hîc quàm ibi. Vt enim opum spiritalium inopia res est miserrima; ita earum copia res est felicissima, & aduersus omnem tentationem validissima.

16. Opus iusti, ad vitam: fructus autem impij, ad peccatum.

OMne iusti studium, omnisque eiusdem conatus & opus tendit ad vitam: iustus namque conatur & laborat, non vt habeat, quo vitium quodcumque foueat, aut peccatum designet; sed ne desit, quo se suosque alat, & in egenos liberalis existat: prouentus autem impij totus vertitur in materiam peccati. Nam quidquid ille suo labore suâque industriâ comparare potest, hoc totum refert ad fastum & pompam, ad luxuriam, & aliorum oppressionem, vel alia id genus vitia & flagitia. Impius itaque ex labore suo venatur mortem. neque enim aliud est quærere peccatum, quàm quærere mortem, iustus autem suâ industriâ quærit suam aliorumque vitam.

17. Via vitæ, custodienti disciplinam, qui autem increpationes relinquit, errat.

QVi custodit disciplinam & increpationem, illi aperta est via, quæ ducit ad vitam; qui autem increpationes non admittit, sed contemnit audireque respuit, is à tramite vitæ, veræque sapientiæ aberrat, adeoque per viam, quæ ducit ad mortem & stultitiam, ambulat. Nam vt duplex exstat semita ad sapientiam & vitam, nimirũ obseruatio disciplinæ, & ob errata admissa admissio reprehensionis, ita duplex quoque est via, quæ ducit ad amentiam & mortem; videlicet nolle audire salutarem doctrinam, & iustas rursum increpationes nolle admittere.

18. Abs-

18. *Abſcondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam, inſipiens eſt.*

VT gemina exſtat caritas: latens vna, altera manifeſta; ita duplex quoque exſtat odium: vnum apertũ, alterũ tectum. Hoc propriũ eſt aſtuti hominisque vafri & mendacis; illud ſtolidi mentéque capti. Labia hominis mendacis & callidi odium, quod in pectore fouent, aſtu tegunt atque diſſimulant, quo ſic commodius incautum hoſtem opprimant; at verò labia ſtulti odium, quo intus ardent, ſtatim per conuitia & maledicta in lucem efferunt. Vterque tamen improbus & nequam eſt, & qui labijs mendacibus odium tegit, & qui per verba contumelioſa illud prodit: deterior eſt tamen, qui tegit, quàm qui prodit. Eſt enim res tæterrima, & à Chriſtiano candore alieniſſima, in pectore fouere inimicitiam, ore autem geſtuque externo ſimulare amicitiam.

19. *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia ſua, prudentiſsimus eſt.*

MAgnum ſapientiæ argumentum eſt, linguam ſcitè moderari noſſe: magnum rurſum ad vitandum peccatum præſidium hominem paucorum eſſe verborum. Siquidem in multiloquio, quod eſt vitium loquacitatis prauâ conſuetudine contractum, non facilè cauetur peccatum. Etenim in prolixa & garrula oratione facili negotio interuenit aliquod mendacium, aut verbum aliquod ocioſum, aut vanum aliquod & detractorium, aut aliquid aliud eiuſmodi. Quare Chriſtus quoque non modò à familiari ſermone; ſed ab ipſa etiam oratione multiloquium abeſſe voluit. Qui igitur multa vitare peccata deſiderat, multorumque offenſionem declinare, prudensque potius & intelligens, imo etiam perfectus haberi, (*Qui enim verbo non offendit*, inquit Iacobus, *hic vir perfectus eſt*) parcè circumſpectique ſit ſermonis neceſſum eſt, ſuáque labia ritè moderetur oportet.

20. *Argentum electum, lingua iuſti: cor autem impiorum pro nihilo.*

VT autem inter iuſti & impij linguam latum diſcrimen intercedit; ita quoque inter vtriusque cor. Siquidem verborum qualitas cordis conſtitutionem ſapit & refert. Scriptum eſt enim: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Igitur vt lingua, & verba iuſti ſunt veluti argentum electum, igneque purgatũ & exploratum; (quia & terſa ſunt, & gratum ſonum red-

dunt) ita cor quoque, vnde illa procedunt & tersum & purum est. Contra verò vt impiorum cor nullius est pretij & quasi nihil (nam omninó nihil esse non potest) ita illorum quoque verba nihil habent vtilitatis, nihil quod vllâ laude aut commendatione dignum existat; imo verò multo plus damni & detrimenti adferunt verba impij, quàm commodi.

21. *Labia iusti eruditiunt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.*

AT non talia sunt labia iusti; nam præter alia, quorum antea meminimus, sunt quoque ad erudiendum, verboque cœlesti pascendum apprime idonea; & quidem ad erudiendum & pascendum eò sunt aptiora, quò à peccatorum maculis sunt purgatoria. Quò enim quisque est purior, eò, vt alios doceat, est aptior. Eapropter Christi seruatoris lingua ad docendum & erudiendum verboque vitæ pascendum fuit aptissima: vtpote purgatissima, & ab omni dolo & fraude alienissima; Verùm saxeum Iudęorum cor, neque emollire, neque penetrare potuit. Quare etiam, vt stulti, in cordis sui egestate exstincti sunt. Sicut hoc ipso etiam tempore ob eandem cordis duritiam multa mortalium millia emoriuntur. At stulti & indocti ob cordis inopiam, sensusque hebetudinem & amentiam, neque se ipsos, neque alios pascere norunt, nec, quod peius est, ab aliis pasci volunt; quibus proindè aliud nihil reliquum est, quam vt fame secundum mentem pereant. Qui enim se ipsum alere non potest, neque ab alijs vult ali, quid aliud illi superest, quam mors & interitus.

22. *Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur eis afflictio.*

MVlta exstant, quæ opes augere nata sunt; nam & labor & industria, & fauor Principum, & multa id genus alia diuitias conferunt, & honorem pariunt; verùm benedictio & liberalitas Domini ea demum est, quæ solidè ditat, hominesque verè beat, idque citra vllam propemodum curam & molestiam, quæ sane benedictio multis partibus omnem fauorem & gratiam humanam excedit; neque enim mundus vllum omnino ditat citra laborem, dolorem, & afflictionem. Constat namque mundanas opes non comparari absque labore & molestia; neque possideri absque sollicitudine & cura; neque dispensari absque timore & animi anxietate. Verùm hæc Dei benedictio non obtingit omnibus, sed illis vel solis vel præcipue, qui totâ fiduciâ in illum reiectâ, primùm omnium regnum cœlorum & iusti-

tiam

tiam eius ſollicitè quærunt, & ea, quæ largâ Dei benedictione obuenerunt, liberaliter in egenos diſpertiunt.

23. *Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus, ſapientia autem eſt viro prudentia.*

STulti inſaniq́ue homines ita ferè ſunt comparati, vt flagitium quodcumq́ue committere pro nihilo ducant; imo verò pro ioco habeant. Enimuero ſcelere patrato adeò non dolent, vt gaudio quoque geſtiant, & tanquam re feliciter geſtâ effusè nonnumquam rideant & exultent, neque id tamen magnopere admirandum. Nam cum rerum diuinarum notitiâ ſint planè deſtituti, & in humanis turpiter occæcati, fit, vt bonum & malum, iuſtum & iniquum, fas & nefas eodem loco habeant. Iuſtum vero & bonũ virum ſapientia prudentem efficit: confert enim illi ſenſum & intelligentiam, lucemq́ue, vt liquidò cognoſcat claréque perſpiciat, quàm grauis & exſecrabilis res ſit, quodcumq́ue facinus datâ operâ patrare; quãto rurſum cum ſalutis periculo ſit coniunctum, in quocumq́ue mortali crimine viuere. Etenim prudenter expendere, quàm fœda & periculoſa res ſit peccatũ, & ad quantam miſeriam & calamitatem tandem perducat, hoc demum magnę ſapientiæ, illuſtriſq́ue prudentiæ eſt opus.

24. *Quod timet impius veniet ſuper eum, deſiderium ſuum iuſtis dabitur.*

VErùm licèt ſtulti impiiq́ue homines quamdam ex ſceleribus ſuis voluptatem capiant; ea tamen voluptas, neque pura, neque diuturna eſt. Quandoquidem, vt primum facinus aliquod deſignarunt, ſtatim conſcientiæ ſtimulis acti, ne promeritas pœnas luant, formidant. Id quod re ipsâ quoque, niſi mentem mutauerint, ipſis vſu venire ſolet, non in præſenti hac vita, vt ſæpe accidit, at certè in altera. Siquidem pœna non ſecus conſequitur noxium atque vmbra corpus aſſolet, exemplum huius accipe: furto commiſſo veretur fur, ne crimine patefacto capiatur, & in crucem agatur, vel aliâ pœnâ afficiatur, & ecce patefit, & capite pœnas pendit. Idem ſtatuatur de adulterio, homicidio, ceterisq́ue ſimilibus. Alius ſciens volensq́ue malè agit, ne ſuo deſiderio fruſtretur, & ecce fruſtratur. Sic Iudæi inſontem Ieſum occiderunt, veriti ne venirent Romani, & tollerent locum & gentem illorum, & ecce vi magnâ venerunt, & vtrumq́ue ſuſtulerunt. At iuſtorum cauſa longè aliter habet. Nam quidquid illi iuſte à Deo petunt, hoc ſemper impetrant, vel aliud ſanè, quod petitâ re vtilius & ſalutarius

est, hic quidem secundum meritum semper, ibi verò euentu certo & infallibili.

25. *Quasi tempestas transiens non erit impius, iustus autem quasi fundamentum sempiternum.*

IMpius omnisque illius impietas & prosperitas momentaneæ tempestati similis est; nam vt sæua tempestas initio terribilis apparet, vento tamen impulsa citò dilabitur, fureréque desinit, sic impij quoque sceleratíque homines. Nam licet tempestatis more terrorem nonnullis incutiant, non diu tamen subsistunt; sed instar turbinis aut procellæ è vita, vel è prosperitate, propter quàm sæui & insolentes erant, excidunt. Hodie videntur aliquid esse, cras in nihilum rediguntur. Verùm iusti instar validi fundamenti perpetuò sibi constăt, semperque florent; scilicet innitentes basi firmæ & immotæ, nimirum virtuti. Adhæc obortâ aliquâ tempestate vel aduersitate non cedunt, neque franguntur; sed in vtraque fortuna immoti consistunt, cùm impius interim minimâ re aduersâ maximè moueatur & consternetur.

26. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum.*

SIcut acetum ingratum & insalubre est dentibus, & fumus oculis: ita nuncius ignauus, piger, & infidelis grauis & molestus est illi, qui eum miserat. Est enim res molestissima auidè magnóque desiderio exspectare, & post diuturnam exspectationem spe suâ frustrari. Qui ergo ab ea molestia immunis esse voluerit, vel nulli negotia sua committat, vel tantum fidis & idoneis nunciis.

27. *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur.*

QVod autem impij non diu feliciter viuant, sed turbinis vel tempestatis more citò transeant, non vna est causa, potissima tamen videtur, quòd timore Domini abiecto liberè impudentérque quæuis flagitia & scelera designant. Complura namque inter ea reperiuntur, quæ bonæ valetudini, bonæque corporis constitutioni multum aduersantur. Ceterum timor Domini non auget vitæ annos ob id solum, quod absterret à libidine & intemperantia, aliísque id genus flagitijs, quę morbos generant, adeóque disponit ad vitæ diuturnitatem, maximè propter conscientiæ pacem & tranquillitatem, verùm etiam quia habet certam Dei promissionem. Nam

pietas,

pietas, quæ à timore Domini seiungi nequit, promissionem habet vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Timor itaque Domini auget vitæ dies, anni autem impiorum propter causas iam expositas, & breues sunt plerúmque, & multum calamitosi.

28. *Exspectatio iustorum lætitia: spes autem impiorum peribit.*

VT omne omnino agens tendit ad verum aut apparens aliquod bonum, ita omnes omnino homines tàm probi & iusti, quàm improbi & iniusti sperant & exspectant aliquod bonum. Verum hoc inter iustos & iniustos intercedit, quod horum spes plurimum frustretur, illorum autem plerúmque impleatur, propter quod hi merito gaudent & lætantur, illi contra lugent & contristantur. Causa discriminis est, quia spes iustorum nititur certo firmóque fundamento, iniustorum autem nullo. Iusti adhæc spe ferũtur in bona futura, quæ sunt æterna; impij autem in bona præsentia, quæ sunt fluxa & caduca.

29. *Fortitudo simplicis, via Domini: & pauor his qui operantur malum.*

VIa & lex Domini, per quam iusti ambulant, deque virtute ad virtutem progredi debent; donec in virum perfectum euadant, homini recto & simplici confert spiritus robur, animíque fortitudinem & confidentiam; ita vt de Deo eiusdemque fauore & præsidio bene speret, cunctáque bona de eiusdem gratia, sibi promittat; eâdem rursum viâ, quæ piè operanti est veluti arx, validumque propugnaculum, malè operanti est pauor, animiq. consternatio. Nam & perditè viuentibus pœnas interminatur, & eorumdem conscientiam propter supplicia, quæ peccatoribus iam olim irrogata commemorat, grauiter exterret. Est autem via Domini duplex. vna, quâ ipse venit ad hominem per gratiam, aut per iustitiam, aut seueritatem; per hanc quidem, si pœnitentiæ remedium respuerit, per gratiam vero si peccatum deseruerit. Altera, quâ homo per fidem, spem, caritatem, per pœnitentiam rursum aliaque bona opera tendit ad ipsum, sicut ergò ex bona honestáque conuersatione & actione, viro integro accedit animi fortitudo & spiritus robur; ita improbo ex turpi & inhonesta vita accedit terror & formido.

30. *Iustus*

30. *Iustus in æternum non commouebitur; impij autem non habitabunt super terram.*

IVstus neque aduersis, neque prosperis mouetur aut conturbatur; sed in vtraque fortuna immobilis consistit: vtpote Dei timore & futurorum spe munitus, & spiritalis structuræ fundamento validè firmatus, adeóque à terra illa, quam Deus diligentibus se promisit, numquam exturbabitur: impij verò neque viuentium terram incolent, neque hanc quoque crassam & caliginosam pacatè diu obtinebunt: sed, vt palea per venti turbinem solet, è medio illius auferentur, nullâ vnquam ætate quieto pacatóque animo potituri. Sunt enim tanquam mare feruens & æstuans, semper inquieti. Verum neque illi tantum è terra melle ac lacte fluente auferentur; sed illorum quoque posteri, ne vllum prorsus illorũ vestigium amplius exstet.

31. *Os iusti parturiet sapientiam, lingua prauorum peribit.*

OS iusti non erit sterile, neque infructuosum, sed veluti arbor fertilis, bonum lætúmque fructum proferet, nempè sapientiam, quæ & dicenti & audienti prosit. Nam & sapiens audiens sapientior euadit. At prauorum & virtute sterilium lingua, veluti truncus inutilis exscindetur, planéque interibit; vt quæ nihil fundat, nisi malum, & stultum, & à sapientia alienum.

32. *Labia iusti considerant placita, & os impiorum peruersa.*

NEque ratio huius obscura est; nam corda & labia iusti ea considerant secúmque versant & meditantur, quæ sunt honesta, Deóque & hominibus grata, dantque de industria operam, vt illa proponant in medium, palámque proferant, quæ & veritati, & honestati, & suæ quoque existimationi sint consentanea. Contra vero os impiorum studio depromit peruersa, & inuoluta, & perplexa, vel meras verius inuolutiones & perplexitates; ita vt non facile intelligas quid velit, aut quò tendat.

AD

AD CAPVT DECIMVM SCHOLIVM.

PARABOLAE SALOMONIS.

NOuus hic titulus ea, quæ hinc ſequũtur propriè Parabolas eſſe innuit, nec alium, quàm Salomonem auctorem habere, indicium facit: nam hactenus propoſita familiares quaſdã admonitiones & exhortationes magis ſapiunt, quam gnomas, aut parabolas. Quare multo quoque maiorem connexionem inter ſe habent, quam quæ hinc ſequuntur. Quibus hoc quoque peculiare eſt, quod ſinguli verſus ſingulis ferè antitheſibus cõſtant. Subindè hîc namque ſtultus & ſapiens, ſtultitia & ſapientia, iuſtus & impius, impietas & iuſtitia, diues & pauper, diuitiæ & paupertas, mors & vita, odium & dilectio, aliaque eiuſmodi complura oppo-nuntur.

1. *Filius ſapiens lætificat. &c.* Sunt hæc ijs affinia, quæ dudum ante in medium propoſuit. Nam vt ſuprà frequenter hortatus eſt filios, vt parentibus obediant, eorumdémque præcepta obſeruent ita hîc eoſdem admonet, ne ſuâ ſtultitiâ & inobedientiâ triſtitiam illis adferant; ſed ſuâ potius ſapientiâ & obedientiâ recreare illos ſtudeant. Ceterum lætitia ob filij ſapientiã tribuitur patri, tamquam altiori & digniori, magisq. conſcio; triſtitia autem matri, tamquam cauſſæ. Creditur enim primis annis nimis filio indulſiſſe, nimiâque indulgentiâ illum deprauaſſe. Augetur hoc malum quod domi ſtultum ob oculos verſantem ſemper habeat; & ea, quæ foris deſignat, maioráque re ipſa ſunt, apud ſe exiſtimat.

2. *Non proderunt theſauri. &c.* Opponitur hoc verſu iuſtitia iniuſtitiæ, impietas pietati. Statuitur hanc à morte liberare, illam mortem conciliare, nihilque tandem prodeſſe: Nam ſiue iniuſtè pares opes, ſiue iniquè detineas, ſiue malè diſpenſes ſemper peccas, malúmque tibi conflas.

3. *Non affliget. &c.* Hic verſus complectitur rationem præcedentis. Poterat enim quiſpiam dicere: Non amo fraudem, ſed propter receptam inter negociatores conſuetudinem, cogor aut fraude vti, aut inediâ perire. Ad hæc autẽ Sapiens: non ita res ſe habet. Deus namq. iuſtũ fame perire nũquã

permittet. Præterea opes eiusmodi non subsistere, adeóque frustra comparari. Quidquid enim per insidias vel fraudem comparatur, hoc totum Deus subuertit.

4. *Egestatem. &c.* Excitantur hîc ignaui & desides ad honestum laborem, eò quod hic opes & honores; desidia verò inopiam & infamiam pariat: opponitur hoc autem loco non strenuus tantùm ignaro, sed candidus quoque doloso. Nam & pigri dolis vti solent, ne fame pereant. Potest autem hic locus ad vtramque vitam referri, siquidem æterna quoque vita, vt labore acquiritur, ita negligentiâ & ignauiâ amittitur.

Qui nititur. &c. Hunc versum contextus Hebræus & exemplaria Latina emendatiora non habent; neque magnam quoque connexionem cum præcedentibus & proximè sequentibus habere videtur. Dicitur autem *ventos pascere*, hoc est, frustra laborare, oleumque & operam perdere, qui mendacijs nititur. Conueniunt hæc maximè in hæreticos qui suis mendaciis aliud nihil lucrantur, quam odium & infernum omníque, vento veluti leues paleæ agitantur.

5. *Qui congregat. &c.* Prouerbium admonet laborem adhibendum, dum tempus inuitat, & occasio se offert, & vires sinunt. Nam in altera vita non est locus merendi, aut tempus vtiliter laborandi, aut pœnitendi: Sicut nec in senectute quoque tempus est discendi, nec in hieme tempus serendi, & sic de reliquis.

6. *Benedictio super caput. &c.* Omnibus bene precatur & vult vir iustus, & omnes vicissim illi: omnibus idem necessariis affluit. Benedictio porrò hîc tribuitur capiti, tamquam membro principaliori, hoc est, menti vel rationi. Per iustum autem designatur hoc loco in egenos misericors & liberalis, quâ benedictione & gratiâ impij destituuntur: vt qui omni maledictione sunt pleni, eumque in modum exsaturati, vt os aperire nec valeant, nec audeant.

7. *Memoria iusti cum laude. &c.* Opponitur hîc rursum iustus iniusto. Differunt hoc autem inter se, quod iusti nomen sit celebre, & diuturnum; impij autem obscurum, & momentaneum, & cum infamia, quam diu durat, coniunctum.

8. *Sapiens corde. &c.* Committitur hoc versu sapiens cum stulto. Hi autem præter cetera hoc inter se discrepant, quod sapiens sapientiæ præcepta audit & recipit, stultus autem contemnit & negligit, idémque suis se

labijs

labiis cædit; vt qui multa temere effundat, propter quæ pœnas postea luit.

9. *Qui ambulat simpliciter. &c.* Idem est hoc loco *simpliciter ambulare*, quod innocenter viuere, aut in vitæ integritate ambulare. Integrè autem ambulant, qui, quod peccatum est, simpliciter præstant. Tales autem ambulant confidenter, quia propter bonum conscientiæ testimonium, nullum periculum aut pœnam metuũt, vt scelerati, ceteriqúe omnes, qui per fraudem vias suas deprauant, metuere solent.

10. *Qui annuit oculis. &c.* Hic vitium vitio opponitur verius, quàm virtuti. Committitur enim innuens oculo cum stulto. Nam vt oculorum nictu ad fraudem, vel aliorum detrimentum abutens, si deprehenditur, pœnas pendit; ita etiam stultus labiis, hoc est, temere quiduis effundens, propter suam morologiam grauiter sæpe vapulat.

11. *Vena vitæ. &c.* Aperitur hoc Prouerbio quantum situm sit bonum in lingua, quamque arduum sit verbo non offendere. Inter cetera autem comparatur hic os iusti venæ, vel fonti viuo: nam vt fons vitæ aquam semper profundit dulcem & salutarem; ita os iusti salutarem semper eructat doctrinam.

12. *Odium suscitat rixas. &c.* Assignat hic discrimen inter odium & caritatem, hæc rixas & tempestates sedat; illud bella & dissidia excitat: Caritas rursum omnia candidè accipit; odium contra omnia in sinistram partem rapit. Vnde quod hoc tempore tot in mundo exoriuntur rixæ, & odia, tot sectæ, schismata, nulla alia est caussa, quàm caritatis è mundo exilium. Tegere autem peccata, aliud nihil est, quam ea condonare vel dissimulare.

13. *In labijs sapientis. &c.* Opponitur hic stultus & sapiens. In huius labijs inuenitur sapientia; in illius dorso virga: hunc sapientia exornat; illum stultitia deformat. Mysticè, corde carent Iudæi, pagani, & hæretici, qui omnes, si non in hoc sæculo, in altero certè terga flagellis præbebunt.

14. *Sapientes abscondunt. &c.* Non paruæ sapientiæ pars est, scire quando, vbi, & quomodo loquendum vel tacendum sit; sicut è diuerso apertum stultitiæ argumentum est, quiduis temere effundere; paritque hæc temeritas magnam sæpe auctori suo cladem & ignominiam. Hoc ergò inter stulti & sapientis orationem interest.

15. *Sub Cantia diuitis. &c.* Assignatur hic differentia inter pauperem & diuitem: paupertatem & diuitias; perstringunturque, qui minus rectè de vtroque genere sentiunt. Nam vt errant, qui summum bonum in diuitiis, & summum malum in egestate ponunt; ita errant quoque, qui diuitias quasi per se malas condemnant; & paupertatem quasi secundum se bonam laudibus euehunt: quia vtrobique à medio ad alterum extremum receditur. Ceterum scopus Prouerbij huius est excitare homines ad honestum laborem, à desidia verò & otio absterrere; vel quid inter pauperum & diuitum conditionem intercedat exponere: Vel accusare diuites, qui spem suam in diuitiis ponunt; & pauperes rursum, qui propter inopiam animo franguntur.

16. *Opus iusti. &c.* Committitur hic iustus cum impio vel iniusto; qui sic differunt, quod hic totum, quod labore conficit, confert ad peccatum; ille verò ad vitam & salutis materiam: nempe vt habeat, vnde viuat, seseque & alios alat.

17. *Via vitæ. &c.* Confert hic inter se hominem disciplinam custodientem, & hominem rursum disciplinam, vel eruditionem repudiantem, & increpationem contemnentem: hic vero errat, & vitam amittit; ille neque errat, neque vitæ iacturam facit.

18. *Abscondit odium. &c.* Stolidus & callidus hoc præcipuè inter se discrepant, quod callidus per mendacia variaque commenta odium, quod in pectore fouet, dissimulet; stolidus autem venenum, quod in corde gestat per conuitia statim eructat; vterque tamen malus & stultus est; quia omnis omnino peccans & malus & ignarus est: at prudentior secundũ sæculum habetur, qui odium dissimulat, quia qui illud propalat, re ipsâ est altero peior. Discimus hinc in eius lingua non hærere veritatem, in cuius pectore non habitat caritas.

19. *In multiloquio. &c.* Crebrò Sapiens versatur circa linguæ vitia & peccata, quia difficile est multa, præsertim non necessaria effutire, neque tamen vmquam impingere; atque hic illud docetur.

20. *Argentum electum. &c.* Perseuerat sapiens in iustæ linguæ commendatione, & peruersi cordis detestatione. Comparatur autem sermo iusti argento probo & explorato; nam & à sordibus repurgatus est, & sonitum edit iucundum, auribusque gratum. Sermo autem, & cor impij modicum boni habere dicuntur. Nam integrè mala esse non possunt: alioqui

se ipsa

ſe ipſa deſtruerẽt, modicum autem pro nihilo reputatur. Quare cor impij ſimpliciter malum vel nihilum dici poteſt.

21. *Labia iuſti. &c.* Iterum iuſtorum linguam extollit, inter cetera autem bona paſcendi, docendiq́ne munus illi tribuit. Verùm ocioſum hoc linguæ officium eſt, niſi adſint, qui doceri erudiriq́ue velint. Indocti enim & ſtulti in cordis ariditate & egeſtate moriuntur, quia verbo Dei ſe paſci non ſinunt.

22. *Benedictio Domini. &c.* Magna diuinæ benedictionis vis eſt, vt quæ pietati & miſericordiæ operibus deditis omnia, quibus prælens hæc vita indiget, citra vllam curam aut moleſtiam ſtatim ſubminiſtrare queat & ſoleat; hoc autem nullus mundi huius fauor, aut benedictio valet.

23. *Quaſi per riſum. &c.* Prius huius loci membrum eſt clarum: ſignificatur enim ſtultum ſcelus quoduis admittere pro nihilo ducere, imò vero lætari, poſteaquam admiſit. Poſterius ſubobſcurum eſt, videtur tamen innuere ſapientiam viro iuſto prudentiam, hoc eſt, ſenſum vel lumen afferre, vt cognoſcat quàm periculoſum & detrimentoſum ſit quodcumq́ue ſcelus patrare.

24. *Quod timet impius. &c.* Hoc dictum multis exemplis probari poſſet, ſi opus eſſet; nec infirmat hunc timorem, quod ſtulti cum riſu & voluptate peccare dicantur: quia licet tam ante factum, quàm in ipſo etiam facto geſtiant, poſtea tamen aliter ſentiunt. Iuſti tamen deſiderio ſuo potiuntur, quando id ſaluti illorum expedit. Fit hic autem comparatio inter bonum & malum, iuſtum & iniuſtum: hic timet malum & euenit; ille cupit bonum, & accipit.

25. *Quaſi tempeſtas. &c.* Comparat impium turbini, vel tempeſtati tranſeunti, quia plerumq́ue non diu ſubſiſtunt; ſed ſtatim inſtar folij, quod vento rapitur, è medio tolluntur: & licèt diu viuant, & proſperè viuant, attamen tota hæc vita vnum tantum momentum eſt. Iuſtos autem fundamento firmo aſſimilat, nam licèt hîc affligantur, poſtea tamen æternum viuunt. differunt hoc quoque, quod impij minimâ obortâ tempeſtate ſtatim frangantur, iuſti autem in omni fortuna immoti perſiſtant.

26. *Sicut acetum. &c.* Docet pigros infidosq́ue nuncios magnam moleſtiam ijs adferre, à quibus mittuntur, adeoq́ue qui eâ moleſtiâ carere voluerit, fidos diligentesq́ue nuncios mittere debere; miſſos rurſum ne mittentes affligant, ad omnem diligentiam obligatos teneri. Aduertant hoc virorum Principum Legati vel Commiſſarij.

27. *Timor Domini. &c.* Docet qui Dominum timent vitam sortiri plerumque longam; impios contra tempestiuè è medio tolli. Siquidem impietas & iniustitia non tantum spiritali vitæ obsunt, sed animali quoque & sensibili. Nam & animam turbant, & corpus sæpe vulnerant, & multas citæ mortis occasiones offerunt; quibus omnibus incommodis pij iustiq. viri carent. Quare & hic diuturnam sæpe, & ibi perpetuam ducunt vitam.

28. *Exspectatio iustorum. &c.* Vt iusti omnes desiderio tendunt ad bonum, ita impij quoque. verum bifariam inter se discrepant: iusti namque semper feruntur ad verum bonum; iniusti vero non semper. Rapiuntur enim non rarò ad bonum apparens, spes rursum vel exspectatio iustorum non fallitur; impiorum autem sæpe fallitur, atque ita hi dolent, illi gaudent.

29. *Fortitudo simplicis. &c.* Per viam Domini intelligitur lex vel mandatum Domini: per hæc enim iustus gradiens crescit in virum perfectum, & assequitur spiritum robustum. Eadem lex vel via est pauor impiorum, quia legis transgressoribus supplicium interminatur.

30. *Iustus in æternum. &c.* Differunt rursum iustus & iniustus: quia huic nullus in terra est locus stabilis; nam tum etiam, cum firmiter consistere videtur, animo nutat & fluctuat; ille autem in vtraque fortuna semper est firmus, & constans.

31. *Os iusti. &c.* Iterum ad linguam eiusdemque munus regressus, sapientes peculiarem linguæ curam habere docet. Curent namque, vt ea tantùm loquantur, quæ sapientiam augent, veræque sapientiæ magistrum arguunt. At lingua prauorum, quod futilis sit, tandem interit & euanescit.

PARAPHRASTICA

CAPITIS VNDECIMI EXPLANATIO.

1. *Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius.*

MVltæ fraudum & imposturarum sunt species, multa iniquitatum & iniuriarum genera, quæ omnia Deo summopere displicent; verùm inter cetera ea maximè execratur, quæ sub iustitiæ specie designantur; qualia sunt, quæ committuntur in pondere & mensura. Nec

iniuriâ

injuriâ, siquidem vnum hoc peccatum cedit in magnam pauperum totiusque populi iniuriam.

2. *Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: vbi autem est humilitas, ibi & sapientia.*

NOn eiusdẽ est rationis diuina & humana sapientia, hæc enim superbiã & arrogantiam adiunctam habet; illa ab humilitate numquam seiungitur. Superbus quocumque se vertit, alios præ se despicit; indicat enim eò, quod supercilium erigit, se parem non habere: sapiens autem cum humilibus & mansuetis lubenter & familiariter agit. Verè enim sapiens expendit, quàm nihil sit totum, quod adest, si cum eo conferatur, quod deest; atq. ita submissè de se sentit, neque vllum contemnit. Quia ergò superbus omnes contẽnit & despicit, iusto Dei iudicio fit, vt ab omnibus vicissim cõtemnatur. Proinde vt superbia numquam est absque contumelia, ita humilitas numquam est absque sapientia & vice versa.

3. *Simplicitas iustorum diriget eos, & supplantatio peruersorum vastabit illos.*

SImplicitas & candor dirigunt iustos, & quidem eâ felicitate, vt & improborum insidias inoffensè euadant, & suos conatus ad prosperum exitum deducant. At impiorum peruersitas (quâ nimirum alios euertere & supplantare conantur) ipsosmet euertit & destruit. Cadunt namque in foueam, quam aliis aperuerant, capiunturque suismet ipsorum retibus & laqueis.

4. *Non proderunt diuitiæ in die vltionis: iustitia autem liberabit à morte.*

QVi in vltionis vel indignationis die à morte & condemnatione liber esse desiderat, ille dolosam stateram, omnemque prorsus iniustitiæ & iniquitatis viam & rationem prorsus abiiciat; iustitiam autem veram, & æquitatem in omnibus, & cum omnibus exerceat. Quandoquidem diuitiæ malis artibus, & cum pauperum & ciuium iniuria partæ in die vltionis sæculoque futuro nihil proderunt, nec à morte te liberabunt; imò vero iustæ damnationis tuæ testes & caussæ erunt. Abiectâ proindé explosâque omni iniquitatis specie, stude iustitiæ & æquitati: ea enim vna est, quæ liberat, ab anima & corporis morte. Nec illius tantũ iustitiæ cultui incumbe, quæ versatur circa contractus, sed illius præcipuè, quæ circa debitum egenorum

sub-

subsidium & alimentum iuxta illud: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*

5. *Iustitia simplicis diriget viam eius: & in impietate sua corruet impius.*

QVemadmodum simplicis perfectíque viri iustitia & probitas, viam eius omnesque vitæ illius actiones ad eum modum dirigit, vt ab omni malo & incommodo tutus prosperè vbique fortunatéque in omnibus procedat; ita impietas de vno peccato impium præcipitat in aliud, de vno rursum periculo & infortunio in aliud trahit, ita vt numquam cadendi finem faciat, donec tandem omnino pereat. Atque hoc totum quotidianæ experientiæ fides apertè confirmat.

6. *Iustitia rectorum liberabit eos: & in insidijs suis capientur iniqui.*

VT ille qui iustè perfectéque incedit citra terrorem & offensionem per vitæ huius viam deducitur, vitæque presentis periodo absolutâ, ab æterna morte liber, ad cœlestem patriam transfertur, ita iniqui insidijs, quas alijs machinantur, capiuntur, captíque ad sempiterni ignis supplicium abripiuntur. Rursum, vt illi, qui opes iustè comparant, iustéque comparatas liberaliter in egentes erogant, à morte liberantur: ita iniqui propter legis præuaricationem mortis retibus inuoluuntur.

7. *Mortuo homine impio nulla erit vltrà spes, & exspectatio sollicitorum peribit.*

QVemadmodum homini impio per mortem adimitur omnis spes gratiæ & gloriæ, voluptatumque, & reliquorum omnium, in quibus ante confidebat, aut quæ falso sibi promittebat, ita etiam in morte, & per mortem sollicitorum, hoc est, hominum auarorum, interit omnis illorum spes & exspectatio. Nam vt ipsæ opes, quas tantâ sollicitudine & labore parauerant, tantâque tenacitate & anxietate asseruauerant, ipsos tunc deserunt, vel ab ipsis veriùs auaris tunc deseruntur, ita quoque totum commodum totumque præsidium, quod ex opibus illis vanè exspectauerant, stultéque sibi polliciti fuerant, ijs intercipitur. Miseri proinde, & ter infelices, qui in opum copia spem suam collocant, aut auarè, vsque ad vitæ finem illas asseruant. Si igitur impij & auari sapiunt, sibique bene consultum volunt, tempestiuè resipiscant; quia post mortem neque vitæ, neque veniæ spes vlla reliqua erit.

8. *Iustus*

8. *Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo.*

MVltæ sanè iustorum in hac vita sunt cruces, multæ vexationes & afflictiones; prout omnes, qui piè volunt viuere, variis miseriis & cladibus subiici solent: verùm tandem aliquando, cum nimirum per famem, pestem, morbos, aliaque eiusmodi incõmoda, quantum sat est, expiati & exerciti fuerint, ab omnibus angustiis & crucibus liberati, læti hinc in æternam illam requiem, pacemque & tranquillitatem transferentur, sempiternam ibi cum Deo vitam acturi. Contra verò impij in bonis plerumque varijsque delicijs & voluptatibus transigunt dies suos, & in puncto ad inferos descendunt, extremam miseriam & calamitatem in omne æuum istic perpessuri. Iusti itaque tristia sortiuntur exordia, sed exitum lætum: impij contra & peccatores læta & iucunda habent initia, sed infelices planéque infaustos fines. atque ita rectè hic dicitur impium tradi pro iusto; quia dum vterque ad finem pertingit, iustus liberatur à dolore & angustia, impium autem dolores & angustiæ excipiunt; eâque ratione alter alteri videtur succedere. Impius enim succedit iusto in cruciatu & afflictione, iustus vero impio in gaudio & oblectatione. Succedunt aliâ quoque ratione impij iustis, siquidem in mala, quæ alijs intentant, ipsi frequenter incidunt.

9. *Simulator ore decipit amicum suum, iusti autem liberabuntur scientiâ.*

QVi quietam pacatamque vitam ducere instituunt, non ab illorum solùm consortio & consuetudine abstinere, seseque continere debent, qui apertè scelerati, aut aliàs impuri sunt: verùm ab ijs etiam, qui amicitiæ & sanctimoniæ speciem præ se ferunt, cùm intrinsecus tamen sint hostes & impuri. Siquidem eiusmodi simulatores blando ore adulatoriâque oratione incautos decipiunt, &, quod in illis est, funditus perdunt atque euertunt. Verùm iusti per scientiam, quàm diuinitus acceperunt, vel ex sacris literis hauserunt, facili negocio ab eiusmodi adulatorum fraudibus & imposturis sese expediunt. Inter omnes autem hypocritas & simulatores omnium nequissimi & periculosissimi sunt hæretici. Quamobrem qui illorum dolos & laqueos euadere volunt, spiritu & Scripturarum scientiâ instructi sint oportet.

10. *In bonis iustorum exaltabitur ciuitas: & in perditione impiorum erit laudatio.*

AEquè perniciosum & periculosum est probos opprimere, & improbos exaltare, quapropter ciuitas legibus & moribus bene instituta, propter iustorum prosperitatem & exaltationem lætari, festumque & lætum diem agitare solet. exaltantur autem & florent cùm ad honores & magistratus euehuntur; vel cum præmia suis virtutibus digna consequuntur. Pari modo cùm impij sceleratique homines è medio tollũtur, vel iustis suppliciis afficiuntur, eadem ciuitas tamquam à communi peste liberata, gaudet atque exultat & vtrumque æquissimo iure.

11. *Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas, & ore impiorum subuertetur.*

NEc mirum sanè, cùm probi integrique viri ad honores & magistratus euehuntur, impij verò exauctorentur, vel à ciuitate omnino profligantur, commune totâ passim ciuitate gaudium exoriri. Quippe ob iustorum benedictionem & promotionem ciuitas crescit & floret, (boni namque quidquid à Deo acceperunt id totum in vsum & commodum ciuitatis conuertunt.) At peruerso impiorum ore peruertitur & cõturbatur, & tandem omnino perditur. Imo verò non solùm ciuitates & familiæ impiorum & sceleratorum hominum dolis, insidiis, & seditionibus turbantur & euertuntur; sed integra interdum regna. Sane Ecclesia à nullo vmquam tyranno grauiora passa est, quam ab improbis hæreticorum dolis & seditionibus.

12. *Qui despicit amicum suum, indigens corde est: vir autem prudens tacebit.*

MVltæ sunt veræ amicitiæ partes, multa eiusdem officia, & munia; inter quæ principatum ferè tenet vitiorum, quæ in illis nonnumquam obseruantur, quibuscum familiariter viuimus, dissimulatio. Inciuile est namque nimis accuratè in amicorum mores inquirere; aut ob aliquod vitium casu in illis obseruatum, eos statim repudiare, vel contemnere. Quinimo veri amici, hominisque prudentis vocabulo indignus est prorsus, qui ob leuem aliquam noxam amicum statim despicit; prudentis est autem, siquid in amico animaduertitur, quod naturâ suâ stomachũ mouet, illud dissimulare, candideque

inter-

interpretari, hoc eſt, cogitareeum qui lapſus eſt, hominem eſſe, te quoque, etiamſi nunc ſtes, labi aliquando poſſe.

13. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſa.*

ALiud veri ſynceriqúe amici munus eſt, ſecretum ab amico commiſſum nulli temere manifeſtare; ſed bonâ fide illud retinere & cuſtodire. Quamobrem ſiquis alterius ſecretum, aut commiſſum patefacit, is delatorem & ſuſurronem agit verius, quàm amicum. Vt qui ſecundum veræ amicitiæ leges nequaquam ambulet; neque ſyncero, ſed fraudulento fictoq́ animo cum amico verſetur. Quare nec dignus quoque eſt, qui inter veros amicos habeatur. At qui rem ſecreto ſibi commiſſam celat, ille demum fidelis & fidus amicus eſt, quæ igitur ſecreta manere volumus, non citra delectum cuiuis committamus, ſed viris probis & fide dignis.

14. *Vbi non eſt gubernator, populus corruet: ſalus autem, vbi multa conſilia.*

NVllum regnum, nulla reſpublica, nulla hominum multitudo diu ſalua conſiſtere poteſt, ſi prudenti cordatoque conſilio & duce deſtituatur: populus enim ſine certò duce certisque legibus in officio contineri non poteſt; imo vero niſi plurimum conſilio & auctoritate compeſcatur, domi foriſque omnia turbat & miſcet, vbi ergo nulli ſunt gubernatores, nulla conſilia, nullus ordinarius & legitimus magiſtratus, ibi populus neceſſariò peſſum vadit, & in ſummam miſeriam præceps ruit. Contra vero vbi matura conſilia vigent, vbi legitimus, & ordinarius habetur magiſtratus, cui populus ex animo obſequitur; ibi plebs vnà cum magiſtratu totáque reſpublica & ciuitas floret & viget, virésque & incrementa quotidie ſumit.

15. *Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cauet laqueos ſecurus erit.*

QVi vitam pacatam & à curis vacuam ducere deſiderat; is temerè pro alieno ne ſpondeat. Nam qui pro altero ſpondet, aut fidem ſuam pro altero quocumque temerè obligat, is afflictione affligetur, hoc eſt, magnã moleſtiam & curam experietur, rerumque ſuarum magnam ſæpe iacturam patietur, experimenta ſunt in promptu. Nam ſi periculoſum, & ſtultum

ſtultum eſt pro quocumque ſpondere, quanto magis pro ignoto & peregrino. Qui igitur à ſponſionis laqueo aut fideiuſsionis vinculo ſibi cauet, is à multis periculis, curis & incommodis ſe liberat, vitamque multo quietiorem & pacatiorem, quam ſi fideiuſsiſſet, tranſiget. Quod ſi pro debito pecuniario nemo tutò ſpondet, multo minus pro aliena ſalute tutò quiſpiam ſe obligat.

16. *Mulier gratioſa inueniet gloriam, & robuſti habebunt diuitias.*

VT mulier venuſta virtutibúsque ornata meritò in precio & honore apud omnes habetur: ita viri ſtrenui & in labore impigri, magnas haud difficulter conſequuntur opes; & per haſce publicos honores & magiſtratus: ſiquidem honor perinde ferè comitatur diuitias, atque vmbræ craſsiora corpora. Vt honores comitantur opes, ita laborem & induſtriã conſequuntur opes. Qui ergo forti infractoque, & laborum patienti ſunt pectore, illi facili negotio ad opes & honores pertingunt. Eſt autem hîc ſermo de opibus iuſto labore partis; nam quæ per vim vel fraudem comparantur, ignominiam & cladem adferunt frequentius quàm honorem.

17. *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors: qui autem crudelis eſt etiam propinquos abijcit.*

CAuendum eſt proinde ne propter incenſum opum deſiderium aliquid committamus, quod obſit animæ. Nam qui ſibi crudelis eſt, quomodo in alios miſericors & benignus erit? Nihil ſanè iniquius, nihil ſtultius, nihil crudelius, aut à ratione alienius, quam quocumque ſcelere aut iniquitate animam ſuam perdere, & proprium nihilominus corpus grauiter offendere. Qui ergo ſecundum ſe iuſtus, & in egenos miſericors & benignus eſt, is non tam alijs, quàm animæ ſuæ benignè facit. Qui autem crudelis, hoc eſt, propter inexplebilem habendi ſitim, omnem humanitatem exuit, etiam propriam carnem negligit, nedum alienam: vel quia propriũ genium propter auaritiã defraudat, vel quia auaritiâ prorſus occæcatus & induratus, proprijs quoque amicis & cognatis debitum eleemoſynarũ præſidium denegat. Benignus itaque & animæ, & corpori benignè facit, crudelis autem neutri; imò animam & corpus ex æquo vexat, hoc quidem per famem, illam verò per nimiam ſollicitudinem mortalisque peccati plagam.

18. *Impius*

18. *Impius facit opus instabile: seminanti autem iustitiam merces fidelis.*

IMpius & legis præuaricator facit opus mendax, & vanum, & instabile: quippe quod finem & scopum, in quem tendebat, non assequatur. At viro, qui iustitiam seminat, merces certa & firma olim obtinget. Neque enim aliud metere potest, qui seminat in spiritu, quàm vitam æternam: sicut è diuerso qui aliud non seminat, quàm carnẽ carnisq. illecebras, aliud metere non solet, quam carnis corruptionẽ. Pari modo, qui bonam & sanam doctrinam seminat, gloriæ palmam pijs Doctoribus promissam certò adipiscetur; qui autem adulterinam & spuriam, promeritam dependet pœnam. Idem statuatur de alijs operibus ex bono vel malo fonte ortis.

19. *Clementia præparat vitam: & sectatio malorum mortem.*
20. *Abominabile Domino cor prauum, & voluntas eius in ijs qui simpliciter ambulant.*

ETenim clementia, iustitia, vitæ integritas, aliaque eiusmodi homini sternunt viam ad vitam æternam. Contra verò nequitia, vitæque improbitas, & malitiæ studium aditum ad mortem aperiunt. Nam vt ille, qui studiosè sectatur iustitiam, rectâ tendit ad vitam; ita ille qui datâ operâ prosequitur malitiam veliniustitiam, mortem sibi accersit vltroneam; quam Deus certò illi illaturus est, qui peruerso corde incedit, improbitatémque de industria sectatur. Siquidem nihil exstat, quod æquè ille execretur, atque cor prauum & peruersum; eiusmodi illud rectè dici potest, quod non ex inscitia, aut infirmitate peccat, sed ex malitia. Sicut è diuerso præ ceteris illos diligit atque complectitur, qui perfecto & simplici corde per viam mandatorum incedunt, ipsique syncero animo seruiunt. Nam vt omnis simulatio & hypocrisis ipsi summopere displicet; ita vice versâ animi candor & synceritas apprimè illi grata est, & placet.

21. *Manus in manu non erit innocens malus: semen animam iustorum saluabitur.*

ETsi autem improbi inter se contra iustum conspirent, datisque dexteris mutuam operam contra iusti salutem sibi inuicem polliceantur, iusto tamen eiusdémque semini nullum prorsus detrimentum adferent, & ipsi interim iniquam illam contra insontem conspirationem, impune non ferent, quippe qui apud Deum graues suo tempore pœnas luent.

22. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulcra & fatua.*

QVod circulus aureus est naribus suis, hoc pulcritudo aut formæ venustas est fatuæ mulieri. Neutri enim cõuenit ille ornatus, quia neuter eo rectè vti nouit. Nam vterque turpi cœno illum maculat. Sus quidem materiali, mulier verò spiritali, fœdis nimirum vitiis atque flagitijs. Siquidem elegantia formæ in causa est, vt à multis lasciuis ad concubitum expetatur, cùm ipsa autem mente careat, nullo ferè negotio expugnatur, & in libidinis cœnum præceps agitur.

23. *Desiderium iustorum omne bonum est: præstolatio impiorum furor.*

OMne iustorum desiderium fertur in bonum, maximè vero in Deum in quo summatim continetur omne bonum. Nam quidquid absolutè desiderant, hoc totum ad Dei honorem, suamque salutem expressè vel tacitè referunt; at verò impiorum studium totum intentum est ad maleficium. Nihil enim æquè desiderant, atque aliquam malefaciendi ansam sibi offerri, suâque spe frustrati incenduntur, & furunt. Quamobrem nihil exspectandum illis restat, quàm iræ diuinæ indignatio & pœna. Nam vt iusti propter bona opera, piáque desideria meritò exspectant præmium & mercedem; ita illi propter sua maleficia, improbámque voluntatem, iure aliud nihil exspectare possunt, quàm iram & vindictam, maximè eo die, quo viuorum & mortuorum Iudex dicturus est, *Discedite à me maledicti.*

24. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.*

SVnt qui propria liberaliter in egenos distribuunt, & ditiores euadunt: siquidem qui benè pieque dispensat, dignus est qui alia & alia subinde, quæ in miseros eroget, à Deo accipiat. Sunt è diuerso qui rapiunt aliena siue id faciunt per vim vel rapinam, vt fures & latrones; siue per fraudem & imposturam, vt auari mercatores; siue aliâ quâcumque iniquâ viâ & ratione,) & semper cum egestate & penuria conflictantur. Quandoquidem malè parta malè plerumque dilabuntur.

25. *Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.*

QVi omnibus bene precatur, déque omnibus bene mereri conatur, variis Dei donis & gratiis cumulabitur: siquidem anima benedictionis, hoc est, liberalis, & in pauperes benigna impinguari, diuinisque donis & beneficiis augeri & dilatari solet. Pari modo qui alios inebriat vel exsatiat, siue id faciat salubri potu & escâ, siue salutari doctrinâ. (Vtroque enim modo fieri potest) vicissim satiabitur & cœlestis gratiæ rore irrigabitur.

26. *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.*

NOn modo in dando & retinendo misericordia & crudelitas locum habent; verùm etiam in vendendo & non vendendo, quando illud opus est. Quamobrem vt illi, qui famis tempore frumenta vel alia quæcumque, quorum inopiâ publicè laboratur, ne miseria pauperes opprimat, promptè alacriterque vendunt, veluti benigni & misericordes benè apud omnes audiunt, largamque Dei benedictionem consequuntur; ita è diuerso, qui publicâ inediâ grassante frumenta, vel alia vitæ huius præsidia abscondunt, neque iusto precio vendere volunt, veluti crudeles & inhumani in grauem Dei indignationem, communemque hominum maledictionem incurrunt, & meritò. Tãtùm namque absunt ab ea caritate & beneficentia, quâ illa, quæ nobis ad vitã necessaria non sunt, necessitatis tempore gratis in egenos erogare obligamur, gratis erogent, vt ne precio quidem iusto vendere animum inducant, sed in aliorum damnum & detrimentum mordicus apud se retineant. Imò comperiuntur interdum, qui corrumpi malunt, quàm communi precio vendere.

27. *Bene consurgit diluculo qui quærit bona: qui autem inuestigator malorum est, opprimitur ab eis.*

QVi bonum quærit, bonisque operibus insistere pergit, idque non tepidè & oscitanter, sed feruidè & ex animo, eâque de causa summo diluculo exsurgit, illud quærit quod suo postea tempore magno ipsi vsui erit, plurimumque placebit; qui autem sectatur malitiam & improbitatẽ,

malum

malum quod sectatur, tandem inueniet; sed maximo suo incommodo; At neque suum tantùm commodum quęrit, qui mane quærit bonum, sed simul quoque Dei fauorem & beneplacitum; à quo proinde amplissimam olim mercedem est recepturus. Sunt enim Deo gratissimi, qui in bonis operibus maximè verò misericordiæ & caritatis officiis strenuè sese exercent.

28. *Qui confidit in diuitijs suis corruet, iusti autem quasi virens folium germinabunt.*

Cum diuitiæ res sint naturâ suâ fluxæ & instabiles, præ ceteris autem illæ, quę malis artibus, aut per iniustitiam parantur, aut nimis quoque sordidè & auarè detinentur; quicumque spem suam in illis collocat, magnæ vtique ruinæ sese exponit: adeóque nisi consilium mutet, certò tandem corruet; iusti autem veluti folium semper virens, perpetuo germinant; vt qui operibus misericordiæ, alijsque pietatis officijs semper intenti sint: neque tamen in hisce operibus spem suam ponunt, sed in sola Dei misericordia. Comparantur autem iusti folijs virentibus, & non folijs simpliciter, quia impij quoque assimilantur foliis, sed aridis & deciduis, quos ventus abripit.

29. *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos, & qui stultus est seruiet sapienti.*

VT autem magna amentia est, diuitias nimis ardenter amare, aut spem suam in illis collocare: ita insignis quoque fatuitas est, opes, ceteraq., quibus familia seruatur, & augetur, temere dissipare, aut nullam prorsus rei familiaris curam habere. Neque enim aliud illi reliquum fiet, qui rem suam studio dissipat, aut stultitiâ suâ domum conturbat, quàm vt vento se pascat, remque nullius momenti hereditet: nec non viri sapientis (cuiusmodi est, qui sapientiam suam stolidè non iactat, neque ostentat; sed prudenter dissimulat) seruitutem tandem subeat.

30. *Fructus iusti lignum vitæ: & qui suscipit animas, sapiens est.*

FRuctus iusti est veluti arbor vel lignum vitæ; quia palato non modo suauis, & gustui gratus est, sed immortalitatis quoque dator atque largitor est; offert autem eam suauitatem non ipsi iusto tantùm, sed reliquis quoque, qui ex fructu illo vel arbore illa vitæ degustant. Nam sapiens (qualis omnis omnino iustus haberi potest, non sibi tantùm prodest; sed ijs quoque, quorum animas suâ sapientiâ bonæque vitæ exemplo Christo lucratur. Quamobrem, qui eiusmodi est, iure optimo sapiens appellatur.

Siquidem

Siquidem animas amanter ſuſcipere, déque iis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, commodè inſtituere, magna citra omnem controuerſiam eſt ſapientia. Nam qui ſic eruditur, ex viro iuſto & ſapiente, tamquam ex ligno vitæ, veræ vitæ fructum accipit.

31. *Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator?*

SI iuſtus, qui legis mandatum numquam præuaricatur, propter leues quosdam lapſus, citra quos ferè non viuitur, multas in hac vita cruces & calamitates experitur; proque lapſuum ratione & qualitate ſuppliciũ in terra dependit; quanto iuſtius vir impius & peccator iſtiusmodi incommoda in hac vita patietur? Quo vel hac ratione ab improbitate reſipiſcat, vel ſi reſipiſcere nolit, æternas pœnas hîc pręguſtare incipiat; Si, inquam iuſtus ſimpliciter, ſecundum quid autem iniuſtus, ob leuia quædam errata grauiter hic ſæpe punitur, quanto magis iniuſtus & impius ſimpliciter, propter nefaria peccata punietur? Vel iuxta Lxx. editionẽ: *Si is qui iuſtus putatur, citra crucem non ſaluatur, impius tandem & peccator vbi manebunt?*

AD
CAPVT VNDECIMVM
SCHOLIVM.

1. *STatera dolosa. &c.* Hoc capite varij iuſtitiæ modi & ſpecies, vitiáque eisdem oppoſita proponuntur & exponuntur; ante omnia autem eam iniquitatẽ grauiter perſtringit, quæ ſub iuſtitiæ ſpecie committitur in pondere & menſura.

2. *Vbi erit ſuperbia. &c.* Opponuntur hîc ſuperbia & humilitas, ſapientia itidẽ & contumelia: tùm humana quoq. & diuina ſapientia: hæc enim humilitatẽ, illa arrogantiam adiunctam habet: ſuperbus autem quod alios omnes præ ſe contemnat, ab omnibus viciſsim contemnitur. Eſt enim ſuperbia Deo hominibusque exoſa, & ingrata: cum humilibus autem & manſuetis nemo non libenter conuerſatur.

3. *Simplicitas iuſtorum. &c.* Proponit hic præmia iuſtorum, & ſupplicia peruerſorum. improbum horum conatum Dominus ſubuertit; illorum autem candorem & integritatem proſperè dirigit, ipſosque ab omni aduerſitate cuſtodit.

4. *Non proderunt. &c.* Hæc pertinent ad iustum & iniquum pondus, de quo paulò ante dictum est. Nam iniusto pondere fraudem faciens, aliud nihil inde reportat, quàm condemnationis materiam & causam; potestq. hic locus non modò ad opes iniquè partas referri, verum etiam ad diuitias retentas, neque, vt oportuit, in egenos erogatas.

5. *Iustitia simplicis. &c.* Hæc sententia sensu congruit cum capitis huius tertia. Vtrobique enim iustis & integris promittitur securitas, & à malo immunitas, felixque in negotiis successus, impiis autem clades & calamitas.

6. *Iustitia rectorum. &c.* Et hæc quoque cum præcedentibus summam affinitatem habet; significat enim iustos (quales sunt, qui opes iustè comparant, liberaliterque in egenos erogant, & vitæ perfectionem pro viribus sectantur) hic quidem à clade, ibi verò à morte æterna fore liberos; eos autem, qui alijs dolum machinantur, vel insidias moliuntur, suis laqueis captum iri.

7. *Mortuo impio. &c.* Quod vox Heb. *Onim* plura significet, locus hic non eodem modo exponitur ab omnibus. Alij enim reddunt, *spes*, vel *exspectatio diuitum*; alij, *diuitiarum*: alij, *iniquorum*; alij, *hominum mendacium*: alij *spes hominum in diuitijs confidentium peribit eósque fallet*: alij alio modo. Quo autem modo Lxx. hunc locum legant, id patet ex præcedentibus. Hebræa sonant: *Hominis impij spes perit in morte; exspectatio autem iniquorum frustrabitur.* sensus est, impio à morte nulla fit spes reliqua: quia tunc non potest amplius redire ad pœnitentiam, neque illis delitiis, aut diuitiis amplius frui, quibus ante fruebatur.

9. *Simulator ore. &c.* Exponitur hîc simulatæ sanctimoniæ vis, & iustæ scientiæ facultas.

10. *In bonis iustorum. &c.* Sensus horum est, cum magistratus & officia publica iustis & bonis viris demãdantur in repub. bene constituta commune exoritur gaudium: cum autem malis, communis emergit luctus & tristitia. Ad eumdem modum cum mali è medio tollũtur, vel exauctorantur, probi & boni exultant omnes: cùm verò boni iniustè tolluntur, probi & boni dolent, & gemunt.

11. *Benedictione Iustorum. &c.* Hoc versu præcedentis versiculi redditur ratio, quæ paucis in eo posita est, quod ex iustorum exaltatione ciuitas floreat; in impiorum autem promotione langueat & sordeat, causæ autem huius non sunt obscuræ.

12. *Qui*

12. *Qui despicit amicum. &c.* Locus hic docet, familiares amicos neque facile contemnendos, neque temere quoque obiurgandos esse, etiam siquid designauerint, quod minùs alioqui probetur. Id quod mente capti non seruant, hi namque non solùm amicos flocci faciunt, sed omnes quoque homines præ se spernunt, vel quod se meliores illis censeant, vel quod aliquid vitij in alijs obseruarint, vel certè quod ipsi ab alijs prius offensi sint, quæ omnia vir prudens dissimulat & tacet.

13. *Qui ambulat. &c.* Ostendit hic quid intersit inter fidum & fraudulentum amicum. hic secretum patefacit, ille tegit; hic rursum curiosè obseruat, vt deferat & notet: ille vt amicè admoneat & sanet. videndum est ergo cui secretum committatur, hoc est, curandum est ne cui temere committatur; condemnatur hic quoque intempestiua garrulitas, & commendatur prudens taciturnitas.

14. *Vbi non est gubernator. &c.* Docemur hic rempublicam ex confusa populi multitudine diu incolumen consistere non posse, sed opus esse prudenti, sapientíque ductore & Principe idque non solum domi & in pace; verum etiam militię, & in bello. Habet autem, quod hic traditur, non tantùm in repub. vel regno locum, verùm in priuata quoque familia, præsertim si sit numerosa, discimus hic quoque populum cùm de bonis gubernatoribus, tum de bonis quoque Consultoribus vel Senatoribus sibi prospicere debere.

15. *Affligetur malo. &c.* Dissuadet fideiussionem tamquã rem molestam & periculosam, at non omnem tamen, sed temerariam tantùm, eamque præcipuè, quæ fit pro extero vel ignoto. Qui ergo ab eiusmodi laqueis obligationis tutus viuere exoptat, pro altero non facile spondeat.

16. *Mulier gratiosa. &c.* Versus hic insinuat in mulieribus quidem formæ venustatem, morúmque integritatem requiri; in viris vero laborem & industriam; adeóque mulieres deformes maléque moratas, viros rursum ignauos viribúsque parcentes parum vbique gratos & acceptos esse.

17. *Benefacit animæ suæ. &c.* Commendantur hic, qui operibus misericordiæ dediti opes ob id studiosè quærunt, ne desit, quod in egenos exponant: tum illi quoque, qui suo corpori & animo necessaria subministrant. Contra vero condemnantur tamquam crudeles, qui sibi vel alijs necessaria subtrahunt, quique propter se vel alios opes iniustè conquirunt.

18. *Impius facit opus. &c.* Versiculo proximè exposito eos præcipuè commendabat, qui sibi suæque animæ & corpori misericordiam impendunt; hic autem eos, qui in alios misericordes & liberales existunt. Committitur hic autem veritas cum mendacio, & sẽminans iustitiam cum seminante mẽdacium & vanitatem. Est autem idem, Merces veritatis, quod merces certa & firma; & opus falsitatis, quod opus fallax, suóue fine frustratum, id quod rectè hic vocatur *Opus instabile.*

19. *Clementia præparat. &c.* Opponuntur hic, qui studio sectantur iustitiam & clementiã & misericordiam, aliásque virtutes & qui de industria sectantur iniustitiam, omnemque aliam improbitatem. Inter quos hoc intercedit, quod hi rectâ tendant ad mortem, illi per planam viam progrediantur ad vitam. Per *Clementiam* autem designatur omne genus virtutem, sicut per *Sectationẽ malitiæ*, omne genus vitij. Possent hæc quoq. comparatiuè exponi, ad hunc modum; Vt ille qui sectatur mala, tendit ad mortem, ita ille, qui sectatur clementiam, tendit ad vitam.

20. *Abominabile Domino. &c.* Committuntur hic inter se cor prauum & animus simplex & integer. Hunc Deus diligit, illud detestatur; quia est illi dissimile, cum ipse sit rectus, & omnis recti & æqui auctor. Odit autem non modò omnem iniquitatem; sed omnem quoque iniquum; sicut è diuerso non diligit tantùm omnem integritatem & simplicitatem, sed omnem quoque integrum & simplicem.

21. *Manus in manu.* Confertur hic grex gregi, & cœtus cœtui, hoc est, semen iustorum manipulo vel factioni improborum. Hæc non euadet impunis, illud periculum & insidias in se comparatas euadet, Deo illud singulari curâ protegente. Potest ad hunc quoque modum exponi hic locus: licet mali inter se paciscantur de propulsanda à se inuicem iniuria, adhuc tamen promeritas pœnas non subterfugient. Aut, malus statim, vt scelus patrauerit, pœnas pendit. per *Manum* enim *in manu* acceleratio designatur. Vel, etiamsi plagam ad plagam addas, adhuc malus non emendabitur. Vel, qui manum manui iungit, hoc est, totâ die otiatur, non erit innocens. Alij alio modo exponunt, quia phrasis illa multos admittit sensus, nam vox quoque Hebræa multas recipit notiones.

22. *Circulus aureus. &c.* Componit Sapiens mulierem pulcram & fatuam cum porco aureo cultu ornato. Vt enim porco aurum non conuenit, quia illud contaminat; ita nec mulieri fatuæ formæ venustas: quia cedit illi in peccatum potius quàm in meritum, hoc ipsum tamen propter suam

fatuitatem

fatuitatem: siquidem forma per se non est res mala, sed media.

23. *Desiderium iustorum. &c.* Conferuntur denuo iusti cum impiis, illorum desiderium & studium totum fertur in bonum & honestum; horum autem totum in malum & peccatum, & quidem in plura & maiora sepe quàm patrare possunt; atque hinc nascitur in illis furor & indignatio.

24. *Alij diuidunt propria. &c.* Commendatur hic in pauperes liberalitas & misericordia; & condemnatur furtum & rapina. Fures & iniusti subinde miserabiliores & calamitosiores euadunt; misericordes autem & in egenos liberales ditiores & fortunatiores. Rapacium autem nomine non solùm fures comprehenduntur, sed iniusti quoque, & ij præterea, qui quæ pauperibus debentur, iniustè detinent.

25. *Anima, quæ benedicit. &c.* Hic versus scopo & sensu conuenit cum præcedenti. Nihil enim aliud est anima benedicens, quàm anima liberaliter erogans, aut fideliter docens, suáque bona & dona cum aliis communicans.

26. *Qui abscondit frumenta. &c.* Ostenditur hic reperiri quosdam, qui ab omni misericordia & beneficentia vsque adeò alieni sunt, vt ne iusto quidem precio ea, quę sibi ad vitam necessaria non sunt, aliis qui indigent, vendere animum inducant; qui proindè iustam Dei communisque populi maledictionem & execrationem incurrunt. Sicut è diuerso apud omnes bene audiunt, qui frumenta aliáque ad humanæ vitæ sustentationem necessaria, necessitatis tempore alacriter distrahunt.

27. *Bene consurgit. &c.* Committit hic iterum bonos & malos; iustos & iniustos; hi malum quod sectabantur, tandem inueniunt, illi contra bonum, quod diluculo consurgentes magno studio quærebant, ad finem obtinent. Textus Hebræus sonat: *Qui diluculo surgit ad bonum, is quærit beneplacitum*: nempe illud, quod & Deo placet, & sibi quoque olim placiturum est, quia nimirum pactam mercedem recipiet, qui autem quærit malum, veniet super illum.

28. *Qui confidit. &c.* Docetur hic, propter diuitias auidè nimis expetitas, multa passim mala contingere. Diuites enim diuitijs inflati, multa praua & superba designant, propter quæ tandem in interitum ruunt. Iusti autem, quod spem suam non in opibus, neque in suis quoque operibus, sed in Deo constituant, instar viuentium arborum perpetuò florent.

29. *Qui conturbat. &c.* Hic locus contra eos agit, qui temerè dissipant opes, ceteráque, quæ ad familiæ statum, & vsum sunt necessaria. Sunt enim

hi non minùs mali & ſtolidi, quàm illi, qui ſua nimis ſordidè & auarè detinent; rediguntur namque tandem eò, vt ventos poſſideant, hoc eſt, vt nihil quo ſe alant, reliquum habeant. Quare ad finem alijs prudentioribus magisque frugi hominibus ſeruire compelluntur; nec ipſi ſolùm, ſed ipſorum quoque liberi.

30. *Fructus iuſti. &c.* Comparat hic fructum iuſti ligno vitæ: ſiquidem hic fructus non ſolum gratus & ſuauis eſt, ſed immortalitatē quoque confert iuſto; nec ipſi tantum iuſto prodeſt, ſed alijs etiam, qui illum deguſtant; atque hoc apertè confirmat membrum, quod mox ſubiungitur.

31. *Si iuſtus in terra. &c.* Senſus loci huius eſt. Si iuſti, qui legem non præuaricantur, tam multa incommoda & cruces ſuſtinent in terra, de impiis & iniuſtis quid tandem fiet? Si non hic, in altero certè ſeculo. Lxx. legunt: *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi apparebit?* & ita quoque allegat hunc locum Apoſtolus Petrus.

PARAPHRASTICA

CAPITIS DVODECIMI EXPLANATIO.

1. *Qui diligit diſciplinam, diligit ſcientiam: qui autem odit increpationes, inſipiens eſt.*

OMnes & quidem naturaliter ſcientiam deſiderant; at non omnes ad ſcientiæ arcem pertingunt; quia non omnes media & vias, quibus ad ſcientiam peruenitur, complectuntur. Stultus enim & inſipiens diſciplinam & caſtigationē, quæ ad veram ſcientiam viam muniunt, auerſatur, odioque proſequitur. Quod ſi ſcientiam verè diligeret, eandémque ex animo expeteret, diſciplinam vtique non contemneret, ſed amaret; habetque hoc locùm non in pueris & iuuenibus tantùm, verùm in omni propemodum ætate. Nam vt pueri, ſi virgæ & ferulæ ceſſant, parum aut nihil proficiunt; neque vnquam fere ad magnam aliquam ſcientiam aſſurgunt; ita adulti quoque in rerum diuinarum notitia moruméque diſciplina parum proficiunt; niſi admonitiones & flagella, quæ Deus interdum immittit, grato patientique animo, & ſine murmuratione admittant.

2. *Qui*

2. *Qui bonus est, hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè agit.*

QVi bonus, & disciplinæ amans est, is gratiam, & voluntatem suam haurit à Domino, hoc est, quidquid vult & desiderat, ab illo impetrat, adeóque vt ex bono efficiatur beatus. Siquidem ille beatus censeri solet, qui habet quidquid vult, & nihil perperam, aut præposterè vult. Rursum is rectè bonus haberi potest, qui opere id præstat, quod Domino placet, eiusdémque voluntati acceptum est. Cum enim ille omnis bonitatis fons origo & sit, non potest non bonus euadere, qui familiariter cũ eo versatur, & voluntatem illius facit. Contra vero qui in malignis & improbis cogitationibus suis fidit, neque Dei gratiam & fauorem vnquam ambit; imò vero apertè illa contemnit, maiori atque grauiori impietati quotidie sese obstringit; neque prius finem faciet, quàm Deus illum tamquam prorsus impium summéque scelestum condemnet. Quem autem ille condemnat, is demum absolutè malus est; sicut è diuerso ille quoque verè iustus est, quem ille iustum pronunciat; quippe cùm eius iudicium sit iustum & sanctum: hominum iudicium fallere possumus, Dei autem non possumus.

3. *Non roborabitur homo ex impietate, & radix iustorum non commouebitur.*

AT quamuis impij, malorúmque operum & cogitationum viri ad tempus florere videantur, & interdum vsque adeò scelesti deploratíque euadant, vt nec Deum metuant, nec hominem timeant, nec vllas leges vereantur, aut obseruent; attamen si in impietate sua porrò perrexerint, neque ipsi, neque illorum posteritas diuturna in terra erit; siquidem per diuinam prouidentiam & sapientiam fiet, vt citò è medio tollantur; ne pauperes diutius, quàm par est, vexent, aut simplices falsâ doctrinâ inficiant. At verò iusti stabiles vsque firmíque persistunt, neque vllâ facilè aut aduersitatis tempestate, aut falsæ doctrinæ contagione mouebuntur; neque ipsi soli stabiles & diuturni erunt, sed illorum quoque radix & semen, hoc est, illorum posteri eiusmodi quoque erunt. Nec mirum sanè iniustum instabilem & temporarium, iustum autem stabilem & diuturnum videri, quia hic nititur iustitiâ, quæ in quodam æqualitatis temperamento consistit, ille iniustiâ & impietate, quæ aspra, scabrosa, & inæqualis est.

4. *Mulier*

4. *Mulier diligens, corona est viro suo: & putredo in ossibus eius quæ confusione res dignas gerit.*

MVlier studiosa & diligens, animique robore prædita, & virtutibus ornata, sedula itidem & impigra (cuiusmodi ea dici potest, quæ rem familiarem studiosè prouidéque administrat, familiam prudenter gubernat, liberos procreat, piéque educat, omnem sinistræ opinionis suspicionem vitat, & reliqua denique, quæ honestæ matronæ propria sunt, sedulo præstat) marito est instar coronæ, vel diadematis, hoc est, summum apud alios honorem illi conciliat, summãque animi lætitiam adfert. At verò mulier, quæ res pudore dignas gerit, qualis est, quæ sectatur studia ab honestæ matronæ vita prorsus aliena, viro suo est instar putredinis vel saniei carnibus vel ossibus eius malè inhærenti: siquidem continuo mœrore & molestiâ maritum ita excruciat, vt non tantum carnem & sanguinem illius absumat, sed ipsa quoque eiusdẽ ossa exhauriat. (Spiritus enim tristis exsiccat ossa.) Ingens proinde onus & pondus, magnáque miseria est mala vxor sicut è diuerso magnum viro est solatium vxor proba & sedula.

5. *Cogitationes iustorum, iudicia & consilia impiorum fraudulenta.*

MVltum per omnem modum intercedit inter studia & cogitationes iustorum, & impiorum consilia & conatus. Siquidem iusti omnésq. illorum cogitatus tendunt ad iudicium & ęquitatem; hoc est, ad hoc, vt vnicuique ius suum administretur omnésque in pace & tranquillitate viuant, ac prosperè agant; contra verò omnia impiorum consilia & machinæ tendunt ad fraudem & imposturam, ad insontum oppressionem, ad iuris & æquitatis euersionem, sed & studia inter se, & erga se inuicem sunt admodum dissimilia. Nam iusti toti in hoc sunt, vt impios ad iustitiam & æquitatem adducant, & ab impietate abducant; impij autem circa vnum hoc occupantur, & solliciti sunt vel maximè, quò iustos per vim vel fraudem opprimant, & è medio tollant, quia iustis superstitibus liberè grassari non possunt.

6. *Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos.*

ET quemadmodum aliò tendunt cogitata iustorum, aliò impiorum; ita aliò quoque spectant horum, aliò illorũ verba. Verba enim & sermones impiorum tendunt ad insontum cædem & sanguinem; tractant enim

& con-

& conferunt inter se impij de retibus innoxio sanguini tendendis. Modus autem insidiandi per verba est varius. Alij enim insidiantur vitæ alienæ per falsa testimonia; alij per simulatam amicitiam; alij per mutuam in malum alterius conspirationem, alij alio modo. Ceterum si illi mali sunt, qui per verba vel alia media insidiantur bonis alienis, quid de illorum nequitia statuendum est, qui insidiantur insontum vitæ? At verò iustorum os & oratio tota huc fertur, vt insontes è mortis periculo, quod ab impiis illis impendet, eripiantur, siue hoc faciant, quod coram iudice illos defendant, eorũque innocentiam propugnent; siue quod blandis verbis insidiatores ab incæpto abducant; siue alios, qui iustos defendunt, suâ oratione suborneut & excitent, siue tandem, quod illos, quorum vitæ periculum imminet, vt ab insidiatorum verbis & studijs sibi caueant, prudenter admoneant.

7. *Verte impios, & non erunt: domus autem iustorum permanebit.*

EMedio tolle, ô Deus, impios, ne insontium sanguini amplius insidientur, eorumdemque fortunas, quibus freti temerè grassantur, euerte, penitusque disijce, statim veluti fumus euanescent, cessabuntque adeò querelæ illorum qui propter illorum felicitatem nonnumquã indignãtur, Deoq. obloquuntur. Deus itaque, si ita illi visum fuerit, vel tẽporis puncto impios cum omni gloria opumque copia, & prosperitate sua funditus euertet, ita vt nihil amplius illorum reliquum fiat. At iustorum verò familiam, & domum, & posteritatem firmabit in sæculum; vt quę solido fundamento sit nixa: exempla vtriusque sortis exstant innumera.

8. *Doctrina sua noscitur vir, qui autem vanus & excors est, patebit contemptui.*

VNusquisque ex sua doctrina & intelligentia cognoscitur, & secundum eius qualitatem commendatur, aut vituperatur. Verum qui perverso sunt corde, sapientiamque, quam non habent, vanè stultéque iactant, eúmque tandem in modum comparati sunt, vt nihil nisi vanum, & stultum, & subdolum loquantur, ij apud omnes contemptui habentur. Vecordia enim ore declarata, naturaliter parit despicientiam; sicut sapientia ore, cum opus id est, in medium prolata, generat laudem & admirationem.

9. *Melior est pauper & sufficiens sibi, quàm gloriosus & indigens pane.*

MElior præstantiorque & sapientior est pauper & ignobilis, qui honestis laboribus sese sustentat, vitæque necessaria per industriam comparat, quàm gloriosus ostentator, qui nobilitatem suam iactat, & ne eam contaminare videatur, laborem detrectat, cum interim miseriâ & inediâ domi tabescat, quod sanè commune est stultæ nobilitatis vitium. Multi enim passim comperiuntur, qui malunt nobiles haberi, & cum rerum necessariarũ penuriâ conflictari, quàm honesto aliquo opere victum quærere. Et sicut vilis abiectæque sortis homo præstantior est, qui opere & industriâ rem auget, & familiam locupletat, seruosque & alios, qui ad opus quotidianum necessarij videntur, comparat, quàm iactabundus & otiosus nobilis; qui inopiâ calcatus & pænè oppressus genus suum venditat, ita rudis & idiota, qui legem Dei seruat, melior est superbo Pharisæo, qui legis scientiam iactat, neque legem tamen obseruat.

10. *Nouit iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.*

TOto, quod aiunt, cœlo impij iniustique, & auari omnes à iustorum caritate, misericordia, & liberalitate distant. Etenim iusti misericordiâ Dei, qui solem suum super iustos & iniustos oriri sinit, pascitque omnia, liberaliter inuitati, curam suam non ad sibi domesticos & peregrinos, ceterosque cuiusvis generis & status homines extendunt tantùm; verùm ad ipsa etiam iumenta, de omnibus namque viuentibus benè mereri contendunt. At impiorum viscera sunt planè cornea, eorumdémque miserationes sunt nullæ, aut planè crudeles; nam vel nihil omnino dant egenis, vel ex alienis dant, & suam interea animam crudeliter mactant. Imò tantũ abest vt egentibus beneficiũ aliquod præstent, vt omnes, quoscumq; possunt, lædere quoque studeant. verum vt ipsi crudeles misericordiam omnino nullam exercuerunt; ita crudelem vicissim, hoc est, nullam prorsus consequentur; sed grauissimè apud inferos punientur. Iustitia enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: iusti verò, qui misericordiã fecerunt, misericordiam consequentur.

11. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus, qui autem sectatur otium, stultissimus est.*

QVi terram suam, hoc est, agros & prædia sua diligenter excolit, & studiosè exercet, ille saturatur panibus, rebusque omnibus necessariis affluit. *Panis* enim nomine ea omnia cõplexa sunt, quæ ad corporis curam sunt necessaria, iuxta illud; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: & vt *panis* vocabulo significatur quidquid ad vitæ vsum est vtile vel necessariũ, ita per agrorum culturam omnis honestus labor & manuũm exercitium designatur. Fit autem peculiaris agriculturæ mentio, quia nullum est artis genus innocentius, nullum naturalius, nullum à peccati labe tutius, nullum antiquius, nullum ad vitæ sustentationem necessarium magis. Cõtra vero qui ignauum otium, aut ociosos vanarum artium magistros sectatur; non solùm rerum, sed mentis quoque & cordis inops, planéque stultus & fatuus est censendus.

12. *Qui suauis est in vini moderationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam.*

VT ocio deditus mentis inops, & miser, panéque quo vescitur, indignus est; ita qui dies suos in epulis & compotationibus suauiter traducit, magnæ ruinæ & ignominiæ discrimini expositus est; non enim potest talis ad extremam miseriam & inopiam tandem non redigi; adeóque sese totámque familiam non magno dedecore & probro afficere. Neque enim parua nota est, ex magnis opibus suâ culpâ ad paupertatem summam redactum esse.

12. *Desiderium impij munimentum est pessimorum, radix autem iustorum proficiet.*

QVo liberius peccare, citiusque ditescere queant impij, nihil æquè desiderant atque malorum hominum artes & imposturas sibi familiares habere: nihil, inquam æquè optant & student, atque cum pessimis quibusque fraudes & dolos texere, perque fas & nefas rem familiarem augere. Contra verò iustus tamquam radix quædam fructifera, quotidie in pietate progressus facit, deque virtute ad virtutem procedit, ac tantùm abest vt aliena cùm impijs illis vi aut dolo rapiat; vt sua quoque egentibus liberaliter impertiri soleat. Sed & eatenus quoque impij

malorum munimentum expetunt, quatenus vires suas aliorum viribus atque potentiâ firmare contendunt; quo sic instructi liberius tutiusque grassari valeant. Sed desiderio suo frustrabuntur: sola enim iustorum radix proficiet, fructúmque fundet suo tempore. Quod si pro *Munimento* legeris *Monumentum*, vt quædam exemplaria legunt, significatur impium, nihil eo ardore desiderare, quo pessimorum quorumque exempla & monumenta imutari, opereque ipso exprimere desiderat.

13. *Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugit autem iustus de angustia.*

ALia impij proponunt, alia ipsis plerúmque eueniunt; proponunt enim, & quantâ vi possunt, iustorum exitium moliuntur: quo hoc autem consequantur, varias struunt insidias, varios tendunt laqueos, & nectunt dolos; verum iusto Dei iudicio fit, vt suis ipsi insidiis in hac quoq. mortali vita sæpe capiantur (nam in altera Dei iudicium euadere non possunt) iusti autem ab omni miseria, cruce, & angustia tandem liberantur: si non in hoc sæculo semper, in altero tamen semper, iuxta illud: *Multæ tribulationes iustorum, & de his omnibus liberabit eos Dominus.* Igitur propter peccata, quæ impius linguâ vel labiis contra iustum committit, suis ipse laqueis & retibus sæpe irretitur & capitur; iustus autem de angustia omnique miseria Deo auctore ad finem eripitur.

14. *De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis, & iuxta opera manuum suarum retribuetur ei.*

NOn solum propter bona opera Deus iustam soluit mercedem; & propter mala iustam infert pœnam, verùm propter bona quoque vel mala verba pendit præmium, vel irrogat supplicium. Nam, vt hîc traditur, *de fructu oris sui vnusquisque replebitur*, hoc est, quantum per bonum & legitimum linguæ vsum promeritus est, tantum mercedis ipsi persoluetur. Mirum videri potest propter bonum aliquod verbum certam mercedem reddi, verùm si spectemus Dei liberalitatem, bonique vsus linguæ difficultatem, desinet admiratio. Siquidem linguam ritè moderari res est tantæ difficultatis, vt is demum perfectus vir habeatur, qui verbo non offendit. Quilibet proinde non modò iuxta manuum suarum opera satiabitur bonis vel malis, verùm etiam iuxta bonum & malum oris sui vsum. notãdum

est enim

est enim illud Christi: *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*

15. *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est audit consilia.*

INter stultum & sapientem plurimum intercedit: etenim stultus in omnibus maximè sibi placet, se solũ sapere existimat, ceteros omnes præ se contemnit, nullum consilium petit aut admittit, totúmque quod facit aut tentat, id optimè factũ censet, id quod est stultissimum, corporíque & animo periculosissimum, & à verè sapientum vsu prorsus alienum. Nam qui verè sapiens est, ille aliorum consilia libenter audit; nec solùm audit, sed rectè quoque monentibus obtemperat; imo nihil grauè citra consiliũ aggreditur. Nouit enim scriptum esse: *Audiens sapiẽs sapientior erit.* Multum itaque inter hunc & illum intereſt.

16. *Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est.*

NEque solum hoc differt sapiens à stulto, quod hic omnia temere sine consilio agat, ille callidus omnia magna cum deliberatione & consultatione aggrediatur, verum hoc etiam, quod fatuus iram, quam animo concepit, statim prodat: nam vt leui de causa irascitur, ita iram conceptam dissimulare, aut comprimere non valet, verum clamoribus, conuitijs, comminationibus, aliisque euiusmodi furijs illam è vestigio euomit. At vir callidus & prudens dissimulat, & tegit iniuriam sibi illatam, iramque indè conceptam; ne si importunius erumpat, aliquam ignominiæ labem sibi adferat: tum etiam quò oportuno tempore de iniuria sibi illata, commodius se vindicet. Hæc tamen causa mundanam potius prudentiam sapit, quam Christianam caritatem.

17. *Qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus.*

QVi ea tantùm loquitur, quæ exploratè nouit certóque comperta habet, is demum sanus veritatis iudex, & iustitiæ vindex est; vt qui tamquam verax iusta & vera nũquam non loquatur, veraque loqui ab ineũte ætate semper consueuerit. Qui autem mendax est mendacióque à primis annis innutritus est, is dolosus & iniustus testis est. Nam vt veritas iustitiã tuetur & promouet; ita mendacium, fraudes, dolos, & imposturas alit. Est

autem libido illa & consuetudo mentiendi res periculosissima, cùm in rebus profanis & sęcularibus, tum etiam in sacris; imò vero perniciosior in sacris: neque enim minus peccant, aut minus quoque nocent, qui Scripturas per inscititiam vel malitiam falsè interpretātur, quàm qui in iudicio mentiuntur. Homo itaque vel testis verax loquitur veritetem, & iudicat iustitiam; testis autem mendax & dolosus dolum & mendacium loquitur.

18. *Et qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientiæ: lingua autem sapientum sanitas est.*

SVnt qui per verba, quę temerè effundunt suam aliorumque animam & consciētiam non secus vulnerant & lædunt, quàm corpora per gladios lædi offendique solent; neque enim exiguum vulnus animæ infligunt, qui prauâ doctrinâ eam imbuunt; aut obscenis colloquiis contaminant, aut prauis consiliis ad hoc vel illud flagitium impellunt; verùm sapientum lingua non vulnerat, sed vulnera per aliorum linguas inflicta, per sanam doctrinam, prudentesque admonitiones suauiter sanat. Et vt verbis temerè fusis multorum conscientiæ sauciantur, ita temerariis quoque promissionibus; qui enim inconsultè aliquid promittit, postea penitentiâ ductus, temerariâ suâ promissione vehementer animo discruciatur & sauciatur; nec solùm se ipsos offendunt temerarij sponsores; sed alios quoque, quibus promissa non seruant.

19. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacij.*

LAbium verax (cuiusmodi est, quod compertam veritatem numquam non loquitur) & firmum & constans est, eritque in perpetuum: neque enim modo hoc, modo illud asserit, sed vnum idémque de eodem semper, prout semper cōstans, semperq. sibi simile est. At verò testis præceps, qualis est, qui nullâ adhibitâ deliberatione, nullâ præmissâ meditatione, statim ad testificandum vel affirmandū proruit, ad momentum tantum sibi constat, idemque linguam suam ad mendacium & falsitatem præparat & aptat. Cogitur namque quod temerè semel astruxit, variis modis & artibus colorare, defendere, & palliare, rationésque inire & inuenire varias, quibus illud defendat. Nam etsi dolus, fraus, mendacium, imposturæ, hypocrises ad tempus subsistant, tantisper nimirum, dum latent, postea tamen in

lucem

lucem prodeunt, statimque euanescunt & euertuntur, veritas autem, quod Deum parentem habeat, manet in æternum. Atque hoc manifestum est ex hæresibus & erroribus omnibus, quæ iam inde ab initio huc vsque exstiterunt. Nullus enim hactenus perpetuum regnum obtinuit, aut diu quoq. sibi similis permansit.

20. *Dolus in corde cogitantium mala, qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.*

IN corde illorum, qui mala animo versant, totique in hoc sunt. Vt aliquid in aliorum perniciem excogitent, versatur dolus, & fraus, & omne perversum & nequam consilium: At vero in illorum pectore & voluntate, qui ea considerant & tractant, quæ sunt pacis communisque vtilitatis, inuenitur gaudium & lætitia. Siquidem ex ea consideratione ipsimet hauriunt lætitiam & conscientiæ tranquillitatem, eáque aliis suggerunt & consulunt, quæ suâ naturâ lætitiam conciliare nata sunt & hoc quoque quotidianæ experientiæ fide compertum est, & natura rei hoc exigit.

21. *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.*

PORrò autem licèt mali & improbi homines multa contra iustum excogitent & machinentur; attamen peculiari Dei gratiâ & fauore illum prosequente & defendēte, nihil tam graue, aut molestum illi accidit, quod eum euertat. Nam quæcumque, siue bona ea fuerint, siue mala, ipsi euenerint, omnia per Dei prouidentiam conuertuntur illi in salutem. Etenim si ab iniquis affligitur, retinet patientiam; pari modo si à Deo ipso propter lapsus quosdam seuerius flagellatur non impatientiâ frangitur. Si labitur cito Dei gratiâ excitatus resurgit, & cautius deinceps ambulat, communiter tamen istiusmodi à grauioribus lapsibus præseruatur; prout grauiores quoque lapsus illius statui non conueniunt. Sic si bonis affluit, animo non effertur; denique quæcúmque illi occurrunt, omnia illi vertuntur in bonum; sicut è diuerso impiis omnia cedunt in malum & damnationem. Quare replentur non tantùm malis pœnæ, sed malis etiam culpæ, & multis præterea magnisque vulneribus conscientiæ.

22. *Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt placent ei.*

LAbia veracia, vt paullò ante expositum est, firmantur: labia autem mẽdacia, aut non subsistunt, aut ad momentum tantùm subsistunt. Quandoquidem eiusmodi mendacia apud Dominum mera sunt abominatio: nam cum ipse sit per se subsistens veritas, non potest omnem, & doctrinæ, & vitæ, & linguæ falsitatem non auersari; & è diuerso omnem veritatem & fidelitatem non complecti. Inter mendaces autem præcipuè odit testes falsos: sicut inter veraces peculiari studio eos prosequitur iudices, qui veritate diligenter exanimatâ, id, quod æquum & iustum est, decernunt. Qui quo Deo placere studeant, corde, ore, & opere veraces fidelesque sint oportet.

23. *Homo versutus celat scientiam: & cor insipientium prouocat stultitiam.*

VIr prudens non temere profundit verba, neque doctrinam suam apud omnes promiscuè depromit; sed sæpe scientiam suam dissimulat, planeq. celat, facit autem hoc, vel vt alij sententiã suam liberius exponant, vel quod auditores idonei non existant, vel certè quò omnem iactantiæ opinionem fugiat. At vero stultorum cor statim se effundit, suâmque stultitiam ineptâ garrulitate & loquacitate prodit; nihil enim ille magis odit quàm silentium & taciturnitatem. Multum ergò inter stultum & sapientẽ interest; hic enim suam celat sapientiam, ille propriam stultitiam promulgat & prædicat.

24. *Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est tributis seruiet.*

MAnus fortium impigreque laborantium negotiantur, & ad imperiũ, opesque Principe viro dignas tandem ascendunt. At verò ignaui, & in opere remissi; qui nimirum honestum laborem subterfugiunt, & interim per dolum & fraudem ditescere volunt, ad inopiam & seruitutem rediguntur; & si ante liberi erant, vectigales & tributarij fiunt. Id quod in bonis fortunæ est ordinarium; in animæ vero diuitiis perpetuũ. Qui enim impigri hic sunt, diuites euadunt, regnúmque contra carnem, Diabolum, & mundum consequuntur: qui vero desides, miseri & inopes manent, carnisque & Diaboli seruituti mancipantur.

25. Mœror in corde viri humiliabit illum & sermone bono lætificabitur.

MOeror & cura, anxiáque cordis sollicitudo deiiciũt illud, atque prosternũt: at verbum bonum & consolatorium prostratum deiectumq. in meliorem spem, denuo subrigit. Magna proinde vis est mœroris & anxietatis, magna rursum sapientis orationis, iucundique sermonis est energia. Interim non omnis tristitia est mala, nec omnis rursum lætitia est bona. Bona est tristitia, quæ operatur pœnitentiam; mala est quæ desperationem. Bona lætitia, quæ est secundum Deum, mala quæ est secundum sensum mundi.

26. Qui negligit damnum propter amicum, iustus est: iter autem impiorum decipiet eos.

MAgnæ caritatis certæque amicitiæ argumentum est, priuatim damnũ cõtemnere propter amici commodum; neque enim vulgaris amicus censendus est ille, qui vt amici necessitati obuiam eat; proprium quæstum negligit, & certam rerum suarum iacturam subit. Quinimo talis non modo pro syncero amico, sed pro viro quoque iusto habendus est. Qui proinde licet nihil prorsus haberet, quo amico opem ferre posset, quouis adhuc iniusto prestantior & opulentior censendus esset. Nullæ enim opes, nulla potentia, nulli honores cum iustitia conferri possunt. At impiorum via decipit eos. Quærunt hi, exempli causâ & consectantur honores, & decidunt in publicam ignominiam; opes, & cadunt in paupertatem; longam beatámque vitam, & in ætatis flore è medio tolluntur. Et quamuis id non habeat locum secundum euentum in hoc sæculo, habet tamen semper secundum meritum.

27. Non inueniet fraudulentus lucrum: & substantia hominis erit auri pretium.

VIr dolosus & fraudulentus, non inueniet lucrum; et siquam prædam venatu ceperit, eam non assabit, neque in cibum conuertet; siquidem opes dolo vel fraude partæ, sunt veluti aues captæ, quarum alæ non aduruntur, nec acciduntur. Nam vt hæ facili negocio auolant, & venatoris vel aucupis spem fallunt, ita istę quoque non sunt stabiles neque vertuntur in vsum occupantis. Iusto autem labore & sollicitudine comparatæ durant, & perinde atque aurum optimum caræ haberi solent. Substantia enim &

res familiaris, quæ sensim, & iustè, & magno cum labore comparatur, multò consueuit esse gratior, quàm quæ vltro obtruditur, aut per vim aut fraudem occupatur. Inter ceteras autem opes illæ magno in precio haberi debent, quæ per manus pauperum in cęlestes thesauros transmissæ sunt. Erit enim summus illis honos, qui olim à Christo audituri sunt: *Venite benedicti* &c.

28. *In semita iustitiæ vita: iter autem deuium ducit ad mortem.*

SEmita iustitiæ, hoc est, via vel vita, quàm sectantur iusti, ea ducit ad vitam æternam & non ad mortem; at iter impiorum (quod à recto tramite ad deuia declinet) non ducit ad gratiæ vel gloriæ vitam, sed ad mortem æternam, animæque & corporis interitum.

AD CAPVT DVODECIMVM SCHOLIVM.

1. *QVi diligit. &c.* Distinguit hoc capite stultos & sapientes, bonos & malos, iustos & iniustos, probas & improbas mulieres, quorum omnium discrimen patet ex litteræ contextu.

Qui diligit. &c. Sapientes & stulti hoc inter se discrepant, quod illi disciplinam & correptionem diligunt, hi autem vtrumque odio habẽt, atque contemnunt; adeóque cum media illa, quibus ad sapientiam peruenitur, negligant, ad veram sapientiam vitæque frugem & emendationem non facilè perueniunt.

2. *Qui bonus. &c.* Assignatur hîc discrimen inter bonum & malum, sicut proximè inter sapientem & insipientem. Vox autem Hebræa *Ratson* sonat *Voluntatem*, vel id, quod placet, potestque hoc loco simul ad bonum vel Deum referri, vt sit sensus: qui bonus & benignus est, ille hauriet à Domino quidquid voluerit, qui autem improbis cogitationibus & machinationibus deditus est, in iisque spem suam ponit, à Domino condemnatus malè peribit. Opponũtur hic enim haurire gratiã vel beneuolentiam à Domino, & condemnari vel puniri à Domino: Bonus rursum vel benignus, & vir improbarum cogitationum. Vox *Raschag* apud Hebræos non modo impiè agere significat, quomodo reddidit noster interpres, sed etiam

punire,

nire, vel condemnare, præsertim in tertia coniugatione.

3. *Non roborabitur homo. &c.* Coheret hic versus cum præcedente, sensus enim est; etsi impij ad tempus dominentur & floridi habeantur; attamen flos ille non diu durabit. Siquidem tam ipsi, quàm illorum semen ne iustos opprimant, tempestiuè exstinguentur. Contra verò iusti licèt hic planè iacere & sordescere videantur, numquam tamen interibunt: quin potiùs tam ipsi, quàm illorum rami contra omnes insultus se erigent atque consistent.

4. *Mulier diligens. &c.* Quandoquidem posteritatis spes & diuturnitas magna ex parte dependet ex pia & sedula institutione, viro iusto adiungit hic vxorem probam, benéque moratam: facitque inter bonam & malam comparationem; siquidem improba est viro instar putredinis vel tabis osseum, proba autem loco coronæ & diadematis. Nam vt illa maritum grauiter affligit, magnâque ignominiâ afficit, ita hæc suum virum summo honore colit, & honorabilem apud alios reddit, & summâ rursum lætitiâ perfundit.

5. *Cogitationes iustorum. &c.* Comparantur hic inter se cogitationes intimáque sensa iustorum & iniustorum; horum namque consilia & cogitata sunt fraudulenta & bono publico aduersa. Nihil enim æquè student atque illos fraude circumuenire, quos vi opprimere nequeunt; illorum autem cogitationes sunt iudicia, hoc est æquæ & rectę, totæque ad hoc intentæ, vt vnicuique, quod suum est, tribuatur, nemóque iniustè lædatur. Iusti rursum solliciti sunt, vt impij conuertantur & viuant; impij autem omnia studia sua huc conferunt, vt iusti pereant.

6. *Verba impiorum. &c.* Vt versu proximo ostēderat aliò tendere iustorū, aliò cogitata impiorum; ita hic docetur aliò tendere horum verba & opera, alio rursum illorum studia & dicta, verba enim & secreta consilia impiorum tendunt ad insontis sanguinis effusionem, & iustorum oppressionem; iustorum autem ad insontium defensionem.

7. *Verte impios. &c.* Confert hic denuo impios cum iustis, qui hoc dicunt, quod horum domus sit stabilis & perpetua; illorum autem mansio momentanea: siquidem Deo illos percutiente statim è medio & hominum memoria euanescunt, ita vt nihil illorū restet amplius. Potest autem verbum *Haphoche*, quod imperatiui alioqui modi est, Heterosi Hebræis vsitatâ, per futurum verti, vt sit sensus: *Euertes impios*, vel illorum fortunas, & hoc membrum subsequens efflagitare videtur.

8. *Doctrinâ suâ. &c.* Admonet vanitatem vel amentiam oratione patefactam generare contemptum, sapientiam autem suo loco prolatam parere honorem & celebritatem. Atque ita sapientes hoc loco vtique ad docendum inuitat, insipientes autem, & rudes ab eo munere absterret.

9. *Melior est pauper. &c.* Docemur hîc sapientiores esse maiorisque meritò faciendos, qui honesto labore sese sustentant, quàm qui nobilitatem suam in otio iactant, & interim panem, quo vescuntur, non habent; id quod multis commune est valde.

10. *Nouit iustus. &c.* Commendat iustorum misericordiam & detestatur auarorum & impiorum hominum crudelitatem, hi ne hominibus quidem fame pereuntibus opem ferunt, illi iumentorum quoque suorum compati & misereri norunt. Insinuatur autem per hæc non modò subditorum animas, sed illorum quoque corpora benè honestéque habenda esse, neque grauiora onera illis imponenda, quàm commodè ferre possint. Impiorum porro crudelitas per hoc quoque conspicua est, quod ne sui quidem misereantur, nam & animas suas perdunt, & corpora sua duriter sæpe affligunt, atque ita crudelia in altero & in hoc sæculo luunt supplicia.

11. *Qui operatur terram. &c.* Commendantur hîc, qui terram suam excolunt; & condemnantur, qui otio tempus transigunt. Hi stultitiâ & ignauiâ suâ pereunt; illi pane & ceteris omnibus necessarijs saturantur. Obliquè autem commendatur hîc agricultura, proprijque corporis & cordis cura & exercitatio, ne contra spiritum insolescat.

12. *Qui suauis est. &c.* Hic versus ex LXX. editione petitus est; siquidem in codicibus Hebræis & emendatioribus Latinis non exstat. Sensus autem illius clarus est. Monet namque qui crapulæ & ebrietati dant operam, eos suis familiis & habitaculis certam ignominiam & egestatem ascisceré, quod quotidiana experientia confirmat.

12. *Desiderium impij. &c.* Condemnantur impietatis hîc illi, qui de industria viris iustis cladem, vel interitum, vel aliud incommodum machinantur; quod illi solent, qui otio vacant, nullámque honestam artem tractant; designat autem Sapiens eam machinationem *Venationis* nomine.

13. *Propter peccata. &c.* Docetur hic impiorum laqueos numquam esse irritos. Nam si iustos, quibus parati erant, non capiunt, vt sæpe non capiũt, semper tamen capiunt suos auctores, & ipsosmet impios.

14. *De fructu oris. &c.* Prouerbium admonet vnumquemque non solum de bonis vel malis operibus rationem redditurum, præmiumque vel suppli-

ſupplicium accepturum; verùm etiam de bonis & malis verbis, imo etiam de bonis & malis cogitationibus, vt ante expoſitum eſt: videat ergò vnusquiſque non tantùm quid, quantum, vel quomodo operetur, verum etiam quid & quomodo loquatur. Aduerſatur autem hæc doctrina vehementer illorum opinationi, qui omne meritum è medio tollunt.

15. *Via ſtulti recta. &c.* Hic denuo, vt alibi crebrò, Salomon exponit, quid inter ſtultum & ſapientem interſit: diſcrimen autem ex Paraphraſi & literæ contextu eſt manifeſtum, inde petatur.

16. *Fatuus ſtatim. &c.* Aliud hic inter ſtultum & ſapientem diſcrimen aſſignatur. Stultus enim iræ impatiens, animíque impotens ſtatim prorumpit in conuitia & furias, morbumque adeò ſuum omnibus mox patefacit; at ſapiens licèt interius commoueatur, id tamen diſſimulat, ireque conceptę motum comprimit, ne quid dicat, aut faciat, quod cum ſapiētia pugnet, aut Dei iudicium antevertat.

17. *Qui nouit. &c.* Commendatur hic ſtudium veritatis, & vituperat mendacium, præſertim in iudicio, quia veritas iuſtitiam promouet & conſeruat, mendacium autem dolis & fraudibus eandem euertit.

18. *Et qui promittit. &c.* Agit hic contra eos, qui temere quiduis effutiunt, nullâ veritatis, nulla honoris proximi, aut propriæ quoque exiſtimationis habitâ ratione. Nam & ſuam conſcientiam, & aliorum famam iſtiusmodi grauiter ſæpe vulnerant, & ipſam quoque vitam in periculum interdum adducunt, quin eandem quoque animi conſcientiæque vulnerationem parit temeraria promiſsio. His tamen omnibus medicamen adhibet ſapientum lingua, ſi modo illi obtemperetur.

19. *Labium veritatis. &c.* Committit inter ſe labium verax & mendax; hoc inſtabile & momentaneum eſt, omnis enim falſitas tandem manifeſtatur; illud ſtabile & firmũ, vtpote à veritate illa, quæ manet in æternum, ortum. vtriusque exemplum ex orthodoxa fide & hæreſi peti poteſt.

20. *Dolus in corde. &c.* Opponuntur hic qui & corde & ore agitant pacis conſilia iis, qui corde ſuo machinantur mala. Hi enim & ſibi & aliis dolorem pariunt, illi gaudium; malorum rurſum architecti in corde verſant dolum, pacis autem conciliatores conſilia bona & ſalutaria, taliaq. quæ gaudium ex ſe progignere ſunt nata.

21. *Non contriſtabit. &c.* Hoc loco denuo inter ſe committuntur iuſtus & impius vel iniuſtus: hic repletur malis culpæ & pœnæ, ille ab vtroque immunis viuit. Nam etſi in hac vita nonnumquam affligatur, ſemper

tamen in Domino lætus agit; hic quoque licèt interdum labatur, statim tamen cum maiori feruore exsurgit. Ceterum quòd vox Hebręa *Veuneh* latè pateat, sunt qui hunc locum reddunt, vt noster interpres: Alij, *Non accidet* vel, *Non erit doloris causa iusto vlla iniquitas*, vel, *vlla pœna, quæ illi ab impio inferri possit*. Alii, *Non parit dolorem iusto vlla iniquitas*, quia videlicet in nulla grauiora crimina cadet. Alij. *Non decet iustum, vel non erit grata iusto vlla iniquitas*, & sic Lxx. reddiderunt.

22. *Abominatio est Domino. &c.* Conuenit hic locus satis cum versiculo ab hoc tertio. Redditur enim causa cur labium verax firmetur, mendax autem non subsistat; quia nimirum Dominus tamquam veritas prima illud execratur, è diuerso autem labia fidelia probat; quia cum natura illius faciunt. Potest vtrumque ad iudices, & testes, & ad verbi quoque ministros referri.

23. *Homo versutus. &c.* Commendatur hoc loco opportuna taciturnitas, tamquam certum viri prudentis argumentum, damnatur autem insulsa loquacitas, veluti manifestum stultitiæ indicium. Prudens ergò est, qui non temerè profundit verba; sed quando, & quomodo, & coram quibus oportet. Stulti autem nihil celant, numquam tacent, numquam non se iactant. Quamuis nomen hoc *Versutus* in malam sæpe partem accipiatur, hic tamen accipitur in bonam.

24. *Manus fortium. &c.* Hortatur iterum ad honestum laborem, & detestatur ignauiam & pigritiam, per *Manus* autem *fortium* designat homines diligentes, magnâque curâ ad, eaquæ ad vitam necessaria sunt, comparanda intentos; eiusmodi enim ad Satraparum opes peruenire dicit. Contra verò ignauos, aut per fraudem & dolos tantùm ad opes contendentes, ad seruitutem summámque inopiam delabi prædicat. Opponitur autem hic manus fortis, manui remissæ; diligentia, ignauiæ; opes, paupertati; libertas, seruituti; habetque quod hic dicit locum in spiritalibus semper; in externis autem rebus frequenter.

25. *Mœror in corde. &c.* Exponitur hic interni mœroris, sapientisque orationis vis. hæc enim erigit & solatur; ille cor totumque adeo hominem deijcit, & vtrumque quotidiana ostendit experientia.

26. *Qui negligit. &c.* Hic locus secundum Vulgatam editionem admonet proprium commodum propter commodum amici nonnumquam negligendum: & vt amici necessitati opem feras, priuatum quandoque spernendum, maximè verò vbi fides, aut Dei honor periclitatur. Viam autem

vitam-

vitámque impiorum frequenter illos decipere; Hebræa autem sonant, iustum præstantiorem esse proximo suo iniusto, & quocũq. opulento & honorato, & hoc verum est, nihil enim iustitiâ præstantius exstat.

27. *Non inueniet fraudulentus lucrum. &c.* Ostenditur hic opes fraude partas non esse stabiles, vt stabiles esse solent, quæ iusto labore parantur, adeóque ex iustis laboribus viuendum, non ex rapinis. Hebræa in eundem sensum tendunt, verba tamen sunt diuersa. sonant enim: *Non aduret fraus*, hoc est, homo fraudulentus, *prædam suam, preciosæ diuitiæ hominis sollicitudo*, sensus est; vir fraudulentus non habiturus est quod edat, iustus autem iucundam vitam ducet, cunctisque necessariis affluet.

28. *In semita. &c.* Commendat viam vitamque iustorum, quod ducat ad vitam æternam; contra verò impiorum viam damnat, quia rectâ ducit ad mortem.

PARAPHRASTICA.

CAPITIS DECIMI TERTII EXPLANATIO.

1. *Filius sapiens, doctrina patris: qui autem illusor est, non audit cùm arguitur.*

FRuctus paternæ doctrinæ & institutionis est filius sapiens: neque enim filius melius aliunde sapientiam haurire potest, quam ex paterna institutione & eruditione, filius ergo qui paternam doctrinam sedulo audit, sapiens est, qui autem patris doctrinam & increpationem audire contemnit; neque, vt illi obtemperet, animũ inducit, illusor euadit, suâque insipientiâ vitam finit. Quod autem homo adultus salutaria monita auersatur, vel etiam ludibrio habet, hoc inde præcipuè prouenit, quod in minori ætate constitutus parentibus bene monentibus obsequi noluit, aut quod ob parentum secordiam & ignauiam nihil boni audiuit, aut didicit.

2. *De fructu oris sui homo satiabitur bonis, autem præuaricatorum iniquæ.*

VNusquisque de fructu oris sui hauriet bonum, anima autem præuaricatorum suâ pascetur iniquitate. Nam vt boni probique viri ob legitimum linguæ vsum consequuntur præmium, ita mali & improbi ob præposterum eiusdem membri vsum, promerentur supplicium

Per

Per bonum autem oris fructum, ſanam parentum vel Paſtorum doctrinam accipe; per malum vero prauam corruptamque Sectariorũ, vel improborum alioqui hominum inſtitutionem, vel quæcumque etiam improba, aut blaſphema dicta, de quibus proximâ ſententiâ denuo agitur.

3. Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum ſentiet mala.

NEque rem leuem eſſe exiſtimes liberas linguæ habenas permittere, aut nullam prorſus illius rationem habere; eſt enim res illa momenti longè maximi. Quandoquidem qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam, qui ergo animam pacatam, & à peccatorum ſordibus immunem vult obtinere, ille bonam linguæ ſuæ curam habeat; contra verò qui temerè labia ſua in orationem laxat, & quiduis indiſcriminatim oblatrat, ille & ſeipſum & alios quoque in magnas ſæpe difficultates coniicit, & in magna ſæpe mala propter eiusmodi iniuriam incurrit.

4. Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.

VVlt & non vult ignauus; nam quod modo illi placet, hoc paullò poſt eidem diſplicet, aut vult hoc, & non vult illud, quod ſano tamen iudicio præditus velle omnino debebat; exempli causâ, vult ſaluus fieri, nec vult tamen Dei præcepta obſeruare, deſiderat doctrinam, aut virtutem, aut rerum copiam, vel aliud quodcumque eiusmodi, neque vult tamen laborem ſubire, ceteráque media, quæ ad bona optata obtinenda ſunt neceſſaria, adhibere: multa ergo incaſſum deſiderat anima pigri; quia quod deſiderat, non conſequitur, adeóque incertis deſideriis perpetuo fertur & agitatur. At anima hominis ſedulo ſollicitéque operantis, bonis omnibus cumulatè repletur, diuinæque gratiæ dulcedine impinguatur. Nam quod de pigri ignauia & inconſtantia, & ſeduli labore & induſtria hoc loco dicitur, id non minus locum habet in æternis, quàm in caducis & temporariis. Nihil enim ſinè labore conſtat mortalibus.

5. Verbum mendax iustus detestabitur, impius autem confundit, & confundetur.

VT ij qui malè agunt, oderunt lucem tamquam prauis illorum operibus aduersam; ita iusti, qui lucis appellantur filij, oderunt omnes omnino peccatorum tenebras, maximè verò mendacium tàm in rebus quàm in verbis, & in ceteris omnibus; atque ita detestantur omnem hæresin & idololatriam, omnémque aliam doctrinam falsam vanumque sermonē. Porro autem impij ea subinde designant & perpetrant; quæ & ipsos, & alios quoque confundunt, pudoreque afficiunt, & propter quæ nihilo secius insigniter olim confundentur & erubescent.

6. Iustitia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorem supplantat.

IVstitia custodit perfectum viâ, nempè vitæ genere & conuersatione integrum, custodit autem variis modis, & à variis malis: prout homo variis viis & modis impugnari solet. Custodit enim illum à carnis illecebris, à dæmonis insidiis, à mundi vanitatibus, ab hominum imposturis, aliisque similibus. At verò impietas peccatorem euertit, vt cetera desint, quæ illum impugnant, trahitur enim impius suâ impietate ad omne vitium, & peccatum; neque est, quò huic impetui obsistat, nisi impietatem deserat.

7. Et quasi diues cùm nihil habeat, & est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.

CVm diuitiæ & paupertas non tàm ex re, quàm ex animo spectentur; sunt nonnulli, qui opulentiam prę se ferunt, seséque quasi diuites ostendant, cum re ipsâ tamen nihil habeant: siue quod eâ opinione se ipsos pascere; siue quod aliis fucum facere velint. Sunt rursum qui se pauperes prædicant & simulant, & tamen multas opes possident; siue hoc faciant, quod calumniam metuant, siue quod sumptibus parcere studeant. At quidquid sit de externis opibus, ille demum verè diues censendus est, qui iustus & sapiens est, quique suâ sorte contentus est, ille contra verè miser est, qui virtute & sapientiâ destitutus est, cuique id, quod habet, numquam satis est, sed animo plane inexsaturabili est, quod auarorum proprium est.

8. *Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ, qui autem pauper est, increpationem non sustinet.*

QVod sicui diuitiæ adsunt, ad hoc inter cetera prosunt, vt se suámque vitam in aliquo casu vel periculo constitutam redimant; nam diues qui propter flagitium aliquod designatum de vita periclitatur, potest iudices vel testes pecuniâ corrumpere; potest rursum potentes patronos comparare, quorum industriâ causam obtineat; potest denique cum partibus transigere, quorum nihil potest pauper. Quare citra aliam reprehensionem aut examinationem, si quid morte dignum admisit, in crucem statim agitur, vel alio mortis genere plectitur: vel certè pauper ob id nullam audit increpationem, nec vllam sustinet calumniam, quia cum nulla sit spes lucri, nemo illi litem aut calumniam intentat; diuites autem, quia habent quod dent, à multis impetuntur, & sæpenumero calumniam patiuntur; & leui de causa grauiter nonnumquam multantur.

9. *Lux iustorum lætificat, lucerna autem impiorum exstinguetur.*

LVx *iustorum*, hoc est, felix lætusque illorum successus atque prosperitas (quod sua natura iucũda sit) recreat, atq. exhilarat, multiplicaturq. subindè & crescit. At *Lucerna*, siue prosperitas *impiorum*, tametsi diuturnitatem aliquam promittere videatur, statim tamen veluti candela exstinguitur, & è medio facessit. Neque solum iustorum prosperitas lætificat, sed sancta quoque illorum vita, & sana eorundem doctrina, mirè quoque animos bene comparatos afficit. Vt enim sol ortu suo mundum exhilarat, sic integra iustorum vita sanos mortalium oculos mirificè recreat, & sana orthodoxáque illorum doctrina mundi tenebras & errores discutit. Hæreticorum autem & hypocritarum & paganorum lucerna, hoc est, vita atque doctrina, nil nisi fœtores & errores exhalat & fundit.

10. *Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio reguntur sapientia.*

INter superbos semper sunt lites, nec secus ferè fieri potest. Nam vbi nullus alteri vult cedere, vbi vnus alterum mordet & contemnit, vbi vnusquisque vult esse primus, nemo autem secundus aut vltimus, quomodo vera pax animorumque consensio & concordia ibi constare potest?

Vbi

Vbi autem pax nulla, animorum consensus nullus est, ibi lites & discordiæ sint necessum est. Quamobrem qui cum superbis versatur, nihil aliud quam rixari, aliosque contemnere discit: sicut è diuerso qui versatur cum sapientibus, quales sunt inter ceteros, qui nihil temerè, nihil præcipiti impetu aggrediuntur, aut agunt; sed omnia cum consilio & deliberatè, prudentes euadunt, matureque & cum consilio operari discunt.

11. *Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.*

DIuitiæ festinatæ, hoc est, festinatò & celeriter comparatæ, quales sunt, quæ per fraudem, vel imposturam, vel alias malas artes corraduntur, sensim diminuuntur, & tandem in nihilum rediguntur: neque enim malè parta diuturna esse solēt. At verò, quæ paulatim manuū labore & industriâ comparantur, non solum stabiles sunt, sed subinde quoque augentur & crescunt. Eapropter viro prudenti non tam spectandum est, quantum acquirat, quam quibus viis, modis, & artibus acquirat. Iniustè enim & inhonestè partæ non manent; iustè verò & paulatim partæ durant, & quod de opibus hic dicitur, hoc de honoribus, titulis, aliisque similibus dictū accipiatur, est enim par omnium ratio.

12. *Spes quæ defertur, affligit animam: lignum vitæ desiderium veniens.*

SPes aut res verius sperata plus nimio dilata vel prorogata affligit & excruciat animum, eumque præ incenso desiderio infirmum & languidum reddit; è diuerso res iam dudum ante desiderata, & tandem aliquando feliciter obtenta, deiectum desiderióque prostratum animum recreat, & veluti lignum vitæ viuificat. Qui igitur aliquid alicui promisit, statim si adest facultas soluat, ne vanâ spe exspectantis animum lactet, eaque ratione promissum beneficium in maleficium conuertat. Quædam sunt tamen, quæ maiori animi gustu & suauitate suscipiuntur; si non cito obueniant, sed diu ante & quidem auidè exspectata fuerant, eiusmodi sunt ferè bona cœlestia & spiritalia.

13. *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat qui autem timet præceptum, in pace versabitur.*

QVi rebus à Deo ordinatis, vel à maioribus piè religioseque institutis maledictâ linguâ detrahit, resque eiusmodi in contemtum adducere contendit, futuris suppliciis obnoxium se reddit. Pari modo qui Dei mandatum præuaricatus, proximo obloquitur, suaque detractione pacem inter coniunctos dissoluit, pœnæ reatu sese obstringit. Qui autem Dei præceptum veritus pacem cum Deo & proximo seruat, pace vtrobique, hoc est, hîc & in altera vita potietur. Idem illi obtinget, qui vt Dei præceptum seruet, rem interitui obnoxiam aspernatur: hunc sensum nostra editio offert. Hebræa sonant. Qui Dei verbum vel præceptum contemnit, quamuis in præsenti hac vita nihil inde incommodi præcipiat: eiusmodi tamen contemptus tandem in interitum illi cedet. Contra verò qui Deum timet & præceptum illius seruat, ampla mercede donabitur æternaque pace perfruetur.

Filio doloso nullum erit bonum, famulo autem sapienti prosperæ erunt operationes, & dirigentur viæ eius.

ETsi in politicis & humanis magnum inter filium & seruum interuallum interiectum sit, apud Deum tamen, apud quem non spectatur ortus, sed virtus, probus seruus malo præstat filio. Quamobrem filio doloso & improbo nihil obueniet boni, nihil succedet prosperè. Contra vero seruo iusto & sapienti omnia ex animi sententia succedent, omnesque viæ & actiones eius felici cursu ad finem tendent.

14. *Lex sapientis fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.*

LEx, institutio, & disciplina virorum sapientum sunt veluti fons vitæ: Nam vt è fonte dimanant aquæ, ad multos humanæ vitæ vsus necessariæ, ita ex sapientum pectore prodeunt salutaria vitæ morumque præcepta; & eius generis documenta, per quæ homo, si diligenter ea obseruauerit, mortis ruinam & pericula euadit. Nam si in humanæ sapientiæ præceptis instituti, facile vitę huius pericula declinant, quanto magis discrimina vitæ subterfugere poterunt, qui diuinæ legis præceptis imbuti sunt? eiusmodi autem prę cæteris legis Euangelicæ sunt præcepta. Christi enim lex, est vera illa aquarum viuentium vena, ex qua qui hauriunt, & carnis incen-

incendium exſtinguunt, & per vana mundi huius deſideria in perditionis foueam non trahuntur.

15. *Doctrina bona dabit gratiam, in itinere contemptorum vorago.*

DOctrina bona, qualem pij homines ex lege Chriſti, & ſapientum monumentis hauriunt, impertitur gratiam cum apud Deum, tum etiam apud homines; nihil eſt enim quod apud Deum & homines ita nos commendat, atque intelligentia, fides recta, & vita integra. Qui enim præditus eſt ingenio bono, ſapientiæque preceptis imbutus prudenter in omnibus ſe gerit, omnibusque accommodare ſe nouit, ille omnem gratiam facili negocio ſibi adiungit: porro via vitáque contemptorum, orthodoxæque veritatis deriſorum non tam aſpera, dura, & ſpinoſa eſt, quam mera quædam vorago, quippe quæ omnes, qui per illam gradiuntur, miſerè tandem abſorbeat, fœdaque morte obruat.

16. *Aſtutus omnia agit cum conſilio: qui autem fatuus eſt aperit ſtultitiam.*

QVisquis prudens eſt, omnia operatur cum prudentia & conſilio, certáque deliberatione, aut omnino nihil, eáque ratione ſuam prudentiam & ſapientiā oſtendit, omnēque, quam habet ſtultitiam, tegit; at ſtulti & fatui homines dictiſque & factis temerarij, ſtultitiam & fatuitatem ſuam omnibus patefaciunt.

17. *Nuntius impij cadet in malum: legatus autem fidelis, ſanitas.*

NVntius impius, hoc eſt, falſus & infidelis, qui legationis prouinciam mala fide obit, corruet in malum, nempè in interitum & perditionē. Idem continget legato impij hominis, qualis eſt qui impia vel improba mandata alicui committit. Verum legatus verax & fidelis fideli ſuâ legatione ſanitatem adfert; vel quia per delationes falſas abalienatos conciliat, vel quia candidè omnia, vt ſe habent, exponens, errores & ambiguitates è medio tollit. Conuenit hic locus præcipuè in veros falſosque diuini verbi miniſtros.

18. *Egeſtas & ignominia ei qui deſerit diſciplinam: qui autem acquieſcit arguenti, glorificabitur.*

QVi diſciplinam & increpationem aſpernantur, euadunt inopes, & contumelia operiuntur, contra verò qui æquo animo hęc admittunt, hono-

honorem & gloriam cum in hac, tum in altera quoque vita consequuntur. Iam si egestate & ignominiâ digni sunt illi, qui sapientũ monitis nõ acquiescunt, quanto magis illi, qui Dei legi, & increpationi, quas crebro in Scripturis proponit, obsistunt.

19. Desiderium si compleatur, delectat animam: detestantur stulti eos qui fugiunt mala.

REs diu auidè desiderata, tandem obtenta oblectat animam, spiritumq; qui præ desiderio ante languebat, refocillat: & hoc quidem in honestis est licitum, rationique consentaneum, secus in turpibus. At stulti (vt qui ea tantum, quæ ante pedes sunt, considerant) à voluptate, quæ obtigit, recedere non volunt; imò execrantur eos, qui à carnis illecebris, aliisque quæ vel dulcia vel vtilia iudicant, abducere illos contendunt, vel inde quoque pœnitudine ducti decedunt. Cupiunt enim omnes sibi similes habere, vel sanè stultis omnibus hoc commune est, vt à scelere vitæque turpitudine recedere detrectent, eosque ægre admodum ferant, qui vel verbo, vel exemplo ad eiusmodi recessum incitant.

20. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.

TAlis ferè vnusquilibet temporis lapsu euadit, quales sunt illi, quibus cum familiariter diu multumque agit. Quamobrem si quis cum sapiẽtibus graditur, familiaremque consuetudinem cum illis habuerit, euadet ipse quoque sapiens. Quod si verò cum stultis familiarem vsum habuerit, non modo stultitiæ labem ab illis cõtrahet; sed magnum quoque aliquod incommodum incurret, grauesque suæ stultitiæ pœnas aliquando luet.

21. Peccatores persequitur malum: & iustis retribuentur bona.

PEccatores excipient mala, hoc est, cruciatus & tormenta; quippe cum per diuinam iustititiam ita comparatum sit, vt nullum omnino peccatum maneat impunitum, neque vllum rursum bonum irremuneratum. Quare mox subditur: Iustis autem pro iustitiæ suæ qualitate & quantitate, retribuentur æternæ vitę præmia. Obseruent hunc locum qui potentiâ suâ freti quiduis audent, sibique impunè licere putant; tum illi quoque, qui nullam prorsus pœnam peccatis deberi sacrilegè oblaterant. Concipiant hinc quoque animum iusti, qui ita quandoque hic torquentur & affliguntur, quasi Deus illorum sit omnino oblitus.

22. *Bonus relinquit hæredes filios & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris.*

TAnta bonitatis & iustitiæ vis est, vt inter iustorum limites non consistat; sed energiam suam in illorum quoque posteritatem exserat, iniustorumque censum, malis præsertim artibus comparatum, ad se rapiat. Vir namque bonus & iustus, non suas tantum opes ad filios & nepotes, totamque posteritatem transmittit, & suas itidem virtutes animique & corporis dotes, verum impiorum quoque diuitias, veluti legitimus illarũ heres tandem adit. Nam cùm penes impios ipsos non consistant, nec in illorum posteros ordinariè transeãt, diuinâ prouidentiâ fit, vt ab ipsis tamquam iniustis hæredibus auferuntur, & in iustorum vsum conuertuntur, hæc tamen iniquorum pœna ad meritum potiùs referenda est, quàm ad ordinarium rei euentum.

23. *Multi cibi in noualibus patrum: & alijs congregantur absque iudicio.*

MVltus prouentus multaque annona & ciborum copia noualibus *Raschiim* hoc est, magnatũ vel pauperum (vtrumq. enim sonat vox Hebræa) inuenitur. Nam cum magnatibus pecuniæ suppetant, facultatem habent conducendi operas, ceteraque omnia, quę ad agrorum culturam censentur necessaria. Sunt rursum qui inediâ consumuntur, vel quod colendorum agrorum leges non teneant, vel quod ob nimiam inopiam præsidia ad noualium culturam necessaria comparare non valeant. Si autem vocẽ *Raschiim* ad pauperes referas, sensus est: Pauperum noualia, quæ prius inculta iacebant, multo illorum labore, multáque culturâ & industriâ ad eam fertilitatem paulatim adducuntur, vt copiosum fructum fundant. Interim sunt nonnulli inter illos, qui ob id pereunt, quod iudicio careant, partisque vti nesciant. Nam etsi labor plurimum omni iure valeat maximè verò in agricultura: attamen nisi adsit iudicium & industria, non sat sunt ad vindicandum hominem à famis periculo. Quod si vocabulum *Raschiim* cũ nostro interprete *Patrum* exponas, significatur filios ex patrũ maiorumque noualibus ciborum affluentiam percipere, potissimum si illorum vestigiis insistant, laborúmque eorumdem exempla æmulentur. Siquidem cibus ita comparatus diuinâ benedictione augetur, & conseruatur. Verùm annona, quæ à nonnullis iniustè paratur, quod debito cum iudicio, iustóque modo parata non sit, cito perit, neque stabilis consistit.

24. *Qui*

24. *Qui parcit virgæ, odit filium suum, qui autem diligit illum, instanter erudit.*

ETsi nimia parentum in filios seueritas non commendanda sit; attamen magis obest illis nimia indulgentia, quam nimia seueritas: imò nimia indulgentia innumeros perdit. Quamobrem si parentes filios ad officium compellere verbis non possint, verbera adhibeant oportet. Qui enim virgę parcit, cum ea vtendum est, non amat filium, sed odit, imò vero qui paterno animo filium prosequitur, non semel aut iterum illum erudit & castigat, sed instanter, hoc est crebrò & tempestiuè illud facit.

25. *Iustus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.*

IVstus vsque ad animæ satietatem comedit, quia nihil prorsus illi deest, quod ad honestam vitæ sustentationem sit necessarium, affluit enim necessariis omnibus. Impius contra rebus omnibus necessariis destitutus, nihil habet reliquũ, nisi vt egregiè esuriat, inediáq. tabescat. Nõ accidit sanè secundum rei euentum hoc semper, imo sæpe oppositum vsu venit, iusti enim sæpenumerò esuriunt, & impii affluunt, verum secundum meritum, & in altero sęculo semper, sed & auaritia quoque ad impietatem accedens, vt sæpe illi adiuncta est, impium insatiabilem efficit. Tam enim deest, auaro quod habet, quam quod non habet, iustus autem sua sorte etiamsi tenuis admodum sit, contentus viuit, & Deo gratias agit. Ast impij venter eatenus quoque insatiabilis, quatenus gula illius numquam expletur, sed desiderio semper in hoc & illud, & iterum in aliud & aliud escæ genus fertur.

AD

CAPVT DECIMVM TERTIVM

SCHOLIVM.

1. *Filius sapiens. &c.* Opponuntur hic filij sapientes filiis illusoribus, simulque officij admonentur filij & parentes; hi vt filios peccantes castigent, rudesque diligenter instituant: isti vt fideliter obediant, effectus paternæ institutionis est filius sapiens, inobedientiæ autem fructus, est filius illusor.

2. De

2. *De fructu oris. &c.* Sensus loci huius est idem prorsus cùm sententia vers. xiv. Capitis xij. nempè vnumquemque præmium vel supplicium accepturum, pro vt lingua sua benè malèue vsus fuerit, hoc est, benè vel male docuerit vel dixerit.

3. *Qui custodit. &c.* Hæc est elegans & saluberrima doctrina, qua admonemur tanta mala per linguam in animam egredi & ingredi; vt is demum animam suam ab omni malo custodire valeat, qui linguam suam custodit ab omni vitio, & verborum superfluitate: rursum non posse in grauia mala non incidere, qui quiduis temere non dubitat effutire.

4. *Vult, & non vult piger. &c.* Hic versus ostendit hominem industriũ laborémque assiduum multum posse, otium autem & pigritiam multorũ malorum & miseriarum causam esse, idque non solum in temporalibus, verum etiam in spiritualibus. Ceterum quod nos legimus, *Vult & non vult piger*, Hebræi legunt: *Desiderat anima pigri & non est*: hoc est, non fit voti compos, adeóque perpetuo fluctuat; vult sanè, aut, vt rectius dicam, vellet sanè, scientiam, iustitiam, vel quamcumque aliam virtutem, verùm cum considerat hæc sine labore constare non posse; iterum non vult, quia non vult cum isto onere, & sic simpliciter non vult.

5. *Verbum mendax. &c.* Vnusquisque id amare solet, quod suæ naturæ vel statui, vel conditioni est consentaneum; & odit oppositum. Quia ergo iustus vt talis, verax est, odio habet mendacium & falsitatem tam in verbis, quam in ceteris omnibus, impius autem se suosque sectatores confundit, pudoréque afficit & vt quosuis confundat, sæpè contendit. Verum ipse quoque confusionis exsors non erit; si non in hac vita, in altera certè.

6. *Iustitiam custodit. &c.* Docet iustitiam insontis perfectæque vitæ hominem ab omni incommodo liberare, impietatem autem impiũ ipsum euertere vt cetera desint, quæ ipsum oppugnent.

7. *Est quasi diues. &c.* Insinuat opum quantitatem magis pendere ex diuitis animo, quàm ex rei natura. Insinuat æquè quorumdam diuitum & auarorum miseriam: sunt hi enim perinde famelici, ac si nihil prorsus haberent; vel opum quoque inconstantiam. Qui enim hodie diues est, cras sæpe mendicus est, & vice versâ.

8. *Redemptio animæ viri. &c.* Opponit diuitem & pauperem, copiæ rursum & inopiæ commoda & incommoda. Diues calamitate aliquâ externâ pressus facile se inde expedit; pauper autem ne auditur quidem, si causam suam agere velit; neque vllum facile inuenit Patronum.

9. *Lux iustorum, &c.* Lucis nomine varia designantur. Nam & iusti doctrina, & posteritas, & prosperitas, & multa potentia aliaque eiusmodi *Lux* dicitur, quæ omnia in hunc locum quadrant, eadem latitudine patet nomen *Lucerna.* Lux proinde & prosperitas iustorum & impiorum differunt, horum enim ad tempus tantum lucet & floret, deinde exstinguitur; illorum vero magis magisque semper emicat & splendet. Per lucem quoque accipere possumus hoc loco sanam iustorum doctrinam, per lucernam autem fœdam hæreticorum hypocrisin, contaminatámque eorundem doctrinam.

10. *Inter superbos, &c.* Opponitur hic superbia consilio, & superbus viro prudenti consilio vtenti. Vocat enim illum prudentem, qui omnia agit cum consilio & maturè; superbum autem qui temerè & indeliberatè (quasi ceteris omnibus rectius sentiat) quiduis aggreditur. Inter superbos autem ob id semper pugna & lis est, quia nemo alteri vult cedere.

11. *Substantia festinata, &c.* Significatur per hæc diuitias per fraudem & malas artes, vel cum aliorum iniuria partas instabiles esse, citóque dilabi: contra vero quæ manuum opere & iustè comparantur & stabiles esse & subindè incrementum accipere.

12. *Spes quæ differtur, &c.* Per spem & desiderium significatur hic res, quæ speratur, vel desideratur ea: enim est, quæ quidem cruciat, si cito non obuenit, recreat autem si tandem aliquando obtenta fuerit. Opponuntur hic enim *Cruciare*, & *recreare cor.* Monemur hic quod promissum est, cito præstandum, si facultas adsit.

13. *Qui detrahit, &c.* Habent hæc nonnihil obscuritatis proter voces Hebræas ambiguas; hæ autem offerunt eiusmodi sensum: Qui verbum Dei eiusdémque mandatum pro nihilo ducit, interitus causam propter contemptum sibi adsciscit, contra verò qui Deum timet, mandatáque eiusdem seruat, mercedem accipiet, pacéque æternâ perfruetur. Vulgata autem editio innuit pœnæ obnoxium futurum, qui res sacras à Deo vel Ecclesia institutas contemnit, vel iis detrahit; aut Dei legem prætergressus proximo obloquitur, vel pacem inter amicos soluit, eum futuris suppliciis sese obligare. Contra vero qui cum Deo & proximo pacem seruat, mercede, veraque pace potiturum.

Filio doloso, &c. Versus hic in Contextu Hebræo & emẽdatis Codicibus Latinis non habetur. Opponit autem filium improbum & dolosum seruo sapienti & frugi: significatur per hunc autem ingenuis suam ingenuitatem & nobilitatem nihil prodesse si improbi fuerint; seruo autem prudenti servilem conditionem nihil obesse.

14. *Lex sapientis, &c.* Per sapientis legem non humanam sed cœlestem sapientiam accipit, quàm rectè appellat vitæ fontem, quia ex ea vita proscaturit (sicut ex fonte aqua) obseruata probeque exculta liberat à morte & omni malo.

15. *Doctrina bona, &c.* Exponit quid inter bonam & malam doctrinã intersit; inter eos rursum, qui bonam & malam doctrinam sectantur. Etenim bona apud Deum & hominem promeretur gratiam & fauorem, prodestque tam docenti quàm discenti. Mala autem parit mortem, præcipitatque in interitus voraginem. Hebręa eodem tendunt, verbis tamẽ non nihil differunt; sonant enim: intelligentia indolesque bona conciliat gratiam, via autem præuaricatorum est dura.

16. *Astutus omnia agit, &c.* Similia iam ante exposita sunt non semel. Monemur per hæc autem prudentes omnia agere cum consilio, fatuos autem nihil non temere, adeóque stultitiam suam nusquam non prodere.

17. *Nuncius impius, &c.* Committitur hic legatus fidelis, cum infideli, fidus cum perfido, hic propter suam infidelitatem corruit in mortem & interitum; vt qui aliis mortis vel interitus causa exstiterit; ille autem & sibi & aliis adfert sanitatem, salutaremque medicinam. Si legatur *Nuncius impij*, Vt quædam exemplaria habent; significat in mortem ruiturum, suáq, spe frustratum iri illum, qui impiamandat, vel ab impio ad aliquid præstandum mandatur. Monemur per hæc autem legationes non quibusvis citra delectum mandandas esse, neque quosvis ad secreta consilia admittendos, sed fidos & idoneos tantum.

18. *Egestas & ignauia, &c.* Committitur hic disciplinæ desertor vel contemptor, cum sedulo disciplinæ sectatore; quà de re plura iam ante sunt dicta. Desertores euadunt pauperes & dedecorosi; sectatores autem disciplinæ apud Deum & homines gloriosi, & in bonis spiritalibus opulenti.

19. *Desiderium si. &c.* Loci huius posterius membrum cum priori non satis videtur cohærere, nisi in hunc modum exponas. Res desiderata si obtingat, oblectat animam. Quare stulti qui carnis illecebris & voluptatibus oblectantur; si illis forte potiantur, nolunt deserere, imo detestantur tam eos, qui inde recedunt tamquam sibi dissimiles, quàm eos quoque, qui ad recessum impellunt. Verum quod vox *Hauath* inter cetera *frangi* quoque significet, & non tantum *fieri*, potest ad hunc quoque modum exponi: sapiens gaudet, non cùm prauum eius desiderium fit, sed cum illud frangitur vel impeditur: stulti autem à malo opere vel desiderio recedere detestabile ducunt, quia sua desideria frangi nolunt.

20. *Qui cum sapientibus. &c.* Docetur hic paucis talem vnumquemlibet esse solere sensimque euadere, qualis is est, cum quo consuetudinem habet. Quare qui cum sapiẽtibus versatur, sapiens, & qui cũ stultis, stultus efficitur; adeóque cum stultis punietur & conteretur. Habet hoc autem in spiritalibus locum præcipuè.

21. *Peccatores persequetur. &c.* Docetur hic nullum malum manere impunitum, vel vllum rursum bonum irremuneratum. Nam licet peccata in neutra vita punirentur, vt in alterutra perpetuò puniũtur, attamen conscientiam vulnerant semper; per malum autem designatur hic malũ pœnæ præcipuè, per bonum autem præmium virtutibus debitum.

22. *Bonus relinquit. &c.* Hæc promissio ad vetus Testamentum potissimum spectat; ibi enim vigebat diuturna vita, seraque posteritas; & vetus ille populus Cananæorum terram occupabat, sicut hoc tempore Christiani spiritalia Iudæorum bona. Docetur hic quoque iustitiam iusti non ipsi solùm prodesse, sed suæ quoque posteritati, diuersumque bonos & malos exitum sortiri; quia horum posteritas cito exstinguitur, illorum continuâ successione immortalis redditur; horum rursum opes parum diu subsistũt; vel enim pereunt, vel ad iustos transeunt: illorum porro stabiles manẽt, & de generatione in generationem transfunduntur, idque cum augmento.

23. *Multi cibi. &c.* Locus hic subobscurus est ob vocis *Raschijm* ambiguitatem: hæc enim significat pauperes, magnates, & patres. Quare alij reddunt; *Multus cibus, vel magna rerum copia est in agro pauperum*: alij, *In prædijs magnatum*: alij, *In noualibus patrum*. Sequens membrum æquè obscurum est, ad verbum sonat. *Et est qui perit, vel consumitur, eò quod ipsi non constet agricolandi ius vel lex, agriue colendi peritia.* Iuxta hũc igitur sensum agricultura hic commẽdatur & labor rusticanus, & reliquæ honestæ artes. Chaldæa

sonant

sonāt: *Est qui præter ius vel citra iudiciū mortem oppetat.* Porro autem siue primum membrū vertas: *Multi cibi sunt in noualibus patrum* vel *principum*, siue *in agris pauperum* parum refert, nam & pauperes labore & industriâ agros incultos & steriles reddunt vberes cultosque; & filij rursum vel posteri, si patrum vel maiorum vestigiis insistant, multum cibi ex agris ab illis relictis colligunt. Quod ad secundum membrum; quidam ita reddunt: *Sunt qui pereant frustráque colligant, eò quod sine iudicio colligant; vel iniustè colligant, vel qui ex bonis noualibus nihil percipiant, quod agriculturam ignorent.* Sēsu mystico: Multos salutares cibos & fructus ex Patrū operibus & monumentis capiunt, qui cum iudicio, & delectu illa legunt; mortem contra & venenum inde hauriunt, qui sine iudicio legunt.

24. *Qui parcit virgæ. &c.* Admonentur hoc versu officij sui parentes, etiam si verba, cum quibus primò rem tentare debent, ad filiorum insolentiam coercendam sat non sunt, verbera verbis addant necessum est. Est enim istud non odij, sed caritatis argumentum, debentque non semel aut iterum illud facere, sed assiduo & instanter.

25. *Iustus comedit. &c.* Confert hic ventrem iusti, cum impij ventre; hūc insaturabilem pronunciat, illum facile explebilem; quia iustus bonorum copiâ abundat; impius autem inops, quo se satiet non habet. Insinuatur hic quoque auaros numquam expleri, iustos autem suâ sorte contentos esse, etsiamsi modica sit, per ventrē autem significatur hic appetitus, qui in malis infinitus est.

PARAPHRASTICA.

CAPITIS DECIMIQVARTI EXPLANATIO.

1. *Sapiens mulier ædificat domum suam: insipiens exstructam quoque manibus destruet.*

NOn modo viris patribusque familias sapientia est necessaria, quo munere suo ritè fungantur, verum etiam mulieribus matribusque familias. Nam vt sapiēs & cordata mulier domum ædificat, hoc est, totam familiam magnâ industriâ & prouidentiâ gubernat, cunctáque quæ ad rei familiaris curam & procurationem pertinēt, prudenter ordinat; & nihil

nihil tandem ex iis omnibus, quæ ad honestæ & sedulæ matrisfamilias officium spectant, prætermittit; ita e diuerso mulier fatua & insipiens domum exstructam manibus suis, hoc est, prauis operibus pessimisq. vitæ exemplis euertit & destruit. Nam dum opes nec auget nec conseruat, nec vllam omnino rei familiaris curam habet; imo verò luxuriosè illam dilapidat, aliud nihil facere videtur, quam propriis manibus illam euertere.

2. *Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via.*

QVI Deum & Dominum timet, eiusdemque mandata & legem seruat is recto itinere ambulat, rectumque & iustum vitæ institutum tenet non declinans, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Contra verò qui obliquè tortuoséque graditur, viásque suas peruertit, is Dominum despicit eiusque mandata pro nihilo ducit; neque vllam omnino honestæ vitæ rationem habet; neque Dominum tantum eiusmodi homo contemnit; sed eos etiam qui illum timent, colunt & reuerentur.

3. *In ore stulti virga superbiæ: labia autem sapientum custodiunt eos.*

IN ore stulti est virga superbiæ, lingua nimirum procax, arrogans, & superba: cuiusmodi præ ceteris est illa, quæ magna & superba loquitur, contraque omnes se erigit, maximè verò contra eos, quos odio prosequitur. Et quamuis improbus vel impius quispiam viribus imbecillis sit; attamen lingua veluti baculo sese defendit, aliosque conuitiis impetit; imò se ipsum quoque nonnumquã illâ ferit. Nam cum multa stultè & superbé effutiat, fit vt pœnarum meritum sæpe sibi adsciscat. Verum sapientum labia contra stultorum linguam se rursum muniunt, seque & alios ab illorum insolentia fortiter defendunt, dántque operam sedulam ne quid dicant, quod à vera sapientia dissideat, aut de quo Deo rationem reddere non queant.

4. *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est: vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.*

VBI non sunt boues, vbi horrea & præsepia sunt vacua, triticoque & hordeo destituta. Nam vbi desunt validi boues, ibi agri pro dignitate coli non possunt; vbi autem agrorum cultura deest, ibi parum aut nihil

prouenit

prouenit, quo horrea vel præsepia impleri queant; atque ita manet vacua & quasi scopis mundata: vbi autem plurimæ sunt segetes, magnusque fructuum & frugum omnis generis prouentus, ibi manifesta est bouis fortitudo. Siquidem frugum copia à boum robore & fortitudine prouenit. quod de bobus hic dicitur, hoc totum ad illud referri protest, quod sine certo ministerio constare nequit. Quid enim esset Ecclesia sine idoneis pastoribus: Respublica sine magistratibus, iudicibus, assessoribus: scholæ sine eruditis magistris & doctoribus? & sic de reliquis.

5. *Testis fidelis non mentietur: profert autem mendacium dolosus testis.*

TEstis fidelis, qui ab incunabilis veritati astipulari consueuit, neque in paruis, neque in magnis, neque in sacris neque in profanis, neque in suum, neque aliorum commodum vmquam mentitur. Siquidem qui in paruis, vel profanis, vel propter suum emolumentũ mentiri didicit, ille in magnis & sacris quoque fidem non seruabit; verum qui mentiri, tametsi in leuibus, aut fraudem facere solitus est, is leui de causa mendacium profert, adeóue non satis idoneus est, cui vlla fides habeatur etiam in grauibus, aut in magni alioqui momenti rebus. Qui ergo testis fidelis esse & haberi desiderat, numquam mentiatur caueat. Ceterum cum mendacium omnibus in rebus sit detestandum, tum in publicis concionibus & iudiciis maximè, nam in iis mentiri grauissimum est.

6. *Quærit derisor sapientiam, & non inuenit: doctrina prudentium facilis.*

QVærit veritatis contemptor, veræque sapientiæ derisor (qualis est omnis omnino hæreticus, Iudæus, Paganus, tum reliqui omnes, qui vitam à sapientia Christiana alienam ducunt, semperque iam inde à prima ætate duxerunt) Dei sapientiam, non inuenit; tum quia illa indignũ se reddidit, tum maxime quia ibi illam quærit vbi inueniri omnino non potest; nempe extra Dei Ecclesiam cœtumque fidelium, & sapientum scholam. At verò prudenti & intelligenti, cuiusmodi est qui à teneris annis scientiæ & sapientiæ animũ addictũ habuit, vitiáque & nugas à sapientia alienas studiosè vitauit, sapientiæ doctrina inuentu perfacilis est; siquidem pij commodè à piis doctoribus propositam & traditam facili labore hauriunt.

7. *Vade contra virum stultum, & nescit labia prudentiæ.*

ABscede procul à viro stulto, neque vnquam accesseris ad illum; neq. cum eo familiaritatem vllam habueris; & procul rursum ab omni homine te seiunge, quem neque scientiæ, neque sapientiæ labia habere; sed sensu, mente, & ore stolidum esse cognoueris: siquidem aliud nihil nisi ineptiam, & stultitiam ab illo disces. Nam vt ex spinis non colliguntur ficus; ita ex stultis qui Deum ignorant, Dei scientia, rectéque viuendi ratio non hauritur. Quod si de quopiam stultus ne sit an sapiens dubitaueris, dissimula sapientiam & comprime labia prudentię, hoc est, te nihil scire simula & statim cognosces quis stultus sit: tuo namque silentio loquendi ansam illi offeres; ex sermone autem illius facilè qualis sit deprehendes,

8. *Sapientia callidi est intelligere viam suam & imprudentia stultorum errãs.*

VIri prudentis & callidi est cognoscere vias suas, vitęque suæ rationes benè exploratas habere. Siquidem probè se ipsum nosse, vitæque mores rite componere, & omnes vitæ actiones in legitimum finem dirigere, non vulgaris sapientiæ argumentum est. Ceterum vt is sapiens meritò habetur, qui vitæ suę rationes prudenter nouit moderari & instituere, ita iure stultus ille censetur, qui totum conatum, omnemque prudentiam, si quam habet, huc conuertit, vt alios decipiat, doloque circumueniat, & in errorem abducat. Quod studium sectariorum est proprium; sed apprime insanum & stultum. Quid enim stultius quàm se ipsum perdere, vt alios perimas?

9. *Stultus illudet peccatum, & inter iustos morabitur gratia.*

STultus (qui idem est apud Salomonẽ cum impio & iniquo) ridet peccatum suum, gaudent enim impij cum malè fecerint, neque suum tantùm peccatum pro nihilo habet stultus, sed alterius quoque subsannat. etenim si quem in delictum aliquod cecidisse animaduertit, statim in vulgus illud disseminat, mireque exaggerat; nec prius finem facit, quam alium si potest, infamem reddit. Verùm inter iustos non moratur ea nocendi libido, aut insanum illud delationis studium, sed gratia, & caritas, & beneuolentia. Quamobrem siqui sunt, qui in peccatum vel erratum aliquod inciderint, iusti studiosè illud tegunt, benigneque interpretantur; prout

pru-

prudentes benéque affecti omnia in partem bonam trahunt, quæ apertè mala non sunt; contra stulti & iniqui omnia in malam transferunt.

10. *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus.*

VNiuscuiusque cor, vt solum secreti sui doloris & ægritudinis conscium est, (siquidem externa iudicia ad internum animi statum certò dignoscendùm sat non sunt; nam & mæsti interdum se lætos fingunt, & læti rursum nonnumquam se mæstos simulant) ita solum quoque interni sui gaudij gnarum, veréque particeps est; neque extraneus vllus quidquã cum interna illius lætitia commune habet. Pari modo si animus interno mærore verè saucius est, nullis solatijs, quæ extrinsecus adferuntur, sanari facile potest. Dolor namque altum cordi infixus, externis blandimentis non temere mitigatur; externa enim infirmiora sunt, quam vt interna animi vulnera profligare queant.

11. *Domus impiorum delebitur, tabernacula iustorum germinabunt.*

DOmus impiorum eorumdemque posteritas non diu incolumes subsistunt, sed cito è terra hominumque memoria tolluntur. Quandoquidem cum tam ipsi quàm tota illorum familia nullum habeant virtutum præsidium, nec aliquid laude dignum designent vnquam, fit vt post mortem nihil reliquum illis fiat, in quo aliquatenus viuant; at iustorum tabernacula semper germinant. Moriuntur sane ipsi etiam iusti; verum non delentur, sed hinc ad meliorem vitam transferuntur: interea autem temporis bonis operibus semper florent & germinant. Quin post mortem quoque in sua adhuc posteritate florent & virent, quorum omnium nihil contingit impijs.

12. *Est via, quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem.*

EST quoddam vitæ genus, quod homini videtur rectum & sanum, quia aliquem virtutis & honestatis splendorem præ se fert; & tamen sua natura neque sanum, neque rectum est; siquidem exitus illius ducit ad animi & corporis mortem. In eiusmodi vitæ genere constituti sunt miseri & occæcati Iudæi & hæretici: nam cum certo persuasum habeant se recté tendere ad superos, rectâ feruntur ad inferos: tum omnes illi presertim,

qui laborant vitiis cum veris virtutibus aliquam cognationē habentibus. Manifesta enim peccata nulli videntur recta. Sic vita omnibus delitiis & diuitiis affluens multis videtur recta, quia est iucunda & curis vacua; & tamen non est eiusmodi. Multi enim in bonis ducunt dies suos, & in puncto ad inferos descendunt. Vna recta & certa est via, nempe obseruatio mandatorum Dei ad finem vsque vitæ perducta.

13. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.*

NE effusius, quam par est, læteris; sed risus tuus, tuáque lætitia impendentium malorum & ægritudinum metu & dolore temperetur. Siquidem nullum sęculi huius gaudium est solidum, nullum purum; semper enim aliquid ægritudinis admixtum habet; nullum diuturnum, nullum certum. Quæ hodie fausta lætáque videntur, cras vertuntur in luctum, imò extrema gaudii luctus plerumque excipit, nempe mors, & ea, quæ cum morte sunt connexa, quod maximè ij homines obseruare deberent, qui totam pœne vitam in carnis delitiis, comessationibus, ebrietatibus, voluptatibus, aliisque similibus sine vlla pœnitentiæ cogitatione transigunt. Cor itaque, etiam dum ridet, doleat, & nouissima recolat.

14. *Viis suis replebitur stultus, & super eum erit vir bonus.*

STultus, qui cor suum à via recta auertit; & ad eam quæ sibi recta videtur, cum tamen obliqua sit, conuertit, aliquādo viis suis, hoc est, studiis, quæ perperam sectatus erat, vsque ad tædium & nauseam saturabitur; quando nimirum risus & gaudium illius vertentur in luctum. Quod tum demum futurum est, cum pro meritorum suorum ratione sempiterni ignis suppliciis iustè mancipabitur. At vir bonus & iustus plus illo recepturus est. Siquidem corona iustitiæ iniustam vindictam excedere plerumque solet. Deus namque pro sua clementia plectit sontes infra meritum; coronat autem iustos supra illorum meritum: vt iustus à stulto in altera vita segregatur, ita in hac quoque vita ab illius via & consuetudine se auertit, & auertere meritò debet; ne illius consortio polluatur, & communi tandem supplicio cum eo inuoluatur.

15. *Innocens credit omni verbo, astutus considerat gressus suos.*

HOmo rudis, simplex, & indoctus temerè credit omni verbo, quod vtique & stultum, & admodum quoque periculosum est. Nam vt peruersi

peruersi obstinatique animi est compertæ veritati studiosè resistere; ita nimiæ simplicitatis & temeritatis est, quibuslibet fabulis vel rumoribus, aut quorum libet hominum dictis fidem habere. Nimia credulitas parit actionum & consiliorum inconstantiam, quippe cum de eadem prorsus re diuersa sæpe exponantur. Verum vir prudens & callidus prudenter considerat motus animi, gressúsque suos, neque omni statim verbo credit; sed quid cum Dei lege rectáue ratione cõsentiat, quid rursum ab illis dissideat, prudenter expendit, adeoque in omnibus actionibus suis maturè procedit, prudentérque se gerit.

16. *Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit & confidit.*

CVM omnia plena sint periculis & insidiis, sapiens necubi impingat, aut irretiatur timet. Intelligit enim non tantum magna doctrina & experientia opus esse; vt quis malum omne, quod hinc inde imminet, euadat; sed magna quoque cautione & timore. Nam qui timoris expers viuit, à malo non recedit, adeoque facili negotio de vno incommodo, in aliud incidit. Sapiens itaque timet & peccandi occasiones vitat, stultus contra temere quiduis adoritur, ægréque fert, & quasi incenditur, si quis illius temeritati aduersatur, aut ab incœpto eum auertere conatur. Suo enim iudicio suisque viribus fisus, existimat quiduis feliciter conficere se posse, nullumque ex opere suo incommodum consecuturum esse.

17. *Impatiens operabitur stultitiam: & vir versutus odiosus est.*

IMpatiens & ad frænandam iram impotens, multa stulta & insana designat; quorum, vbi ad sanam sedatámque mentem denuo redierit, miserè ipsum pænitet; atque hoc cum per quotidiana experimenta certò constet, alia probatione non indiget: credi enim vix potest ad quanta mala incensa ira multos impulerit, quantoque dolore & incommodo auctores suos sæpe affecerit. Vir autem versutus & cogitabundus (cuiusmodi est ille, qui semper cogitat & deliberat, neque seriò aliquid tentat: tum ille rursum, qui animo semper versat, quo modo proximo damnum inferat, irâque dissimulatâ lædendi opportunitatem assiduo captat) iure meritoque exosus habetur: nam etsi vterque malus sit, & qui citò irascitur, & qui iram callidè dissimulat, vt acrius postea puniat, hic tamen illo multò perniciosior est: hic enim peccat ex mera malitia; ille ex infirmitate. Ira enim adimit iudicium.

18. *Possidebunt paruuli stultitiam, & expectabunt astuti scientiam.*

SEnsu paruuli, rudes itidem & imperiti stultitiam, veluti hæreditario iure sibi debitam possident: quia mordicus illi adhærent; neque cogitationem aliquam de ea dimittenda suscipiunt, cùm aliud tamen nihil inde, nisi probrum & dedecus reportent. Prudentes autem & astuti nihil æquè auidè complectuntur atque scientiam: norunt enim illam verum & solidum hominis bonum esse; in quà proinde magnum illius ornamentum & præsidium est positum. Nec enim secus scientia hominem totum exornat, atque corona caput. Est autem de Dei rerumque cœlestium notitia verius hîc sermo, quàm de rerum naturalium scientia, quàmuis hæc quoque sua ornamenta adferat.

19. *Iacebunt mali ante bonos: & impii ante portas iustorum.*

MAli & improbi suò tempore ante bonos prostrati iacebunt homineśque impii ante iustorum portas sese abiicient & opem illorum expetent. Fiet hoc autem quando iusti stabunt in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt; nisi forsan ante mortem ad sanam mentem reuersi, impietatem & superbiam suam agnouerint, agnitamque detestati, & iniuriam, quam iustis intulerant deprecati fuerint. Improbi enim & superbi iustos opprimere, variisque iniuriis afficere solent, sed Dei prouidentia fit, vt tales nonnumquamque ita humilientur, vt ad eorum quoque auxilium implorandũ ire compellantur, quòs ante deriserant, & tantum non oppresserant.

20. *Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici verò diuitum multi.*

GRaue sanè onus est paupertas, duráque pauperum conditio; vt qui vix vllos in hac vita fidos patronos inueniant, ab omnibus autem negligantur & contemnantur, & ab amicis & sanguine iunctis; diuites contra ab omnibus honorantur, magníque fiunt etiam ab exteris: multosque vbique amicos, & asseclas, & laudatores numerant, verum hæc disparitas non prouenit ex natura rei, sed ex prępostero hominum iudicio. Hi enim sunt, qui magis spectant rerum copiam & abundantiam, quàm naturam humanam; fortunam quàm virtutem; opulentiam quàm scientiam.

21. *Qui*

21. *Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit.*

VErum quicumque proximum propter paupertatem aspernantur, aut in necessitate deserunt, aut qualicumque iniuria afficiunt, non impune illud ferent. Nam qui fratrem ob inopiam, aut aliam miseriam despicit, citra controuersiam in caritatis legem committit, suique peccati pœnas quandoque luet. Proximi autem nomine eos omnes hîc accipe; de quibus bene mereri possumus, aut à quo beneficium aliquod accipere valemus. Sunt enim varij tituli propinquitatis, Proximique vocabulum patet latissimè. Contra verò qui pauperis miseretur beatus est, quia Deus vicissim miserebitur illius. *Beati* enim *misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur.* Neque enim exiguum caritatis opus est eum, qui ab omnibus contemnitur, & quasi calcatur, etiam a propriis amicis, iuuare & subleuare.

22. *Errant qui operantur malum: misericordia & veritas præparant bona.*

ERrant qui studio machinantur quodcumque malum. Siquidem in malum vel peccatum aliquod incidere, hoc humanæ est fragilitatis, verum de industria malum patrare, vel alicui inferre, id demum apertæ est nequitiæ. Quare sæpe eiusmodi mala in illorum capita recidunt, neq. misericordiam facile consequuntur. At vero qui veritati & operibus misericordiæ student, illis ea præparantur bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Vehementer proinde errant, qui datâ operâ peccatis sunt addicti, quod omnibus tamen iis est peculiare.

23. *In omni opere bono erit abundantia: vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.*

NON qui dicunt, sed qui faciunt: neque enim garrulitate comparantur opes, sed labore & industria. Quæuis namque ars honesta iustè sedulóque exercita, victui necessaria subministrare nata est, habétque studium hoc non solum in rebus caducis & temporariis locum, verum in cœlestibus & spiritalibus quoque: *Non omnis*, inquiebat Christus, *qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem patris mei, qui est in cœlis.*

24. *Corona sapientum, diuitiæ eorum: fatuitas stultorum imprudentia.*

DIuitiæ si prudenter illis vtaris, legitimèque pares, non sunt malæ; sed bonæ, & ad multas res salutares; imò sunt magnum virorum sapientum ornamentum, & ad magna quædam præstanda perutile instrumentum. Siquidem sapientia in homine abiecto & paupere non ita est conspicua, sicut in diuite; nam in viro potente & opulento tamquam in digno possessore admirationi est; in pannoso autem & inope contemni sæpe solet. Verum cum stultorum stultitia longe aliter res habet: stulti enim externis opibus non ornantur, sed grauantur (quippe qui eò euadunt stultiores quo pluribus affluunt) quandoquidem habent maiorem ostentandi & manifestandi suam stultitiã & fatuitatem facultatem; maxima autem stultorum stultitia est, in præsentia tantum oculum defixum habere, de futuris autem nullam cogitationem suscipere.

25. *Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia versipellis.*

TEstis verax & fidelis suo fideli veracíque testimonio liberat à periculo vitæ; testis autem versipellis & mendax mendaci linguâ insontes occidit, & in varia incommoda coniicit. Quam multi falsis testimoniis oppressi vitâ priuantur? quam multi eâdem fraude circumuenti, omnibus fortunis exuuntur? quam multi indelebilem infamiæ notam hinc passim incurrunt? Habet autem ea falsitas, & quæ inde nascitur, pernicies locum non tantum in politicis, verum etiam in spiritalibus. Verè falsi testes sunt hæretici & omnes pseudodidascali: contra autem verè fideles & veraces testes sunt orthodoxi & Catholici Pastores. hi enim saluant animas; illi vero perimunt & perdunt.

26. *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit spes.*

VT diuitiæ cum timore Domini multum possunt, citra illum autem parum præsidii adferunt: ita fortitudo quoque & potentia si timorem Domini comitem habuerint, multum valent, sine illo autem nihil aut parum præstant. Robustus enim vt maximè viribus valeat, multo plus tamen spei & fiduciæ collocare debet in timore & auxilio Domini, quam in viribus suis. Nec solum fortibus ipsis timor Domini est munimentum, certæque fiduciæ firmamentum, sed ipsorum quoque posteritati. Nam parentum quoque merita in filios & nepotes, vt ex vtroque Testamento manifestum est, sæpe redundant.

27. *Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.*

TImor itaque Domini est fortitudinis parens & quasi radix; neque hoc solum est, sed veræ quòque vitæ fons & origo: vnus hic quoque in causa est, vt homo mortis laqueos, hoc est, peccata & occasiones, quæ in peccatum trahunt, declinet. Timor enim supplicia peccatoribus præparata ob oculos ponit. Formido autem pœnarum multos à scelere absterret, iuxta illud: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

28. *In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis.*

PRæcipua Regum maiestas, eorumdémque decus & ornamentum non est situm in magnis opibus, aut munitionibus, aut propugnaculis, sed in multitudine subiecti benéque erga ipsos affecti populi. Contra vero non vulgare illorum probrum, terror atque contritio est subditorum paucitas, maleuolentia, & abalienatio; nihil enim facilius est quàm Principem expugnare, si subditos habuerit à se auersos. Debent proinde Reges & Principes magis studere comitati, beneuolentiæ, mansuetudini, & liberalitati, quam seueritati, tyrannidi aut iniustitiæ. Per hæc enim coniuncti alienantur, per illa autem alienati conciliantur, & alliciuntur.

29. *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.*

PER patientiam & animi lenitatem cognoscitur sapiens; per impatientiam autem & furorem stultus. Qui enim patiens est, in omnibus prudenter se gerit, magnaq. in omnibus rebus moderatione vtitur. Qui autem impatiens est, multa insana & stulta propter iram committit. Est autem hæc patientiæ & longanimitatis virtus præ ceteris Regibus, Iudicibus, & Magistratibus necessaria. Siquidem animo ira turbato neque veritatem cernere, neque rectè vllam omnino controuersiam iudicare possunt.

30. *Vita carnium, sanitas cordis: putredo ossium, inuidia.*

NON solum impotentior ira bonæ animi corporisque constitutioni plurimum obest, verùm etiam liuor & inuidia. Etenim vt cordis sanitas, hoc est, pacatus tranquillúsque mentis status non modò ingenium ad veritatis inuestigationem, & rerum sublimium contemplationem

multum

multum iuuat, sed vitam quoque carnium, hoc est, corporis incolumitatem conseruat & promouet: ita inuidia non tantum corporis vires absumit, sed ipsa etiam ossa exhaurit & tabefacit.

31. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miseretur pauperis.*

INgenti cum salutis periculo coniunctum est, pauperibus vim inferre, aut maledicere, aut calumniam struere, aut quouis modo illos opprimere. Contra verò maximi apud Deum meriti est bene de illis mereri, eósque pro viribus iuuare, tueri, ac defendere. Nam qui calumniatur vel opprimit pauperem, quod in se est, factorem eius iniuria afficit; e diuerso vero qui pauperis miseretur & eum pascit, eiusdem creatorem honore afficit & pascit. At quid sanctius, quid præstantius, aut quæstuosius dici vel cogitari potest, quam Deum pascere & honorare? quid rursum grauius aut periculosius, quam probris aut calumniis eumdem afficere?

32. *In malitia sua expelletur impius: sperat autem iustus in morte sua.*

IMpius propter malitiam suam & à cœlesti patria proscribitur, & ab omni cuiusuis boni spe omnino excluditur, & multis præterea terroribus & miseriis inuoluitur. Etenim vt iustus in morte, quam naturaliter omnes metuunt, timore non frangitur, neque impatientiâ vincitur, sed spe bonâ munitus liberatoris sui aduentum læto animo exspectat, ita impius in morte vehementer consternatur, & angitur; neque omnibus tantũ voluptatibus & carnis illecebris, quibus ante potiebatur, priuatur, verum ab omni quoque bonorum spe & exspectatione prorsus depellitur.

33. *In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet.*

IN corde viri prudentis & intelligentis requiescit sapientia: in cœtu autem stultorum sapientia non agnoscitur. Nam licet sapiens stultos & indoctos erudire, suàmque sapientiam iisdem impertiri maximè studeat; attamen veritas & sapientia in pectore stulti locum non inueniunt, sed tantum in corde intelligentis. Hi enim sunt, qui auidè illam hauriunt, semelque haustam constanter retinent, & opere ipso oblatâ occasione exercent. Stulti autem & iuuenes præsertim, licet sapientiam quandoque differentem audiant, eius tamen doctrinam & monita non retinent; sed statim obliuioni tradunt. Quin alio quoque modo sapientia residet in

sapientis

sapientis pectore; quia nimirum illam arroganter non iactat, verum modestè dissimulat; stultus autem siquid nouit, id celare non potest, verum statim effundit, & arroganter venditat.

34. *Iustitia eleuat gentem: miseros autem facit populos peccatum.*

IVstitia in quacunque tandem gente, loco, vel regione locum obtinuerit, illum clarum, celebrem, fortunatumque reddit. Peccatum contra, nisi per pœnitentiam deleatur, in causa frequenter est, vt populus magnis cladibus, pestibus, & calamitatibus afficiatur, & radicitus nonnumquam exstirpetur. Quod Magistratus, & Principes animaduertentes toti in hoc esse meritò deberent, vt regna & prouincias suas à publicis præsertim peccatis quàm maximè repurgata tenerent. Nam vt iustitia & æquitas populum extollit: ita peccatum eundem deprimit, publicâque ignominiâ & miseriâ afficit.

35. *Acceptus est regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis sustinebit.*

ETsi sapientia in viris magnis & potentibus sit illustrior, magisque conspicua, quamin vilibus & abiectis mancipiis; in quibuscunque tamen inuenitur, mirificè illos commendat, gratosque & acceptos reddit. Quamobrem minister regis eò Domino suo est gratior & vtilior, quò est sapientior & intelligentior. Contra vero quo est rudior, & ad quoduis munus vel ministerium propter stultitiam suam obeundum ineptior, eò omnibus est exosior; & qui principem suum ad iram prouocet, publicéq. confundar, instructior. Quin ipse quoque Christus non stultos, sed prudentes, & vigiles seruos ad suum seruitium requirit.

AD
CAPVT DECIMVM QVARTVM
SCHOLIVM.

1. *Sapiens mulier. &c.* Committitur hîc frugi, & industria materfamilias cum ignaua & stulta: hæc quasi propriis manibus euertit domum, illa ædificat & exstruit, simulque ostenditur sapientiam non modo viris esse necessariam, verum etiam fœminis familiæque matribus. Siquidem illius partes sunt familiam gubernare; hoc autem absq. prudentia facere non potest.

2. *Ambulans recto, &c.* Confert inter se recto & obliquo itinere incedentes; hi Deum aspernantur, illi Deum timent, eiusdémque præcepta seruant.

3. *In ore stulti, &c.* Committitur hic os stulti cum labiis sapientis, designat autem os vel linguam stulti nomine *Virgæ*; quia vt virgâ consueuimus percutere, ita stulti, quos alio modo lædere non possunt, procaci linguâ feriunt. Per hoc autem quod stultos Virgam vel baculum in ore ferre docet, significat paratos esse semper ad hoc vel illo modo lædendũ. Contra verò sapientum labia ita comparata sunt, vt & suos auctores & alios quoque custodiant atque defendant:

4. *Vbi non sunt boues, &c.* Significatur hic agricolas, qui ex agris suis copiosum prouentum referre volunt, de omnibus rebus ad agriculturam necessariis sibi prospicere debere. Tum omnes, qui rem facere volunt in quacumque re vel arte otium veluti pestem fugere oportere. Mysticè verò rempublicam, quæ florere desiderat, de bonis prudentibusque magistratibus aliisque ministris sibi prospicere dedere, Ecclesiam autem de bonis pastoribus, omnem alioqui conatum vacuum & sterilem futurum. Nomen *Esum* non modò præsepe, sed horreum quoque significat, quod magis ad rem facit, sic vox sequens quoque non modo vacuum, sed triticum quoque denotat, quod huic rursum loco magis conuenit. Sensus enim est: vbi non sunt boues ibi non est triticum vel frumentum in horreo.

5. *Testis fidelis, &c.* Confertur hic testis verax & fidelis cum mendaci & infideli: hic mentitur, ille veritatem loquitur, quia ab initio veritatem proferre assueuit, sicut ille mendacium; atque ita ex prima institutione coniectura facienda est, sitne quispiam futurus verax an mendax in adultiori ætate. hæc autem veritas maximè requiritur in iudicibus, testibus, concionatoribus, sacrorumque mysteriorum interpretibus.

6. *Quærit derisor sapientiam, &c.* Hic locus à prima statim ætate scientiæ & sapientiæ animum adiungendum admonet. Qui enim in iuuentute illa contemnit, in senectute frustra quæret.

7. *Vade contra virum stultum, &c.* Hic versus in nostro Contextu subobscurus est, in Hebræo est facilior. Tradit autem summatim cum stultis hominibus nullum prorsus commercium habendum esse. Nostra editio eiusmodi sensum offerre videtur: *Si in stultum forte incideris, finge te nihil scire, tuoque silentio illius stultitiam facile elicies.* Vel aliter & fortan melius:

Si cre-

Si crebro cum stultis egeris, nescies tandem labia sapientiæ, hoc est, doctè erudisque loqui haud scies.

8. *Sapientia callidi, &c.* Locus hic, vt alij complures, indicat, sapientiam in actione potius consistere, quam in nuda contemplatione: siquidem per *Viam vitæ* ratio morumque compositio designatur. Vt autem rectè is sapiens appellatur, qui vitæ suæ rationes ad eum modum instituit, vt de virtute in virtutem semper progrediatur, ita stultus iure habetur, qui de vitio ad vitium vsque oberrat, aliosque & alios in errorē inducere laborat; id quod hæretici impigrè contendunt. Conuenit versus appositè in bonos malosque doctores.

9. *Stultus illudet, &c.* Opponitur hic stultus vel iniustus iusto. Hic alios gratiâ & beneuolentiâ complectitur, eorumdémque lapsus tegit & dissimulat; ille proximi peccatum deridet, & vbicumque potest diuulgat, quin proprium quoque peccatum risu excipere solet.

10. *Cor quod nouit, &c.* Docetur hic interiorem hominis statum, eiusdemque qualitatem ipsi soli certo comperta esse, iudicia autem externa incerta esse omnia, propterea quod homo pro voluntatis suæ libertate, quiduis fingere & comminisci potest. Quare qui errare non vult, ex solis externis de interiori hominis statu ne facile pronunciet, aut iudicet.

11. *Domus impiorum, &c.* Per iustorum & impiorum domum & tabernaculum vtrorumque studia & opes designantur. Inter quæ hoc interest: quod res impiorum sint caducæ & inconstantes, iustorum autem stabiles, & in quodam incremento positæ. Rectè quoque iustis tribuitur tabernaculum, quod est hominum in motu existentium, contendunt enim iusti ad aliam vitam & regionem; impiis autem domus, quæ est sedes fixè manentium. vellent hi enim perpetuo in terra hærere, si per Deum liceret. Mysticè, synagoga deletur, Ecclesia firma consistit.

12. *Est via quæ, &c.* In via, quæ videtur iusta & non est, quia ducit ad mortem æternam, constituti sunt non modo Iudæi, hæretici, Pagani, luxuriosi, ambitiosi, & alii id genus complures, sed ij quoque, quibus hic omnia ex animi sententia succedunt, nihilque vnquam aduersitatis patiuntur, cum tamen offendant, & impingant æquè atque alii.

13. *Risus dolore. &c.* Monet hic locus gaudium non debere esse nimis effusum, sed moderatâ tristitiâ temperandum: tum nullum in hoc mundo gaudium esse solidum; quippe quod omne omninò gaudium aliquid semper amaritudinis habeat admixtum, id quod in fine præcipue animaduertitur.

14. *Viis suis, &c.* Versus hic docet rerum omnium mundanarum esse satietatem & fastidium; hinc tam bonis quam malis operibus suam repositam esse mercedem. Virum stultum Hebræi vocant hoc loco, qui corde à via recta auersus est; qui proinde studiis & viis suis tum demum replebitur, cum ex vita hac voluptuosa ad æternum supplicium amandabitur. Superat autem talem vir bonus, quia ex vitæ huius miseriis ad cœli gaudia transfertur. Contextus Hebræus hunc quoque sensum admittit. *Vt stultus satiatur viis suis, ita vir bonus & sapiens impletur* Mi derachau id est *foliis vel fructibus suis*, hoc est, vnusquisque referet, pro vt gessit: aut bonus saturabitur præ illo, vel plus illo.

15. *Innocens credit, &c.* Scopus loci huius est. Non omni verbo credendum esse, sed cautè ambulandum, expendendumque quid dicatur, & à quo dicatur. Innocentis autem vocabulum vsurpatur hic pro indocto & simplici, sicut astuti, pro prudenti & sagaci.

16. *Sapiens timet, &c.* Monemur hâc sententiâ magno propter pericula in hac vita occurrentia opus esse iudicio & cautione, nihilque temere aggrediendum. In quibus omnibus stultus errat, neque enim timet quemquam, neque deliberat quidquam; sed temerè tentat quiduis, ægréque fert siquis temeritati illius obnititur.

17. *Impatiens operatur, &c.* Et hæc quoque sententia nos admonet, ne quid vmquam per iram, aut dolum malum adoriamur; tum vt id esse conemur per gratiam, quod Deus est per naturam, mansuetus nimirum & longanimis. Virum autem versutum odiosum dicit, quia omne illius studium tendit ad malum & proximi detrimentum.

18. *Possidebunt paruuli, &c.* Comparantur hic simplices cum astutis; illis adhæret, & quasi congenita est stultitia, multaque probra, quæ inde nasci sunt solita; hi autem studio & desiderio tendunt ad scientiam, ex qua dimanat decus & gloria, estque bonum præ ceteris nobile & stabile.

19. *Iacebunt mali, &c.* Admonentur hic iniqui, vt tempestiuè resipiscant, veniamque ab iis petãt, quos iniustè afflixerunt, & iniuria affecerunt.

20. *Etiam proximo, &c.* Docetur hic quam grauis in hoc sæculo miseraque conditio sit pauperum; vt qui ab omnibus contemnantur & deserantur etiam a sanguine iunctis: diuites contra ab omnibus honorantur & obseruantur, verum hoc iudicium est mundi, & seculi huius, apud Deum namque ille est carior, qui virtutibus est auctior.

21. *Qui despicit proximum, &c.* Hic locus pertinet ad proximè expositum;

tum; monet enim grauiter illos in Deum peccare, qui pauperes propter inopiam cõtemnunt, vt contra vero certâ iam ſpe beatos eſſe, qui illorum curam ſuſcipiunt, opémque iiſdem ferunt.

22. *Errant qui operantur, &c.* Docetur hîc in grauiſſimo errore ſalutiſque diſcrimine eos verſari, qui de induſtria peccãt. Contra vero magna præmia apud Deum illos ſibi præparare, qui iuſtitiam & veritatẽ præſtant, cogitantque quomodo inopi opem ferre commodè valeant.

23. *In omni opere, &c.* Commendatur hoc verſu ſedulitas, & condemnatur inſulſa garrulitas.

24. *Corona ſapientum, &c.* Oſtenditur hoc loco ſapientiam non modo animæ & corporis bonis ornamentum adferre, verum etiam fortunæ commodis. Opes namque ſapientibus egregium ad omnem virtutem ſunt organum. Per ſapientum autẽ opes, ſapientiæ copiam, vel perfectam quoque ſapientiam accipere licet. At ſtulti diuitiarum copiâ ex ſtultis ſtultiſsimi euadunt.

25. *Liberat animas, &c.* Docetur hîc teſtem veracem à mortè & periculis quæ mortem adferunt, & aliis itidem incommodis animam liberare: teſtem autem mendacem mentiríue ſolitum contrarium preſtare, hoc eſt, animæ, & corpori, & famæ & fortunæ bonis, imo etiam ſaluti ipſi detrimentum adferre.

26. *In timore Domini, &c.* Senſus eſt, vt opes ſine timore Dei parum proſunt; ita animi quoque robur & corporis fortitudo ſine Dei timore languent. Eſt autem aliud nihil Fiducia fortitudinis, quam fiducia firma, tuta, & valida, quę vtique non tam in brachio, quàm in Deo collocãda eſt.

27. *Timor Domini, &c.* Hæc alio titulo timorem Domini commendant. Oſtendunt enim non ſolum eſſe initium ſapientiæ fontemq. fortitudinis, vt ante dictum eſt, verum etiam fontem vitæ: nam & vitam præſtat, & à mortis ruina & laqueo liberat: laquei autem mortis ſunt laquei diaboli, & omne illud præterea, quod inſidiatur animæ vel corporis vitæ.

28. *In multitudine populi, &c.* Admonentur hic Principes maieſtatem & dignitatem regiam non tam conſiſtere in magnis opibus, aut validis munitionibus, quàm in multitudine morigeri benéque affecti & conſtituti populi: ſicut e diuerſo in paucitate plebis poſitam eſſe illius ignominiam & dedecus, adeoque Principes omnes comitate & beneuolentia potius vti debere, quàm ſeueritate. Monentur per eadem quoque qui ſacris præſunt, vt Chriſto regi quam plurimos lucrifacere contendant.

29. *Qui patiens est, &c.* Opponuntur hic patientia & impatientia, sapiens itidem & stultus; hic cognoscitur ex impatientia, ille ex patientia: præ ceteris autem patientia Regibus, & Iudicibus, & Magistratibus, ratione officii magnopere est necessaria. Porro *Exaltare stultitiam*, aliud nihil est, quam apertis indiciis eam prodere, cum ante latuisset, aut aperta non satis fuisset.

30. *Vita carnium, &c.* Hic locus dehortatur ab inuidia, sicut precedens ab ira & impatientia: etenim cor inuidia saucium, aut alio animi morbo læsum exsiccat & consumit ossa ipsa; sicut cordis sanitas, animíque integritas & ingenuitas toti corpori vitam & sanitatem præstat, licet autem hæc omnia ad animi vires transferre.

31. *Qui calumniatur egentem, &c.* Docetur hic quanti periculi res sit pauperibus vim inferre, aut quouis modo illos diuexare; quanti rursum meriti bene de illis mereri. Nam, vt disertè hoc versu exponitur, quidquid boni vel mali pauperibus confertur vel infertur, id totum Deo confertur vel infertur. Eadem est sententia Christi, Matth. xxv.

32. *In malitia sua, &c.* Significatur hic impio, nihil exanimi sententia succedere; iusto contra omnia prosperè euenire. Repellitur enim impius ab omnibus bonis, ad quæ vel in hac vita anhelabat, vel quæ in altera sperabat; iustus autem sperat in morte, quia tum liberatur ab omni miseria & molestia: sperat quoque in morte impii, quia tum eripitur ab omni iniusta vexatione, & oppressione.

33. *In corde prudentis, &c.* Duplici nomine prudentem hic locus commendat. Nam & in corde illius residet & quiescit sapientia; & aptus est, qui indoctis illam impertiat. Potest quidem veritas à stulto nonnumquam deprehendi, verum in corde illius fixam sedem non habet.

34. *Iustitia eleuat, &c.* Quod hic traditur, hoc quotidiana experimenta confirmant: nempe iustitiam populum florentem reddere; peccatum autem eundem illum calamitosum, pauperem, & miserum efficere. Hebræa duplicem sensum recipiunt; alter est: *Miserricordia populorum, est quasi sacrificium pro peccato.* Alter est: *ignominia est populo peccatum.*

35. *Acceptus est Regi, &c.* Ostenditur hic sapientiam omnibus necessariam, etiam vilibus mancipiis; quippe quæ dominis suis sunt grata, si sapiunt; ingrata autem, si prudentia destituuntur. Quin ipse quoque Christus prudentem fidelemque seruitutem ab omnibus exigit.

PARA-

PARAPHRASTICA CAPITIS QVINCTI DECIMI EXPLANATIO.

1. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.*

REsponsio mollis & humana frangit iram, incensíque animi furorem lenit; Contra verò sermo durus & aculeatus iracundiam suscitat; habet hoc autem locum non in humanis solum, vt quotidiana experimenta probant, (videmus namque grauissimè incensos leni humanáque oratione mitigari, contra violenter commotos, dura hostilíque oratione grauiter incendi) verum etiam in diuinis. Qui enim culpam agnoscit, veniámque deprecatur, & miseriam suam deplorat, Deum alioqui iratum, & punire paratum facile placat; qui vero virtutes suas iactat, & aduersus Deum, quasi iniustè puniatur, murmurat, grauiter illum inflammat, & ante sedatum contra se armat & excitat.

2. *Lingua sapientum ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam.*

SApientum lingua exornat scientiam. Nam cum debito modo, loco, & tempore eam proponit, efficit, vt iis appareat venusta, pulcra, & facilis quibus ante videbatur aspera & spinosa. Atque hoc quotidie ex doctis & eruditis orthodoxorum concionibus & lectionibus obseruare licet. Porrò os stultorum, quod iudicio careat, neque modum vllum seruet, nihil aliud eructat quam meram stultitiam & insaniam; atque hoc ex sectariorum spermologiis & scriptionibus luce meridianâ clarius patet. Pulcra est itaque eloquentia cum sapientia coniuncta; at vero loquacitas sine iudicio & sapientia, aliud nihil est, quam mera stultitia.

3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.*

INterim nulla sapientia est tanta, quæ oculos Domini fallere; nulla eloquentia tanta, quæ oculatissimo illius iudicio tenebras offundere; nulla tandem astutia tanta quæ aliquid, quod ipsos lateat, abscondere possit nam oculi Domini sunt in omni loco, omniaque sunt illis aperta & nuda.

Iidem

Iidem illi oculi contemplantur bona & mala, bonos rursum & malos, iustos denique & iniustos, omniumque opera & studia accuratissimè obseruant, ne quis existimet impunè se laturum, siquid mali occultè designet; aut mercede cariturum, siquid boni faciat, aut mali propter Christum vel iustitiam ferat.

4. *Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum.*

LIngua sana, pacisque studiosa, & lenis, est veluti arbor vitæ: nam cum sit sana, nullisque prauæ linguæ vitiis obnoxia, nulli nocet, nulli detrimentum adfert; imò vero ægros maléque affectos sanat, debilésque confortat, cœcos illuminat, claudos dirigit, & mortuos tandem ad vitam reuocat; quæ omnia in Catholici Pastoris piique doctoris lingua sunt manifesta, atque ita arbori vitæ rectè comparatur. At lingua peruersa & immoderata spiritum conterit, grauiterque eundem affligit siquidem suâ furiâ illum conturbat, bonumque illius statum falsâ doctrinâ euertit. Dicitur autem immoderata, quia nullum in reprehendendo, aut increpando seruat modum, veritatisque & modestiæ limites excedit, & insanis clamoribus, aut importunis conuitiis omnia incendit, adeóque deiectos magis deprimit, quam erigit, magisque incensos exulcerat, quam placat.

5. *Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet.*

QVI parentum maiorumque monita pro nihilo ducunt, eorumdémque disciplinam & eruditionem despiciunt, ludibrioque habent & stulti sunt, & facto ipso se stultos ostendunt, Nec illi tantum ad stultorum nauim spectant, sed illi quoque qui rectæ rationis iudicio se opponunt, mediáque stultitiæ exuendæ & deponendæ contemnunt. Sicut enim ægri, qui salutarem potionem, aut sanum medici consilium aspernantur, sanari non possunt, & si moriuntur, suâ culpâ moriunturi: ita rudes & imperiti, si monentibus & increpantibus non obsequuntur, ab inscitiæ suæque stultitiæ morbo liberari nequeunt; verum qui maiorum consilia & instituta grato animo suscipiunt, facilè prudentes cautique euadunt; etiamsi ante hoc ipsum non erant, si autem prudentes iam antè erant, obsequendo & optemperando prudentiores subinde fiunt; quippe cum nemo sit tam sapiens, qui sapientior fieri non possit.

5. In

5. *In abundanti iustitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur.*

MAgna in copiosa iustitia vis, magnum robur & fortitudo sita est. Qui ergo hostes omnes, omnésque tentationes feliciter vult superare, iustitiæ incumbat. Nam quo quis est iustior & sanctior, eo hostibus & tentationibus omnibus superandis est potentior. Impiorum verò consilia & cogitatus è terra funditus eradicabuntur, & in nihilum redigentur. Putabant altas se in terra radices egisse, verum in morte illorum planum fit, quam infirmum erat fundamentum, quo nitebantur.

6. *Domus iusti plurima fortitudo: & in fructibus impii conturbatio.*

IN domo itaque iusti magna latet virtus, magna contra aduersa omnia fortitudo, magnus in ea iacet thesaurus reconditus, non solum virtutum donorumq. cœlestiũ, verum etiam opum iusto labore partarum, quæ diu sæpe in familia perseuerant, & de genere in genus transmigrant. Verum prouentus & opes, quas per vim, rapinam, & fraudem colligit impius, adeo nepotibus & posteris non prosunt, vt magnas sæpe turbas & seditiones in familia excitent; sed neque sibi ipsi quoque hæc prosunt, nisi ad maiorem condemnationem & animi conturbationem. Siquidem vbi maiores sunt opes, ibi maior peccati seges. Nam vt opes iustis sunt instrumentum virtutis, ita iniustis sunt materia peccati.

7. *Labia sapientum disseminabunt scientiam, cor stultorum dissimile erit.*

LAbia sapientum sapientiam in pectore reconditam non tenent; sed disseminant aliisque communicant; prout bonum se alteri communicare solet; at vero stultorum cor non est ita comparatum: nam neque sapientiam habet, quam disseminare possit; neque siquam haberet, vtiliter quoque & salubriter eam cum aliis communicare valeret; vt quod nihil nisi ineptiam & stultitiam depromere didicerit. Est autem stultorum cor dissimile non modo cordi sapientum, sed sibi ipsi quoque, vtpote semper varium & inconstans. Inter ceteros porrò sapientes, qui sapientiam, quam à Deo hauserant, vtiliter & liberaliter disseminarunt, insignes exstiterunt Apostoli. Hi enim terrarum orbem suâ doctrinâ impleuerunt.

8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota iustorum placabilia.*

VIctimæ & sacrificia impiorum, cuiusmodi sunt quæ impuro impióque animo, vel ex rebus malè partis offeruntur, execrabilia sunt apud Deum; quippe qui immolantium corda & conscientias magis spectare soleat, quàm externa opera & sacrificia. At iustorum vota & desideria sunt illi accepta, etiamsi externum opus desit, maximè si per impotentiam desit. Ea propter siquis opera misericordiæ exercere ex animo vellet, si posset, sed propter inopiam non valet, non solum apud Deum à peccato excusatur, verum propter bonam illam & promptam voluntatem præmium quoque meretur.

9. *Abominatio est Domino via impii: qui sequitur iustitiam diligitur ab eo.*

IDeo autem Deus impiorum sacrificia execratur, quia detestatur illorum viam, infamémque viuendi ritum & consuetudinem; sicut è diuerso iustorum vota precésque & desideria complectitur; quia diligit iustitiam, quam ipsi sectantur. Quamuis autem Deus, quod pius & clemens, nostræque infirmitatis conscius sit, peccatorum mortem non velit; attamen cum quis ita peccandi consuetudini immersus iacet, vt nihil amplius de Deo, suáque salute cogitet, omnesque Dei admonitiones & inspirationes reijciat, tunc demum incipit eiusmodi obstinatum hominem execrari. Sicut quoque non quosuis iustos ex æquo complectitur, sed eòs præcipuè qui iustitiam ex animo & strenuè consectantur. Cuiusmodi sunt qui suâ iustitiâ non contenti alios quoque ad iustitiam pertrahere contendunt.

10. *Doctrina mala deserentium viam vitæ, qui increpationes odit, morietur.*

DOctrina & disciplina iis est molesta & exosa, qui veritatis virtutúq. viam deserunt; censent enim viam latam, (eam nimirum, quæ circa carnis illecebras & voluptates occupatur) suauiorem & expeditiorem esse, verum non impunè istud ferent. Nam quotquot voluptatum semitam ingressi, increpationes oderunt, mortem intempestiuam per iustitiam humanam, vel per diuinam vltionem opperent, ipsámque adeo damnationem non euadent. Quin simpliciter quoque illorum doctrina, qui viam veritatis deseruerunt, vt sectarij omnes, mala & noxia est.

11. In-

11. *Infernus & perditio coram Domino : quanto magis corda filiorum hominum?*

NEmo existimet Deum ea tantum explorata habere, quæ in terra superficie committuntur vel opere tantũ perpetrantur; verum ea etiam quæ intra terræ viscera, aut intra cor hominis designantur. Nam & infernum & perditionem, hoc est, non solum viuentium, sed mortuorum quoque statum compertum habet, Quod si res illas subterraneas, quæ omnem aspectum humanum fugiunt, solaque fide tenentur, exploratè nouit, quanto magis humani cordis cogitatus, omnésque internos hominis actus cognoscet? Multò enim difficilius est oculo penetrare molem terræ vsque ad centrum, quàm humani cordis cogitatus, qui multis sæpe externis indiciis patefieri solent.

12. *Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur.*

HOmo pestilens & veritatis derisor (cuiusmodi est qui sacra omnia omnésque honestos ritus, & cærimonias, & obseruationes deridere & subsannare consueuit, eumque in modum viuit & se gerit ac si ea omnia, quę de altera vita traduntur & creduntur, merę essent fabulæ & nugę) tantum abest vt correptionem amet, aut sapientes consilij causâ adeat, vt se omnibus quoque sapientiorem iudicet, omniumque adeo admonitiones palàm derideat. Quapropter nullum videtur operæ pretium talium correctioni operosè insistere. Siquidem eiusmodi homines officij commonefacere, aliud ferè nihil est, quàm operam perdere, & odium sibi adscisscere & margaritas ante porcos proijcere.

13. *Cor gaudens exhilarat faciem : in mærore animi deijcitur spiritus.*

COR lætum & gaudens exhilarat vultum, serenumque & venustum reddit; at cor hominis in mærore & anxietate constitutum vitæ spiritum frangit & deijcit, vultumque subtristem & turbidum efficit. Natura enim ita comparatum est, vt interna animi constitutio & affectio in corpus ipsum redundet; præsertim vero in vultum, vbi sedes est sensuum, & quidem eo euidentius in vultum redundat, quò animi affectio & perturbatio fuerit vehementior. Qui igitur vtiliter vult philosophari, sit animo læto & tranquillo, & à curis nihilominus & sollicitudinibus vacuo. Nam molestia & curæ grauiores veritatis inuestigationem & inuentionem vehementer impediunt.

14. *Cor sapientis quærit doctrinam: & os stultorum pascitur imperitia.*

COR sapientis auidè quærit & consectatur sapientiam, neque vllis parcit laboribus aut molestiis vt eam consequatur os autem stultorum pascitur stultitiâ; nam & ea semper depromit, quæ alunt & arguunt stultitiam; & non secus nugis & fabulis oblectatur, quàm dulci escâ; & corde denique & ore stulta semper & fatua versat. Stultum ad doctas conciones vel eruditas lectiones vix compelles; ad cœtus autem vanorum hominum nullo inuitante extemplo fertur.

15. *Omnes dies pauperis mali, secura mens quasi iuge conuiuium.*

OMnes dies pauperis, vulgi præsertim opinione, sunt mali & miseri, verum sapientes & oculi Domini aliud sæpè iudicant. Intelligunt namque multos pauperes multis diuitibus melioris sortis esse. Sunt enim plerumque pauperes animo multis partibus quietiore, pacatiore, & tranquilliore quam sunt diuites. Atqui mens tranquilla, pacata, sibíque benè conscia, est quasi iuge conuiuium. Qualis vtique mens & cor illud non est, quod variis curis torquetur, quod magnâ subinde formidine agitatur quod dies noctésque quomodo malum alteri inferat, aut ab aliis intentatum euadat, meditatur. Sed & verè quoque dies hominis scientiâ & virtute pauperis sunt mali & miseri. Est enim magna miseria & calamitas, nihil scire, nullâque virtute ornatum esse.

16. *Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles.*

HOminis felicitas non tam est posita in magna rerum copia, amplis ue diuitiis quam in animo sorte sua contento, Deumque timente & in oculis semper ferente. Et quamuis stultus mundus oppositũ censeat, totisque velis & remis in diuersum tendat, eosque qui parum aut nihil habent, contemnat; attamen suo iudicio non parum fallitur. Multo namque satius est, parum habere cum iustitia & timore Domini, quam ingentes thesauros cum turba & tumultu cordisque afflictione. Notum est enim illud Psalmistæ: *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Nam etiam pecunia, quasi malis venenis imbuta, auari animum num-

numquam explet, & ingentes curas adiunctas habet, & continuis sollicitudinibus & terroribus possessorem suum exercet, & alios præterea multos malos comites habet.

17. *Melius est vocari ad olera cum caritate: quam ad vitulum saginatum cum odio.*

ET vt melius est parum cum timore Domini & iustitia partum, quam magnæ opes per vim, fraudem, vel rapinam comparatæ; ita satius quoque est vocari ad olera, hoc est, ad tenue conuiuium caritate conditum, quam ad vitulum saginatum, epulumque splendidum odio infectum aut liuore contaminatum. Etenim vt mensa in qua regnat pax, concordia, amicitia, aliaque eiusmodi, non potest non esse iucunda, etiamsi parum magnificè sit instructa, ita conuiuium in quo feruent rixæ, lites, pugnæ, non potest homini prudenti & pacis studioso non esse permolestum, etiamsi secundum se sit splendidum, apparatuque magnificum.

18. *Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.*

INterim eiusmodi rixæ & contentiones propriè non proueniunt ex cibo vel potu, quæ in mensa proponuntur, etsi vinum copiosius sumptum ansam non raro offerat; sed ex praua quorumdam hominum consuetudine, vel naturæ quoque conditione. Sunt enim homines quidam biliosi, rixosi, impatientes, qui minimâ oblatâ occasione statim incendunturque & furunt, aliosque ad iram & sæpe quoque ad pugnam prouocant. Alij contra sunt ingenij vsque adeo mitis & placidi, vt non modo non incendantur, etiamsi aliqua iræ, furoris, vel indignationis ansa offeratur, verum vt alios quoque furentes ad quietum animæ statum reducant, & eiusmodi homines ad mensam sunt adhibendi, non iracundi & ad rixas quodammodo nati.

19. *Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via iustorum absque offendiculo.*

ITer pigrorum vitæque institutum improborum hominum est quasi sepes spinosa, spinisue & sentibus obsita, hoc est, aspera calcatuque difficilis, etsi illi istud non sentiunt. Incredibile est namque dictu quantum auari patiantur, vt pecunias coaceruent; luxuriæ dediti, vt voti compotes euadant;

euadant; idemque ſtatuatur de ceteris peculiari aliquo vitio laborantibus, verum improbi & ſcelerati homines illam difficultatem non percipiunt, ſiquidem errore carniſque delitiis occæcati viam virtutis aſperrimam, difficillimam, tetriciſſimamque iudicant; viam autem vitiorum amœnam, iucundam, & quaſi floribus ſtratam. Iudicant hi enim res non ex ſua natura, ſed ex ſuo peruerſo appetitu & deſiderio; quod ſi recto iudicio præditi eſſent, cenſerent quod res ipſa eſt, nempe viam virtutum planam, nulliſque offendiculis obnoxiam eſſe: ſicut revera plana eſt, viam autem flagitiorũ, ſpinis, ſentibus, vepribus, vrticis, ſcrupulis, aliiſq. eiusmodi impedimentis vbique refertam eſſe.

20. *Filius ſapiens lætificat patrem: & ſtultus homo deſpicit matrem ſuam.*

FIlius ſapiens ſapientérque domi foriſque ſeſe gerens, nec non parentibus eorumque doctrinæ & admonitioni fideliter obſequens lætificat patrem, magnámque animi voluptatem & conſolationem illi adfert: at homo ſtultus filiuſque improbus & refractarius matrem, eiuſque admonitiones deſpicit & negligit; atque ideo magnam iuſti mæroris cauſam illi adfert. Nam licet bona & mala, virtutes & vitia filiorum ad vtrumque parentem ex æquo quodammodo pertineant; attamen quia matres primos filiorum annos moderantur, filiorum improbitas & ſtultitia illarum indulgentiæ & negligentiæ præcipuè adſcribitur, & ſic dolor ex improbitate filiorum ortus magis quodammodo pertinet ad matres, quàm ad patres.

21. *Stultitia gaudium ſtulto: & vir prudens dirigit greſſus ſuos.*

INter ſtultum hominémque corde (quod ſedes eſt ſapientiæ) deſtitutum & ſapientem hoc quoque intercedit, quod ſtultus rebus vanis ſtultiſque deditus ex iis, quæ ſtultè committit, voluptatem capit: ſapiens autem & cordatus totus in hoc eſt, vt greſſus viámque ſuam ita dirigat & inſtituat, vt neque ad dextram neque ad ſiniſtram deflectat. Vt autem ita fiat, id maiorem partem ex prima parentum inſtitutione dependet. Nam qui parentum diſciplinam & eruditionem complectitur, is totâ ferè vitâ rectè ambulat; qui eam autem negligit vel contemnit, ſtultus euadit, gaudiumque & lætitiam ex ſua ſtultitia, iiſque vitiis & flagitiis, quæ ſtultè & improbè facit, aucupatur.

22. *Diſſi-*

22. *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium: vbi verò plures consiliarij, confirmantur.*

AT quamuis quis sapiens sit, suæ tamen sapientiæ non nimium debet fidere, neque plus, quam par est, illi inniti: verum in rebus præsertim grauibus & arduis alios quoque audire, eorumdémque consilia expetere oportet. Nam vbi nullum adhibetur consilium, aut iudicium, ibi cogitationes bonæ, boniqúe conceptus citra vllum fructum tacitè abeunt, & in nihilum rediguntur: ast vbi multi sunt consiliarij, ibi firmantur, & ratificantur, & felicem exitum sortiuntur. Nam vt eorum conatus rarò succedunt, qui sine consilio agunt; ita qui maturũ consilium adhibent, & cum prudentibus, quæ aggredi instituunt, deliberant, prosperè in omnibus procedunt.

23. *Lætatur homo in sententia oris sui, & sermo opportunus est optimus,*

ET vt prudenter consultéque agit, qui viros prudentes in consilium adhibet; ita vir prudens, qui bonum consilium suggessit, lætatur internóque gaudio perfunditur, cùm consilia sua rem fecisse, faustumque exitum sortita esse animaduertit. Sermo enim opportunus, hoc est, verbum opportuno tempore prolatum, perquam vtile & salutare est illi, qui consilium petiuerat; sed & honorificum est illi quoque, qui dederat. Qui enim de re quapiam dubia sententiam interrogatus commodè respondet, & interroganti prodest, & sibi honorem parit.

24. *Semita vitæ super eruditum, vt declinet de inferno nouissimo.*

SEmita vitæ (quæ vtique virtutum ac præceptorum Dei via est) virum intelligentem, & diuina edoctum deducit sursum ad superna; efficitque vt declinet ab inferno, qui deorsum ad centrum nimirum terræ est situs. Vitæ autem semita sursum ducere asseritur, quia mentem à terrenis, quæ ad inferos tendunt, ad cœlestia erigit. Quin eadem quoque via, prudentem & eruditum non modo sursum ad cœlestia trahit, verum etiam ad honores, magistratus, & gradum sublimiorem euehit. Et quamuis hoc non sit perpetuum, frequenter tamen accidit, & secundum meritum semper ita fit. Siquidem qui per vitæ semitam graditur dignus est, qui in vtraque vita exaltetur.

25. *Domum*

25. Domum superborum demolietur Dominus, & firmos faciet terminos viduæ.

DOminus hominum superborum potentumque, qui viribus suis confisi insontes opprimunt, viduásque & imbecilles, qui resistere non possunt, suis bonis spoliant, domum, hoc est fortunas, familiam, ipsumque adeo dominum euertet & funditus eradicabit; contra verò viduarum, pauperum, & pupillorum fines & agros, omnesque illorum possessiones defendet; & ne per potentum vim ab alieno domino occupentur, efficiet. Metuant sibi proinde Tyranni & innocentum oppressores; bene rursum de Dei benignitate fidant viduæ & pauperes, non enim deseret illos vsque in finem.

26. Abominatio Domini cogitationes malæ, & purus sermo pulcerrimus firmabitur ab eo.

VBI prauæ fœdæque locum habent cogitationes, ibi neque honesta adest vita, neque honesta adsunt verba, neque facta quoque laudabilia, quia qualis quisque est, talia & cogitat, & loquitur, & operatur. Quam ob rem homines mali & immundi malas & immundas habent cogitationes, & verba promunt obscena. Cogitatus tanquam primariæ turpium verborum factorumque causæ opera tandem edunt fœda & turpia, quæ omnia Deus execratur, maxime vero fœdas & obscenas cogitationes tanquam ceterorum origines. Contra vero mundi & casti verba fundunt casta & munda; nam ex casto & puro fonte, nihil solet procedere, nisi purum & castum; qui proinde magni apud Deum fiunt: nam qui ab obscenorum operum studio, omnique vitiorum turpitudine tantum abest, vt ne nominari quidem turpia ferat, ille vtique magnâ præditus est puritate; adeóque certâ apud Deum spe iam beatus est.

27. Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam, qui autem odit munera, viuet.

AVarus qui per fas & nefas ad opes contendit, vel partis iam nimis auidè incubat, vel nimis sordidè eas conseruat, ille totam domum, totámq. familiam suam conturbat; quia multas in illa contentiones & turbas excitat, conqueritur de familiæ ignauia, rixatur de sumptuum magnitudine, lamentatur de mala administrorum fide; neque desunt quoque externæ

externæ vexationes, quæ illum cruciant & exercent. At qui munera, per quæ æquum iudicium euertitur, odio habet, serióque auersatur, & omnem auaritiam detestatur, ille vita viuit, prosperéque in omnibus procedit; neque à Deo iudicatus, neque ab hominibus infestatus.

27. *Per misericordiam & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis à malo.*

PER misericordiam & eleemosynam, ceteraque caritatis opera, nec non per fidem verámque religionem peccata per humanæ naturæ imbecillitatem ante contracta expiantur; per timorem autem Domini homo declinat à peccatis, ne videlicet illa committat. Siquidem per fidem de Dei potentia & iustitia, deque pœnis & supplicijs peccatoribus præparatis eruditur. Harum autem consideratio generat timorem, timor autem gehennæ absterret hominem à peccato peccandique voluntate,

28. *Mens iusti meditabitur sapientiam: os impiorum redundat malis.*

MEns & cor iusti meditatur sapientiam, hoc est, cordatam & prudentem responsionem. Iustus enim de re quapiam interrogatus, non temere statim se effundit, suámue stultitiam depromit, sed meditatur & cogitat maturè & deliberatè, ne quid dicat, quod sit contra Deum, aut legem, aut rectam rationem, aut quod aliis scandalum, aut laqueum generet: eiusdem quoque os humilem meditatur obedientiam. Nam citra illam, vera iustitia constare nequit. Impiorum vero os exundat maledictis, & instar fontis eructat iurgia & conuitia: statim enim erumpit, eaque profundit, quibus cor abundat. Stultus enim neque tacere nouit, neque commodè tamen loqui didicit.

29. *Longè est Dominus ab impiis: & orationes iustorum exaudiet.*

ETsi Dominus vbique sit præsens (est enim intra cuncta & extra cuncta, & supra cuncta, & infra cuncta) attamen communi Scripturarum vsu longè ab impiis abesse fertur, quia non adest illis per gratiam, neque per singularem aliquam beneuolentiam, aut fauorem, neque illorum preces audit, vt iustorum solet, etiamsi in aliqua calamitate constituti illum inuocent, quia non rectè orant. Quin procul quoque abest ab illorum cordibus: raro enim de Deo cogitant impij. Est denique procul ab

illis, quia maxima inter hunc & illos intercedit dissimilitudo. Verum iustis, qui syncerè eum inuocant, propinquus est, aut certè non procul ab illis abest.

30. *Lux oculorum lætificat animam: fama bona impinguat ossa.*

LVX quæ oculis hauritur lætificat cor & animam, totumque adeò hominem: at fama vel nuncius bonus, vndecumque allatus saginat & impinguat ossa. Iam si ea vis inest illis, quæ incurrunt in externum visionis vel auditionis sensum; quantum poterunt interiorum virium obiecta, maximè verò lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & tandem aliquando illis illuxit, qui in tenebris & vmbra mortis sedebāt? Nempe Christus Dominus, qui optimum quoque attulit nuncium, nempe peccatorum remissionem, cœlique olim clausi patefactionem, & inferni euersionem, aliaque eiusmodi.

31. *Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur.*

AVris quæ vitæ increpationes, hoc est, viuificas & salutares admonitiones (cuiusmodi sunt, quæ vitam à næuis repurgant, & viam ad cœlestem patriam commonstrant,) patienter audit, in cœtu sapientum versabitur. Quin antè quoque hîc se versatam esse satis apertè ostendit. Nam qui dicto est obsequens, iam ante cum sapientibus negotium sibi fuisse minimè obscurè declarat.

32. *Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam, qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.*

QVI maiorum disciplinam & correctionem abiicit, vel etiam spernit; non solum admonitori iniuriam facit, sed suæ quoque animæ salutem despicit, & à vera sapientia se alienissimum esse ostendit; vt qui nihil cordis veræque intelligentiæ possideat, omnique timore Domini, qui initium est sapientiæ, careat. Verum qui salutaribus admonitionibus acquiescit morémque gerit, is possessor est cordis, veréque cordatus & sapiens censendus est. Siquidem non ille solum inter sapientes habetur, qui per se sapit, verum ille quoque, qui recta monentibus parere didicit; sicut & è diuerso extremè stultus est, qui neque per se sapit, neque alteri bene suadenti obtemperare animum inducit.

33. *Timor Domini, disciplina sapientiæ: & gloriam præcedit humilitas.*

TImor Domini salutari quâdam disciplinâ & increpatione constat. Hæc enim sapientiam & intelligentiam generant, qui autem ad veram gloriam adspirat, is prius sese humiliet opus. Siquidem per modestiã suique abiectionem, cum apud Deum, tum apud homines quoque gloria paratur. Notum est illud Christi: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

AD CAPVT DECIMVM QVINTVM SCHOLIVM.

1. *Responsio mollis, &c.* Cum huius sententiæ veritas ex quotidiana experientia certò constet, ampliori explicatione nullâ indiget.

2. *Lingua sapientum, &c.* Et hic rursum versus, vt proxime antecedens ad bonum & malum linguæ vsum pertinet. Inter fatui autem & sapientis linguam hoc intercedit, quod hæc scientiam eructet; illa stultitiam.

3. *In omni loco, &c.* Docetur hic nihil non oculis Domini apertum esse: facit hoc autem non modò ad consolationem bonorum qui multa mala occultè patiuntur, terrorémque malorum, qui de occultis impunitatem sibi promittunt: verum ad eorum quoque confusionem, qui diuinam prouidentiam negant.

4. *Lingua placabilis, &c.* Opponit hic linguam sanam & moderatam, linguæ peruersæ & immoderatæ: hæc affligit spiritum & animum; ista instar ligni vitæ vtrumque recreat. Vocatur autem sana vel placida ab effectu, placat enim & sanat & ad concordiam reuocat, sicut immoderata clamoribus atque conuitiis omnia turbat.

5. *Stultus irridet, &c.* Ostendit hic versus quomodo lingua sapientiam conferat; nempe per admonitionem & correptionem, si, vt par est, admittantur: nam qui aspernatur, vt stulti solent, adeo nihil proficit, vt stultior quoque efficiatur.

In abundanti iustitia, &c. Hic versus ex LXX. editione petitus est, nam in Hebræis & emendatis Latinis non habetur, sensus autem est, copiosam

pioſam iuſtitiam peramplum robur ſubminiſtrare: quantitas namque roboris ſequitur quantitatem iuſtitiæ. Impios autem qui perpetuas ſibi ſedes in terra promittebant, funditus olim è terra eradicandos eſſe.

6. *Domus iuſti, &c.* Hic verſus à iam expoſito non multum diſcrepat, quare probabile ſit hunc ex illo, vel illum ex hoc petitum eſſe. Innuitur autem iuſtorum opes non ſibi tantum prodeſſe, ſed etiam poſteris; iniuſtorum autem lites tantum & turbas excitare. Myſtice *Domus iuſti*, eſt illius conſcientia, opes autem eiuſdem, ſunt virtutes, at in conſcientia impij nihil reperitur niſi turba.

7. *Labia ſapientum, &c.* Hic iterum ſtultorum & ſapientum lingua inter ſe committuntur. hæc ſpargit ſcientiam; illa eructat ſtultitiam, neque ſi velit, aliud quoque quàm ineptias diſſeminare valet: ſiquidē ex abundantia cordis os loquitur.

8. *Victimæ impiorum, &c.* Scopus loci huius eſt, Deum magis ſpectare corda & conſcientias quàm munera. Quod multum conſolari debet pauperes, qui eleemoſynam libenter darent, ſi poſſent, & confundere Iudæos, qui ſuis inanibus victimis Deum magis irritant quam placant; quia cor illorum eſt peruerſum, & à Deo alienum,

9. *Abominatio eſt Domino, &c.* Committitur hic iterum, vt alibi ſæpiſſimè, iuſtus cum impio. Hunc eiuſdemq. ſtudia & mores Deus execratur illum eiuſdemque virtutes & ſtudioſas actiones diligit.

10. *Doctrinamala, &c.* Locus hic apertè docet, eorum doctrinam noxiam eſſe, qui viam veritatis deſeruerunt, quod in hæreticis manifeſtius eſt, quàm vt probari debeat. Admittit alium quoque ſenſum, nempe correptionem, & diſciplinam iis moleſtam & exoſam eſſe, qui iuſtitiæ viam deſeruerunt, & ad carnis voluptates ſe tranſtulerunt.

11. *Infernus & perditio, &c.* Sententia hæc iuſtum timorem iis incutit, qui vias Domini deſerunt, oculos Dei fallere ſe poſſe rati, vel Deum ea ſolùm cognoſcere arbitrantur, quæ fiunt in terræ ſuperficie, aut foris ab homine.

12. *Non amat peſtilens, &c.* Perſtringuntur hoc loco, qui ſacra profanáque omnia derident, falſò perſuaſi ſe ſolos ſapere, nulliúſque adeò conſilio egere, verſantur hi autem in extremo ſalutis periculo; quippe qui neque per ſe ſapiant, neque alios audire, vel adire animum inducant.

13. *Cor gaudens, &c.* Hoc verſiculo admonemur ſapientiæ ſtudioſum animo tranquillo & pacato eſſe debere non mæſto, non turbato, de rebus

caducis

caducis & perituris non nimis auxio. Siquidem hæc omnia sapientię vsum atque progressum impediunt: ad quam stulti non facile attingunt.

14. *Cor sapientis, &c.* Opponitur hic cor sapientis ori stulti. Hoc alit stultitiam, stultitiáque pascitur; illud quærit & inuestigat doctrinam, nullúmque eius rei causa laborem aut molestiam detrectat.

15. *Omnes dies pauperis mali, &c.* Pendent hæc à quibusdam iam ante expositis. Significatur per hæc enim inopem non tam pecuniâ quam scientiâ vitam miseram & tristem ducere, quod verum est. Interim multi pauperes multis diuitibus feliciores sunt; nam qui spe sunt pauperes in perpetua quadam lætitia animique incunditate viuunt, iuxta quod sequitur: *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Mens verò impij in perpetuis curarum fluctibus, crucibus, & perturbationibus versatur.

16. *Melius est parum, &c.* Hinc patet quæ de miseria & malitia paupertatis proximè dicta sunt, non tam ad facultatum inopiam, quam ad virtutum & scientiæ necessarię paupertatem pertinere. Siquidem magnitudo census, iniusti præsertim, magis turbat & vexat, quam beet & recreet.

17. *Melius est vocari. &c.* Affinis est hic locus præcedenti. Nam vt ibi tenuitas opum iustè partarum anteferebatur magnis opibus iniquè comparatis; ita hic tenue frugaléque conuiuium cum caritate & beneuolentia exhibitum præfertur lauto ab inuito vel odio habente præstito.

18. *Vir iracundus, &c.* Hanc sententiam confirmant quotidiana experimenta. Est autem cognata primæ capitis huius gnomæ. Ideo namque vir iracundus excitat rixas, quia sermo durus excitat furorem, sicut sermo placidus suscitatas exstinguit. Monemur per hæc autem non modò iracundiam comprimendam, sed iracundorum quoque consortium studiosè vitandum esse, præsertim in epulis publicisque conuiuiis, de quibus actum est proximè, & in quibus rixæ & lites frequentius nasci solent.

19. *Iter pigrorum, &c.* Opponitur hic viæ pigrorum & improborum via iustorum. Hæc plana, & lænis, & ab offendiculis immunis est; illa contra quasi vepribus obsita, aut spinis strata, aspera est. Hæc rursum est vitiorum & scelerum; illa virtutum & gratiarum: hæc tandem ducit ad vitam; illa ad mortem. Prouerbium significat ignauos ad omne honestum opus inutiles esse neque vllam aut incolumitatis corporis, aut salutis animæ rationem habere.

20. *Filius sapiens, &c.* Similis sententia exstat Cap. x. versu primo, solum hoc differunt, quod ibi docet filium stultum matri tristitiam adferre; hic

re; hic verò matrem despicere, sed in idem redit. Nam ex despectu & stultitia nascitur tristitia: dicitur autem matrẽ aspernari, quia eius monita nihili facit; vel quia non studet eam recreare.

21. *Stultitia gaudium stulto. &c.* Exponit discrimen inter stultum & prudentem. Stultus rebus vanis & stultis videndis, audiendis, & tractandis delectatur; prudens autem gressuum & operum suorum rationem habet: atque ita parentũ monita, quæ stultus studiosè aspernatur, complectitur.

22. *Dissipantur cogitationes, &c.* Monemur hic neminem sibi satis sapere, adeoque qui rectè ambulare volunt, peritiores subinde consulere debere. Cogitationes namque & conatus, qui prudentum consilio non nituntur, facili negotio euanescunt, aut exitus tam infelices sortiuntur, vt melius fuerit, initio statim euanuisse.

23. *Lætatur homo, &c.* Pender hic locus a proximo. Monuerat ibi omnia cum consilio agenda esse; hic porro docet prudentibus consiliariis in magnum gaudium cedere, quando consilium, quod dederãt, prosperè cessisse intelligunt. Est autem gaudium illud iustum. Nam & proximo prosunt, & prudenti consilio fauorem & laudem sibi promerentur.

24. *Semita vitæ, &c.* Locus hic subobscurus est, sensus autem videtur; via vitæ sapientem vel eruditum ad superna trahit, adeoque ab ea abducit, quæ tendit ad ima. Paucis, via vitæ, quæ vtique est virtutum & diuinorum præceptorum, mentem a terrenis erigit ad cælestia.

25. *Domum superborum, &c.* Quæ hic proponuntur eiusmodi sunt, vt magnum superbis & pauperum oppressoribus terrorem incutere; & magnam rursum oppressis omnibus & afflictis consolationem adferre meritò debeant. Mysticè per domum superborum designantur hæreticorum conuenticula, quæ Dominus demolietur, firmabit autem domum viduæ, nempe Ecclesiæ, quæ sponsum suum aspectabili specie præsentem non habet.

26. *Abominatio Domino, &c.* Monemur hîc, vbi prauę & obscenæ exstant cogitationes, ibi nulla honesta exstare verba neque facta, neque consilia. Quare Dominus meritò impuras execratur cogitationes; quippe ex quibus nihil nisi impurum oriatur. Potest autem totus hic locus ad bonos & malos Doctores referri. Discimus hinc quoque non solum de verbis & factis reddendam esse rationem, verum etiam de cogitatis.

27. *Conturbat domum suam, &c.* Hunc locum quotidianus vsus probat. Siquidem in auarorum domibus innumeræ exstant turbæ, & seditiones,

& rixæ

& rixæ. Nihil enim fit, quod illis ſatis faciat. Et ſicut illi totam familiam infeſtant, ita viciſſim infeſtantur ab exteris. At illis, qui ab auaritia & munerum aucupio alieni ſunt, omnia proſperè & ex animi ſententia ſuccedunt. Conuenit hic locus optimè in auaros & ſordidos animarum paſtores & liberales rurſum & ingenuos Eccleſię curatores & Doctores.

Per miſericordiam, &c. Hic verſus ex Lxx. editione petitus eſt, in Contextu Hebræo, & Chaldæo, & emẽdatis exemplaribus Latinis non habetur, continet nihilominus ſententiam piam & veram & alibi in Scripturis plurimum decantatam.

28. *Mens iuſti, &c.* Commendatur hic cordata modeſtáque iuſtorum oratio. Iuſti enim interrogati dant operam, ne quid prępoſterè, aut temere, aut prępoſterè reſpondeant. Noſter Contextus habet: *Mens iuſti meditatur obedientiam.* Siquidem verbum *Ꞓuah* non modo *Reſpondere* ſignificat verum etiam *Obedire*, & *ſe humiliare*, alteri autem obedire humilitatis opus eſſe nemo neſcit.

29. *Longè eſt Dominus, &c.* Docet impios & iuſtos hoc inter ſe differre, quod Deus his propinquus ſit, precéſque eorum audiat; ab illis autem procul abſit, neque illorum vota exaudiat.

30. *Lux oculorum, &c.* Monet hic locus magni referre, quid audiamus & videamus. Quæ enim per hos ſenſus hauriuntur, magnum ad virtutes & vitia momentum adferunt. Oculi autem, qui vident bona, & aures, quæ hauriunt ſalutaria, eáque quæ ſunt bonę famæ, lætificant animam, & oſſa impinguant.

31. *Auris quæ audit. &c.* Docetur hic medium ad comparandam ſapiéntiam pereſficax, ſcilicet audire vitales & ſalutares increpationes.

32. *Qui abiicit diſciplinam, &c.* Confert inter ſe auditores & contemtores diſciplinæ. etenim qui diſciplinam & increpationem deſpicit, deſpicit animam, ſalutémque ſuam: qui autem recipit, virum cordatum prudentémque ſeſe oſtendit.

33. *Timor Domini, &c.* Inſinuatur hîc timorem Domini ſalutarem caſtigationem includere cauſamque eſſe vt quis ſapiens euadat, tum modeſtiam quoque & humilitatem viam ad gloriam munire.

PARA-

PARAPHRASTICA CAPITIS SEXTI DECIMI EXPLANATIO.

1. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.*

HOminis diuinâ gratiâ excitati, est præparare cor & animum, meditaríque & cogitare quid, quomodo, quatenúsue loqui conueniat, vel expediat; at cogitata commodè efferre, id opus est Dei. Deus itaque & bona consilia suggerit, & auxilium, vt quæ animo concepisti, in communem vsum commodè efferas, subministrat. Nam vt millies quis cogitet, quomodo conuenienter dicat, attamen numquam conatus feliciter succedet, nisi Dominus linguam & reliqua locutionis & actionis organa moderetur. Qui proinde humiliter orandus est cum ab aliis, tum maximè ab iis, qui publicas conciones ad populum habituri sunt.

2. *Omnes viæ hominis patent oculis eius: spirituum ponderator est Dominus.*

OMnes viæ viri omniáque eiusdem opera & cogitata manifesta sunt in oculis Dei, quippe cum nihil exstet, quod eum lateat, aut latere queat. Quare non tantum rerum crassarum & corporatarum ponderator est, sed omnium quoque spirituum & motuũ cordis. Sunt sanè non pauci qui sibi mundi videntur, déque sua munditia gloriantur, quos tamen Deus, qui intima hominis sensa penetrat, immundos iudicat, & veluti impuros condemnat. Interim viæ viri verè mundi in oculis illius, qui disponit spiritus, vt propositum finem consequantur, semper sunt gratæ atque acceptæ.

3. *Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.*

CVm igitur res ita se habeat, caue aliquid operum tuorum Deum celare instituas; quin potius omnia illi syncerâ confessione patefacias; maximè verò illa, quæ conspectum illius horrent, vt sunt peccata. Siquidem nihil æque illum placat, atque humilis erratorum confessio, sed & bona omnia, quæ habes integrè ad ipsum deuoluas, ipsique accepta feras. Paucis totus quantus es ab ipso pendeas. Quod si feceris, omnes cogitationes, omnésque conatus tui prosperè cedent, ritéque stabilientur.

4. *Vniuersa*

4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum.*

OMnia propter se ipsum, suámque bonitatem & gloriam operatur, & iam olim operatus est Dominus; neque enim ab vllo compulsus est, sicut nec compelli quoque potuit, vt cœlum vel terram crearet, vt hoc vel illud opus ederet vel patraret. Nec iustum tantúm ad misericordiæ suæ ostensionem condidit, sed impium quoque ad diem malum & vltionis reseruauit. Non condidit sanè impium Deus, cum nullius peccati ipse sit auctor, verum ad ostendendam iustitiam suam, hominem à se creatum in impietatem prolabi & interire permisit, subindéque permittit: sponte autem prolapsos, nisi resipiscant, in diem malum & vindictæ ordinat & asseruat: sed & iustos quoque in hac vita per iniustos sæpe exercet & expiat; vt hac quoque ratione corpori Ecclesiæ mali sint vtiles.

5. *Abominatio Domini est omnis arrogans, etiamsi manus ad manum fuerit non est innocens.*

OMnis arrogans cordéque elatus, execrabilis est apud Dominum. Quare suo tempore & quidem citò pœnam factis suis dignam luet; etiamsi plures in suam societatem adsciuerit, iunctisque dexteris mutuæ defensionis fœdus cum iis iniuerit. Nemo proinde existimet, se ob id coram Deo insontem impunémue futurum, quod multos suæ factionis colligant socios. Dei enim manus nullâ potentiâ potest coërceri aut cohiberi, quò minus in sontes & peccatores, quando illi visum fuerit, sæuiat, & maximè in superbos & arrogantes, quos prę ceteris odio habet. Vel certè arrogans manus ad manum non erit innocens, quia subitò citráque vllam moram punietur.

Initium viæ bonæ, facere iustitiam: accepta est autem apud Deum magis, quàm immolarę hostias.

INitium & quasi caput bonæ vitæ est, facere iustitiam, studere iustitię, sectari æquitatem, vnicuique, quod suum est, tribuere, neminem lædere. Eiusmodi enim actiones magis placent Deo, quam quæcumque victimæ & sacrificia citra iustitiam oblata.

6. Misericordia & veritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinatur à malo.

FIli, si Deum per superbiam, vel aliud quodcumque peccatum offendisti, animum ne despondeas; verum ad opera misericordiæ & caritatis officia ex animo te conuertas. Siquidem per opera misericordiæ, quæ ex vera fide & caritate oriuntur, expiatur omnis iniquitas, omnéque peccatum & delictum. Qui enim misericordiam studiosè & religiosè exercent misericordiam consequentur, nec cum impiis ad diem malum venient. Quod si nullius grauioris sceleris tibi conscius es; metuis tamen ne, quæ humanæ naturæ fragilitas est, in aliquod forte incidas, Dei timorem eiusdemque iudicia ob oculos continuò pone, & facili negotio peccatum euades. Timor namque Domini suâpte naturâ prudentes saltem absterret à peccato.

7. Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.

SI cum hominibus pacem & amicitiam inire, initamque constanter retinere & conseruare desideras, cum Deo pacem habeas oportet. Etenim cum homo vitæ suæ rationes ita instituit, vt Deo sint gratę & placitæ, illius fauore & gratia id consequitur, vt nullus hostis facile ipsi nocere queat. Cum enim mortalium omnium corda in manu & arbitrio Dei sint posita, illorum pectora, qui cultoribus eius aduersari, perniciémque iisdem moliri videbantur, conuertit ad pacem & amicitiam, efficitque ne amici sui à quopiam externo, vel interno hoste facile lædantur. Exempla huius rei Scriptura suppeditat plurima.

8. Melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate.

VT satius est exiguâ ornatum esse scientiâ, vel alio quocumque naturali vel gratuito dono, cum vera virtute & animi submissione, quàm magnâ affluere istiusmodi rerum supellectile cum superbia & arrogantia: ita melius quoque est modicas opes obtinere cum iustitia & æquitate, quàm magnas diuitias per vim & iniquitatem extortas, nullóque iusto titulo occupatas.

9. Cor

9. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.*

VT hominis est de rebus ad vitæ statum salutémque vtilibus & opportunis, quod in se est, cogitare & deliberare, & vt eas consequatur, conatum in medium afferre; ita Dei est eiusdem conatum promouere, opusque quod solius naturæ viribus explere non poterat, per suam gratiam ad finem perducere. quamuis enim bonum velle & perficere, Dei opus haberi dicique soleat, non est tamen illius solius, sed Dei & hominis simul. Nam vt homo saluus fiat, non sat est Deum illud velle, sed opus est præterea vt ipse quoque velit, modò tamen eius ætatis & status sit, vt velle possit.

10. *Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius.*

STandum omnino & obsequendum est Regum & Iudicum sententiæ; quippe quorum dicta sunt veluti diuina quædam oracula, eúmque in modum comparati sunt illi, vt in legitimo iudicio errare non facile soleant. Nam etsi extra iudicium interdum hallucinentur & impingant, vel impingere certè queant, in iudicio tamen, si diligentiam adhibent, æquum & iustum, propter peculiarem Dei synergiam & assistentiam plerumque pronunciant.

11. *Pondus & statera iudicia Domini sunt: & opera eius omnes lapides sæculi.*

NEque solum legitimis Regum & Iudicum sententiis parẽdum est, sed iusta quoque mensura & pondere vtendum est; nam vt Deus à Regibus & Iudicibus exigit iudicij candorem & æquitatem; ita à ceteris omnibus tam in actibus quàm in contractibus iustitiam & æquitatẽ. Neque enim alia de causa prudentibus hominibus stateræ reliquorúmque ponderum & mensurarum vsum suggessit, quam ne alter alterum in quarumcumque rerum distractione, aut permutatione circumueniret. Siquidem iustæ staterę & pondera non solum à Deo sunt præcepta, verum ab eodem quoq. ad nos deriuata; Omnes namque lapides crumenæ, hoc est, omnes mensuræ & pondera illius sunt opus & beneficium.

12. *Abominabiles regi qui agunt impiè: quoniam iustitia firmatur solium.*

NEque iniquum pondus, omnémque aliam iniquitatem, & impietatem Deo tantum exosam esse existimes, verum etiam Regi & Principi; vt

cipi; vt qui Dei vice in terris fungatur. Dei enim minister est, à quo pro inde, & gladium, & omnem aliam potestatem accipit. Eapropter omnes impietates, omnésque qui impietatem operantur meritò apud Regem execrabiles sunt; non ob id solùm, quod Dei personam sustineat, adeoque Domino suo conformare sese debeat, verum etiam quia per iustitiam & pietatem, aliáque eiusmodi regni solium firmatur; per iniustitiam vero & impietatem funditus euertitur.

13. *Voluntas regum labia iusta: qui recta loquitur, dirigetur.*

PORro autem vt probi Reges execrantur impietatem ósque dolosum, & linguam mendacem; ita è diuerso labia fidelia & iusta diligunt & amplectuntur, omnésque qui iusta & recta loquuntur. Nam cum populum iustè gubernare, controuersiásque, quæ in illo subinde oriuntur, per se vel alios diiudicare ac dirimere debeant; nihil æque est illis necessarium atque iusta & fidelia ministrorum & subditorum labia. Siquidem per adulationes falsásque delationes omnia dissipantur & euertuntur.

14. *Indignatio regis, nuntij mortis: & vir sapiens placabit eam.*

NON est autem res parua Regem per impietatem, aut vanam doloſamque linguam aut per quamcumque aliam vitæ labem ad iustam iram & indignationem prouocare. Siquidem Regum indignatio & furor est instar nuncij mortis. Nam cum penes illos vitæ mortisque potestas statim indictâ causâ in vindictam prorumpant. Interim licet Regum indignatio grauis & periculosa sit: attamen blandâ prudentique oratione placari atque restingui potest, idque quotidianæ experientiæ fides probat, & Scriptura non vno exemplo confirmat.

15. *In hilaritate vultus regis, vita & clementia eius quasi imber serotinus.*

QVemadmodum autem Regis indignatio est instar mortis & exterminatoris; ita versâ vice vultus illius hilaritas, lux, atque serenitas est instar vitę. Quos enim Reges lęto vultu intuentur, blandéque & familiariter alloquuntur, si ante in luctu & mœrore iacebant, tantâ mox animi lętitiâ & voluptate perfunduntur, vt certâ quâdam ratione è morte ad vitam reuocati videri queant. Eorumdem rursum clementia, fauor, & gratia, est quasi imber serotinus, aut nubes grauida tempestiuam pluuiam effundens.

effundens. Vt enim eiusmodi imber lętificat & vegetat terram, agricolasq. mirificè recreat; ita Principum beneuolentia omnem ex animo mœrorem dispellit, ingénsque gaudium animo malè ante affecto conciliat, & magnorum sæpe donorum & beneficiorum caussa existit. Iam si terrenorum Regum indignatio & fauor tantum potest, quid non poterit Regis Regum Christi?

16. *Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.*

ANte omnia, fili, compara sapientiam; siquidem multò satius est possidere sapientiam; quàm quodcumque aurum & longè rursum prę-stabilius est acquirere prudentiam & intelligentiam, quàm possidere electum argentum, quandoquidem sapientia hominis animum verè beat & ditat, quod pecunia nulla potest, nec per furta aut vim auferri potest, vt fortunæ bona solent, neque possessorem suum grauat, aut anxium vel sollicitum reddit, vt diuitiæ assolent; sed subleuat & recreat, & tutum vbique efficit, etiam inter medios hostes & arma. Nam & Regum iram placat, quod pecuniæ vel non queunt, vel ægré admodum.

17. *Semita iustorum declinat mala, custos animæ suæ seruat viam suam.*

VIA iustorum, hoc est, studium vitæque institutum, cui iusti & recti de industria incumbunt, est declinare à malo, omnéque peccatum, quoad eius fieri potest, euitare: siquidem prima iustitiæ pars & quasi fons est, recedere à malo. Neque viri iusti difficile id consequuntur. nam consuetudo benè agendi firmumque propositum rectum vitæ iter tenendi, quod difficile alioqui videbatur, facile reddunt; neque rem parui momenti esse putes vitæ viam rectè (ne videlicet ad dexteram vel sinistram deflectatur) tenere, constantérque & accuratè obseruare. Qui enim custodit viam suam, custodit animam suam; qui autem animam à peccato custodit, salutem & vitam æternam certò consequitur.

18. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.*

OMnis ruinæ omnisque calamitatis & perditionis caussa est superbia mentisque elatio. Nam etsi Deus ad aliorum exemplum, vel ad illorum quoque meritum & probationem iustos nonnumquam puniat, iniustos tamen & peccatores ante peccatum patratum punire non solet. At-

qui prima omnis peccati radix est superbia mentisque elatio (neque enim vllus vnquam peccaret, nisi suam voluptatem, aut voluntatem maioris faceret, quàm Dei legem & voluntatem) Ast magna citra controuersiam superbia & arrogantia est Dei legi & voluntati submittere sese non velle, suamque voluntatem Dei voluntati anteferre.

19. *Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis.*

CVM igitur superbia certam ruinam, animique perditionem adferat, satius est spiritu totóque animi sensu cum mansuetis & humilibus se ipsum demittere & humiliare, quàm cum superbis elatisque hominibus spolia, quæ per vim aut fraudem mitibus adempta sunt, non absque exultatione & gloriatione æquâ portione diuidere. Etenim iniuriam iniustò illatam patienti animo ferre, res est quæ certam parat gloriam vitámque beatam; inferre autem graue semper est peccatum certæque damnationi obnoxium.

20. *Eruditus in verbo reperiet bona: & qui sperat in Domino, beatus est.*

QVI vnamquàmlibet rem iuxta naturam & qualitatem suam prudenter expendit; adeóque interiora animi bona, cuiusmodi sunt humilitas, mansuetudo, aliæque virtutes, maioris facit, quàm quæcumque externa fortunæque ludibrio exposita commoda, neque quidquam temerè aggreditur, sed omnia cum certa & matura deliberatione, ille inueniet bonum nimirum hîc gratiam, & illic vitam æternam, certumque sui conatus fructum. Interim prudentior & beatior censendus est, qui spem suam collocat in Domino, quàm qui propriâ virtute aut prudentiâ, aut quocunque priuato conatu vel industria nititur. Nam ad felicem cuiusvis rei effectum non sat est prudens consilium, aut matura deliberatio, sed opus est præterea peculiari Dei ope & auxilio.

21. *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: & qui dulcis eloquio, maiora reperiet.*

QVI sapiens est corde, Catholicæque fidei doctrinam, quam semel hausit, illibatam in corde custodit, prudentis nomen meritò sortitur. Quod si verò eloquentiam, sermonisque gratiam & venustatem sapientiæ addiderit, aliósque quæ ipse didicerat, fideliter docuerit, & suam ipsius doctrinam augebit, & ampliorem apud Deum mercedem cõsequetur. Idem

continget illi, qui diuinæ ſapientię humanam adiunxerit, operéque, quod animo tenet, expreſſerit. Siquidem cognitio citra actionem eſt mutila & imperfecta; ſicut diuinorum quoque ſcientia, abſque vlla prorſus prudentia humana; maximè ſiquis diuina publicè eſt docturus.

22. *Fons vitæ eruditio poſsidentis: doctrina ſtultorum, fatuitas.*

ERuditio & ſapientia viro ſapienti & erudito (ſi modo commodè & opportunè iis vtatur) eſt inſtar fontis vitæ perenniſque ſcaturiginis. Nam vt fons ſibi ipſi, & aliis quoque aquam ſubminiſtrat, (neque enim deſtuxu ſuique communicatione exhauritur, ſed auctior limpidiorque redditur) ita ſapientia quoque & eruditio ea erudito & ſapienti præſtant, vt & ipſi ſtudiosè viuant, & aliis nihilominus, per doctrinam ſpiritalem vitam ſubminiſtrent. At verò doctrina ſtultorum, quâ ſe gubernant, déque agendis & credendis tractant, aliud nihil eſt quàm mera fatuitas; neque enim aliud effundere poteſt homo, quàm illud quod in corde fouet. Cum ergo ex abundantia cordis os loquatur, fit vt ſtultus ſtulta, ſapiens contra ſana veræque ſapientiæ conſentanea loquatur. Quamobrem rectè ſubiungitur

23. *Cor ſapientes erudiet os eius, & labiis eius addet gratiam.*

COR ſapientis erudit os eius prudénſque & cautum illud efficit. Eiusmodi enim cor ſuggerit illi quid, quando, quomodo, & quatenus loqui debeat. Idémque labiis eius gratiam & doctrinam, hoc eſt, eruditum cultumque ſermonem ſuggerit. Qui enim ſolidè doctus, rectámque Scripturarum intelligentiam nactus eſt, eruditum exprimit ſermonem, & iuxta reconditam animo ſapientiam, verba pia & erudita depromit, quotidiéque maiora ſapientiæ præſidia acquirit. Scientia enim vſu, familiarique ſui communicatione creſcit.

24. *Fauus mellis compoſita verba, dulcedo animæ ſanitas oſsium.*

VErba venuſta ornatéque compoſita ſunt inſtar faui mellis: nam vt fauus mellis ſuauis eſt palato, corporique ſalubris, ita ornata eruditi doctoris vel concionatoris verba auditorum auribus apprime ſunt grata, animæque comprimis ſalutaria. Atqui huc ſpectat, quod eiusmodi compoſitam orationem animæ dulcedinem, oſſiúmque ſanitatem appellet; (per oſſa autem duriores corporis partes, aut vegetiores certè animæ

vires

vires designantur) aut *verba composita* ob id *animæ dulcedinem ossiumque sanitatem* vocat, quia & animam recreant, & audientium corpus non fatigant.

25. *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.*

EST via, hoc est, viuendi quædam ratio, quæ homini videtur recta & salutaris, & tamen non est; quia nouissima illius ducunt ad mortem. Hoc autem falsum præposterumque iudicium procedit ex praua animi affectione, aut ex deprauata viuendi consuetudine: nam vt quisque affectus est, ita de rebus iudicare solitus est. Quamobrem qui hoc incommodum incidere non volet, aut prauos animi morbos exuat oportet, aut viros certè doctos, & sapientes consulat necessum est.

29. *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.*

ANima laborantis, hoc est, homo externo labori incumbēs, manuúmue labore vitam tolerans, in rem suam laborat, & necessitate quâdam adactus laborat. Nam præterquam quod scriptum exstat: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, & alio loco: *Qui non laborat, non manducet*, etiam os illius escam suppliciter expetens, eum ad laborem quodammodo compellit. Et quemadmodum qui honesto labori insudat, in rem suam insudat; ita quoque qui improbè & iniquè agit, in suum vulnus & liuorem iniquè agit. Siquidem vnusquisque onus suum portabit & quod in corpore seminauerit, hoc & metet.

27. *Vir impius fodit malum, & in labiis eius ignis ardescit.*

VIR impius déque industria improbitati deditus, studiosè inquirit & versat malum: neque minus laborat vt improbum aliquod facinus excogitet, ipsóque opere exprimat, quàm illi solent, qui aurum fodiunt laboriosèque perquirunt. Idem maledicentiam veluti ignem omnia latè inflammantem & incendentem labiis circumfert, hoc est, totus in hoc est, vt falsâ delatione iniquáque criminatione & susurratione lites atque discordias inter coniunctos & fratres disseminet, quod genus hominum est teterrimum, reipublicæque longè perniciosissimum.

28. *Homo peruersus suscitat lites, & verbosus separat Principes.*

VIR peruersus (cuiusmodi est, qui studio omnia etiam optimè dicta vel facta peruertit, & in deteriorem partem rapit) suscitat dissidia & lites.

& lites. Eſt enim ex illorum grege, qui ignem ardentem, diſcordiarumque fomitem in lingua inſidentem habent, de quibus proximè dictum eſt. Eſt idem impudens nugator & garrulus, improbuſque delator & ſuſurro; paucis, eſt talis, qui venenatâ linguâ non modò homines priuatos à ſe inuicem diuellit, & in alienationem conijcit, verum etiam principes viros ſeparat, & contra ſe inuicem armat. Idque ingenti populi malo & incommodo.

29. *Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam.*

DEnique vir iniquus & improbus non eſt contentus ignem labiis circumferre, inter amicos diſcordias ſerere, Principes falſis delationibus & commentis contra ſe inuicem inflammare, verum etiam amicum per fraudem circumuenire, & à recta virtutum via ad vias non bonas abducere contendit. Gaudent enim impij & ſcelerati homines cum multos nacti ſunt ſui ſimiles. Contingit autem ſeductio illa non ſolum verbis, verum etiam nutibus, promiſsis, multiſque aliis modis. Eſtque malum hoc eò grauius, quò cadit non in hoſtem, ſed in amicum.

30. *Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia ſua perficit malum.*

QVI oculis clauſis, & quaſi attonitis mala animo verſat, labiáque inter meditandum mordet mouetque, hunc tu caueto. Siquidem ſcelus, quod meditatur primâ oblatâ occaſione perficiet. Quamuis enim externa eiusmodi ſigna & geſtus non ſunt certa & euidentia interioris hominis indicia, ſunt tamen probabilia. Rarò enim qui labia mordent, & meditabundi & quaſi attoniti ſedẽt, boni aliquid in animo habent. Quamobrem cauendi ſunt potius, quàm familiariter habendi.

31. *Corona dignitatis ſenectus quæ in viis iuſtitiæ reperietur.*

SEnectus capitiſque canicies non quæuis, ſed quæ iuſtitiâ, prudentiâ, aliiſque virtutibus & donis ornata eſt, ea demum eſt corona dignitatis, hoc eſt, ſeni ſummum adfert ornamentum, decus, & gloriam. At ſtolida flagitiiſque contaminata, probrum potius conciliat quàm ornamentum. Ceterum vt iuſtitia ſenectutem commendat & ornat, ita eandem quoque ferè generat. Rarò namque improbi & ſcelerati homines ad ſeniles annos perueniunt.

32. *Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

ETsi bellica fortitudo magni fiat, & inter corporis virtutes primas ferè obtineat. Magni enim vbique fiunt, qui potentem hostem in triumphum ducunt, aut validam hostium aciem viribus perfringunt; attamen multo fortior multóque illustrior censendus est; qui inconcinnes animi motus moderari, & expugnare nouit, quàm qui hostem debellat, aut ciuitates expugnat; quippe cum multo difficilius sit animi impetus sistere & coërcere, quàm hostium aciem perrumpere. Hac autem fortitudinis laude non caret prudens & iusta canicies, tametsi corporis viribus destituatur. Est autem hîc sermo non de hac vel illa animi perturbatione, sed de quauis promiscuè.

33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.*

VErum enim vero licèt maius quiddam sit coërcere propriam iram, aliásque animi perturbationes moderari, quàm vrbes expugnare, vtrumque tamen Dei donum est; quippe cum absque illius nutu & dispensatione in humanis nihil geratur; nec vllæ omnino sortes præter illius voluntatem & beneplacitum prosperè cadant. Quamuis enim fortuna in multis dominari videatur, nec vlla reddi possit ratio, cur hoc vel illud hoc vel illo modo eueniat, nihil tamen fit citra diuinum iudicium; Dominus enim occultâ quâdam vi & æquitate moderatur omnia. Quare rectè hic legitur: *Sortes, in sinum mittuntur sed à Domino temperantur.*

AD CAPVT DECIMVM SEXTVM SCHOLIVM.

1. HOminis est animam, &c. Ex hoc loco falsò quidam collegerunt, hominem sine gratia Dei præparare se posse ad gratiam, & bona quęuis inchoare, sed non perficere: quæ interpretatio aduersatur illi Saluatoris: *Sine me nihil potestis facere*, Ioan. xv. & illi Paulli II. Cor. III. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis.* Homo ergo se prępparat, sed gratia Dei præuentus & excitatus. Vtrobique

ergo

ergo opus eſt gratia Dei, & in præparando vel cogitando, quid dicendum vel agendum ſit, & in perficiendo. Sed interim liberum arbitrium non eſt otioſum, verum ſimul cum Chriſti gratia operatur. Diſcimus hinc quoque difficile eſſe ſalutarem & vtilem ad populum concionem habere, niſi Deus linguam mouerit & direxerit.

2. *Omnes viæ, &c.* Secundum Editionem noſtram docetur hic Deum nullas hominum cogitationes ignorare, verum omnia ipſi nuda & aperta eſſe, id quod alibi quoque traditur. At ſecundum Hebræum Contextum, qui ita habet: *Omnes viæ viri mundæ ſunt in oculis eius*, ambiguus eſt ſenſus; vel enim innuitur cuiuis homini ſua opera ſuaſque cogitationes placere, nec non in oculis ſuis munda haberi, cum tamen in oculis illius, qui ponderat, Spiritus ſæpe non ſunt munda: vel certè vias viri mundi & innocentis acceptas eſſe in oculis illius, qui præparat & diſponit, Spiritus.

3. *Reuela Domino, &c.* Monemur hic vt ea cogitemus, & dicamus, & faciamus, quæ diuinum conſpectum vel notitiam non vereantur: tum ſi in quod forte peccatum inciderimus, vt illud coram Deo humiliter confiteamur, veniámque precemur. Quod ſi cum Hebræis legamus: *Deuolue opera tua ad Dominum*, admonemur, vt toti à Deo pendeamus, cunctáque bona quæ fecimus, illi accepta feramus, nec non ad illius honorem referamus.

4. *Vniuerſa propter ſe ipſum, &c.* Docetur hic Deum omnia facere, & operari, non propter noſtra merita, ſed propter ſuam ipſius gloriam & bonitatem, hoc eſt, propter ſe ipſum tanquam vltimum omnium finem. Quidam exponunt, Omnia operatus eſt propter ipſum, nempe iuſtum, etiam impium, quem reſeruat in diem malum. Nam dum impius virum iuſtum affligit à peccatis illum expiat.

5. *Abominatio Domini, &c.* Similis locus exſtat Cap. II. Verſ. xxi. Significatur autem Dominum execrari omnem ſuperbum & corde elatum; interim hominem arrogantem & ſuperbum non fore impunem, vtcumque multos ſocios in conſortium aſciuerit, ſed tempeſtiuè pœnas promeritas daturum.

Initium viæ bonæ, &c. Hic locus petitus eſt ex Lxx. Editione, nam in Contextu Hebræo non habetur, neque in vetuſtioribus quoque Codicibus Latinis. Docet autem initium bonæ vitæ eſſe facere iuſtitiam, hoc eſt, dare eleemoſynam, illudque apud Deum acceptius eſſe, quàm offerre victimas.

6. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas, &c.* Non multum discrepat hic locus à proximè exposito. Significat enim per opera misericordiæ, & pietatis officia expiari peccata, iuxta illud: *Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur.* Quemadmodum autem peccata facta per opera caritatis redimuntur, ita per timorem Dei, ne fiant, impediuntur. Timor enim Dei efficit, vt homo declinet à peccato & culpæ malo.

7. *Cum placuerint, &c.* Docetur hic optimum ad pacem cum omnibus habendam compendium esse bonam vitam. Siquidem qui Deo ex animo seruiunt, eidémque grati sunt, Deo auctore cum omnibus pacem obtinent, etiam cum hostibus & inimicis. Tum bonum pacis ex Dei nutu & voluntate potius pendere, quàm ex hominis conatu & studio. Ipse enim est qui quocumque voluerit temporis momento in pacem & amicitiam conuertere potest.

8. *Melius est parum, &c.* Hæc sententia clara & iam ante exposita est. Mysticè significatur satius esse habere modicam scientiam cum vera humilitate, quàm magnam cum superbia & arrogantia. Redditur autem hoc versu aliqualis ratio versus præcedentis. Ideo namque inter homines versantur discordię & lites, quia pleriqúe sorte suâ non contenti, per vim vel iniquitatem opprimunt & spoliant alios: hinc iam lites & contentiones.

9. *Cor hominis disponit, &c.* Hæc sententia haud multum dissidet à primo Capitis huius versiculo. Nam & hic quoque significatur hominem posse quidem de rebus suis cogitare: attamen Domini esse opus conceptum ad finem perducere, etsi interim vtilis quoque & salutaris cogitatio sine Deo non concipiatur. Admonemur hic autem de duobus, nempe de voluntatis nostræ libertate, & diuinæ gratiæ necessitate.

10. *Diuinatio in labijs, &c.* Monet hic locus Regibus & Iudicibus obsequendum, maximè quod & publicâ auctoritate fungantur, & in publico & legitimo iudicio facile errare soleant.

11. *Pondus & statera, &c.* Vt Deus a Regibus & Magistratibus exigit iustum iudicium, ita à priuatis omnibus iustum pondus æquámque mensuram. Sensus autem est, pondus & statera iusta sunt Domini, vel à Domino: ipse enim ea fieri iussit, eorumdémque vsum homini suggessit. Deniqúe omnia opera Domini sunt pondus & mensura, hoc est, iustissima & æquissima.

12. *Abominabiles Regi, &c.* Subiunguntur hic quattuor ordine documenta, quę pertinent ad Regem. Horum primũ docet, quid illi displiceat:

secundum

fecundum quid placeat: tertium quid illius ira posit: quartum quid eiusdem gratia & beneuolentia valeat. Primò igitur Rex iustus execratur omnem impietatem, & omnem itidem impium, eóque odio regnum suum admirabiliter confirmat.

13. *Voluntas Regum, &c.* Admonet Regibus bonis & iustis verba vera & labia iusta inter cetera maximè placere, nec iniuriâ. Siquidem illa sunt ijs admodum necessaria. Nihil enim æquè nocet Regi & regno atque adulatores, mendacésque & varij consiliarij. Qui igitur bonorum Principum fauorem quærit, ferat labia iusta, & loquatur recta, & omnem caueat impietatem, & adulationem.

14. *Indignatio Regis, &c.* Nequis parui faciat Reges offendere, docet hic quàm terribile sit principem virum ad iustam iram & indignationem prouocasse. Neque enim aliud est grauis Regis ira & indignatio, quàm certæ mortis internuncia. Interim sapientis oratio earum est virium, vt incensos Reges mitigare queat.

15. *In hilaritate vultus, &c.* Explicatur hic vis gratiæ & beneuolentiæ Regis indicijs externis declaratę. Etenim vt in Regis indignatione posita est mors: ita in illius hilaritate vultúsque eiusdem serenitate vita. Est autem perelegans, & ad rem peropportuna similitudo de imbre serotino, & pluuia diu multúmque propter terræ siccitatem exspectata.

16. *Posside sapientiam, &c.* Docuit paulò ante sapientiam Regum iram placare posse, & sæpe quoque placare: hic autem illam omnibus rebus potiorem tradit, eámque adeo & prudentiam omni auro & argento anteferendam. Tum quod per hasce fiat, quod per nullas pecunias fieri poterat; tum maximè quod solæ diuitem beatúmque reddunt.

17. *Semita iustorum, &c.* Docetur hic rectos (cuiusmodi sunt qui animum ad bene beatéque viuendum ritè componunt) à malo, quod iustitiæ principium est, declinare solere. Ceterum vox *Mesillath* non quamvis viam significat, sed stratam, sublatam, benéque tutam & planam.

18. *Contritionem præcedit, &c.* Docet superbiam contritionem antecedere, hoc est, neminẽ prius à Deo conteri, aut omnino euerti, quàm per iniquam elationem id promeritus fuerit. Omnis enim ruinæ, cladis, & calamitatis causa est superbia, vna hæc dæmonem & ipsum quoque Adamum euertit.

19. *Melius est humiliari, &c.* Hic locus rationem reddit versiculi proxime precedentis. Certum est enim, si mentis elatio est causa ruinæ & per-

ditionis, vtilius esse se humiliare cum mitibus, quàm spolia partiri cum superbis. Bene autem committit mites cum superbis spolia diuidentibus, quia mites & humiles sua sibi iniustè auferri patienter ferunt: superbi autem mites per vim & iniustitiam sæpe spoliant.

20. *Eruditus in verbo, &c.* Qui interna animi bona maioris facit, quàm quæcumque bona externa; vel qui mauult humiliari cum mitibus, quàm spolia diuidere cum superbis, ille inueniet bona, nempe viuentium terram. Idem obtinget illi, qui rem, quam aggredi vult, maturo consilio benè ante expendit. Interim melius est semper spem suam in Dominum conijcere, quàm suæ prudentiæ suísue viribus nimium fidere.

21. *Qui sapiens est corde, &c.* Monet hic prudentem intelligentémque haberi, qui sapientiam cum eloquentia coniunctam habet. Siquidem sapientia sine eloquentia parum potest, sicut è diuerso quoque eloquentia sine vera sapientia sæpe magis obest, quàm prodest. Ceterum sapientiam alij referunt ad notitiam, prudentiam ad praxim; alij sapientiam ad rerum diuinarum cogitationem, prudentiam autem ad literas humanitus traditas. Nam hæ quoque futuro Theologo apprime sunt necessariæ.

22. *Fons vitæ, &c.* Committitur hic eruditio & doctrina sapientum cum eruditione & doctrina stultorum. Horum scientia & sapientia aliud nihil est, quàm mera fatuitas, illorum sapientia est instar fontis vitæ, non ipsis tantùm sed aliis quoque.

23. *Cor sapientis, &c.* Commendat eruditi cordis officia & munia. Nam suggerit sapienti quid, quando, quantũ, quomodo, & coram quibus loqui debeat, & miris modis orationem illius exornat, concinnámque reddit.

24. *Fauus mellis, &c.* Comparantur hic verba dulcia & commoda fauo mellis, id quod perfamiliare est in Scripturis.

25. *Est via quæ videtur recta, &c.* Hæc sententia explicata est iam ante, Cap. nimirum xiv. Vers. xi. repetitur hic autem, quò fixius hæreat. Siquidem philautiæ morbus quàm plurimos transuersos agit. Conuenit in hæreticos & in omnes qui specie virtutis se ipsos deludunt.

26. *Anima laborantis, &c.* Hic locus propter ancipitem verbi Hebræi *Ngamal* notionem geminum sensum admittit. Primus est: Quicumque laborant, seséque fatigant, victus propriiqúe questus causa laborant; siquidem os vel venter cibum postulans compellit ad laborem. Alter est: quicumque

cumque iniquèagit, onus ſuum eſt portaturus, próque meritorum ſuorum ratione ſupplicium accepturus.

27. *Vir impius, &c.* Vt verſiculis proximè antecedentibus egit de fructibus labiorum viri iuſti & ſapientis, ita hoc & ſequẽtibus nonnullis diſſerit de incommodis, damnis, & peſtibus, quæ impiorum labia inferunt. Docet ergo impios ſtudio ad mala rapi ignémque labiis ſuis circumferre, quo non minus vrunt & offendunt, quàm ignis flamma ſolet.

28. *Homo peruerſus, &c.* Cognatus eſt hic locus proximè expoſito. Tradit autem hominem mentis linguæque peruerſæ iras ſuſcitare, rixas mouere, inter Principes diſcordias diſſeminare, paucis, omnia, quæ videt vel audit, peruertere, & in malam partem transferre. Quadrat hæc ſententia, vt proximè præcedens quoque, exactè in hæreticos & Apoſtatas. Nam & pacem Eccleſiæ turbant, & Principes a ſe inuicem alienant, & priuatas quoque familias lacerant.

29. *Vir iniquus lactat amicum ſuum, &c.* Aliud hic linguæ vitium exponitur, nempe blandis magniſque promiſsionibus, adulatoriiſque verbis amicum in fraudem & perniciem abducere, & à via virtutis ad vitiorum deuia abripere.

30. *Qui attonitis oculis, &c.* Monet hic locus candidè cum homine amico agendum eſſe, non doloſè, non fucatè, maximè quod doloſi fucum ſuum ita colorare non poſsint, quin indiciis, ſi non omnino certis, probabilibus certè tandem deprehendetur. Siquidem oculos claudere, labia mordere, aut comprimere, capite innuere, aliáque eiusmodi ſemper aliquid portendunt. Poteſt autem, quod hic docetur, ad vnum vel duo membra referri. Ad duo, ad hunc modum: Qui clauſis & attonitis oculis ſedet, is cogitat mala; rurſum: Qui mordet labia accinctus eſt vt patret mala. Ad vnum ita: Qui malum aliquod patrare conatur, primũ clauſis oculis meditatur, mox mordet labia, quaſi iam ad patrandum ſcelus paratus.

31. *Corona dignitatis, &c.* Commendat canam ſenectutem iuſtitia & ceterarum virtutũ ornamentis exornatam. Eiusmodi enim meritò vocatur *Corona dignitatis*: ſiquidem non ipſi tantum ſeni, ſed toti quoque reipubl. ornamentum & decus adfert.

32. *Melior eſt patiens, &c.* Inter virtutes, quæ magis ad corpus quàm ad animam ſpectant, primatum obtinet fortitudo. Interim fortior eſt qui vincit inordinatos animi motus, quàm qui hoſtem in triumphum agit.

33. *Sortes*

33. *Sortes mittuntur, &c.* Hæc ſententia cum proximè expoſita cognationem habet. Significatur hac enim, licet maius quiddam ſit ſpiritum domare, & ſe ipſum vincere, quàm ciuitates expugnare, vtrumque tamen Dei donum eſſe, quippe cum in humanis nihil quidquam geratur abſque illius nutu.

PARAPHRASTICA
CAPITIS SEPTIMI DECIMI
EXPLANATIO.

1. *Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.*

MElior eſt ſicca buccella panis, hoc eſt, menſa frugalis & tenuis, cum pace, gaudio, & tranquillitate, quàm domus plena victimis lautiſque dapibus cum iurgio & contentione. Quæ enim ſumuntur cum pace & animi tranquillitate, ea omnia ſapiunt, nutriunt, & recreant, quæ autem cum rixa & contentione, vtcumque ſecundum ſe tanta ſint, ſano tamen palato grata non ſunt. Sublimiori ſenſu, ſatius eſt guttam diuinæ ſapientiæ habere, quàm dolium prudentię mundanæ, tametſi hæc quoque, ſi rectè illa vtaris, proſit.

2. *Seruus ſapiens dominabitur filiis ſtultis, & inter fratres hæreditatem diuidet.*

MAgna eſt vis ſapientiæ, vt quæ præter cetera ſeruilis quoque conditionis homines in libertatem aſſerat; imò dominorum ſuorum dominos nonnumquam conſtituat. Nam, vt diſertè hoc loco docetur, ſeruus ſapiens dominabitur filiis ſtultis, parentes maioréſque ſuos per improbitatem pudore afficientibus, idémque tanquam plenam domus adminiſtrationem ſortitus, hæreditatem diuidet inter fratres; vel ipſe quoque tanquam bene meritus vnà cum filiis hæreditatis partem capiet.

3. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus.*

QVod ignis vel conflatorium eſt auro, & fornax vel caminus argento, hoc Deus eſt humanis cordibus. Nam vt ignis non ſolum aurum & argen-

argentum, ceteráque metalla explorat, verum etiam à sordibus & scoria repurgat & mundat; ita Deus per cruces & afflictiones, per externas & internas exhortationes, & per multas alias vias mortalium corda probat, & si quidem proba & obsequentia sunt, emundat & expiat.

4. *Malus obedit linguæ iniquæ: & fallax obtemperat labiis mendacibus.*

VNusquilibet iis rebus facile capitur, quæ cum illius moribus ingeniióque conueniunt. Quamobrem homo peruersus & malus linguáque iniqua vti assuetus, facile fidem habet linguæ iniquæ & improbæ. Pari modo homo mendax & fallax facile obsequitur labiis mendacibus vanis, & iniurias serere solitis: idem statuatur de ceteris vitiis atque flagitiis.

5. *Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius: & qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.*

NON ille tantum apud Deum reus est, qui per dolum aut vim, vel aliâ quâcunque viâ vel ratione alium ad paupertatem redigit; sed ille quoque, qui pauperem propter paupertatem contemnit, aut ludibrio habet. Nam cum secreto Dei iudicio alij sint pauperes, alij diuites; qui pauperi insultat, Deum, qui illum fecit, & pauperem esse voluit, quod in se est, iniuriâ afficit. Sic quoque non is solum pœnas pendet, qui alteri ruinam parat, sed ille quoque, qui de alterius ruina gaudet. Plerumque enim eiusmodi in pœnam peccati in similem aliquam calamitatem incidere solent.

6. *Corona senum, filij filiorum: & gloria filiorum, patres eorum.*

COrona & ornamentum senum sunt filij filiorum, longæuáque & bene instituta posteritas, nec solum eiusmodi posteritas senibus sentatis est ornamento, sed magno quoque oblectamento & gaudio, nam per illam redduntur quodammodo immortales. Viuunt namque in illis & per illos, quos ex se genuerunt; quo bono priuantur, qui nullos neque liberos, neque nepotes post se relinquunt. Porro autem vt senum gloria & corona sunt eorum nepotes, ita vicissim patres longæui, maioresque virtutibus illustres sunt gloria & decus filiorum.

7. *Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens.*

NON decet hominem vesanum & abiectum de rebus grauibus & arduis, cuiusmodi sunt, quæ ad reipublicæ salutẽ faciunt, publicè verba

 facere;

facere; quia ob suam stultitiam & vilitatem orationi pondus adiungere non valet; aut se quoque de quacumque re aut virtute commendare. Multo verò minus decet virum principem aut in quacumque potestate constitutum labium vanum, futile, & mendax. Siquidem vt ante expositum est, illius oratio debet esse instar oraculi, eiusdémque vita instar regulæ, secundum quam imperio subiecti vitam suam conformare & instituere solent.

8. *Gemma gratissima, exspectatio præstolantis: quòcumque se verit, prudenter intelligit.*

RES diu auide exspectata, & tandem obtenta illi, qui dudum exspectauerat, instar preciosę gemmę est grata, dátque operam quocumque tandem se vertat, ne per imprudentiam iacturam illius faciat. Hebræa alium sensum offerunt. Sonant enim: Munus in oculis Domini, hoc est, eius qui accipit, vel præstolatur, est veluti lapis preciosus: quoquo versum se verterit, prosperum successum sortietur. Conuertet enim iudicum corda in quamcumque partem voluerit, hoc est, ad quemcunque diuerterit, infatuabit, vel excæcabit eum. Munera enim occæcant homines & Deos vt canunt Poëtæ.

9. *Qui celat delictum, quærit amicitias: qui altero sermone repetit, separat fœderatos.*

QVI secretum proximi delictum celat, aut si celare non potest, dexterè excusat, is vtique illius quærit amicitiam; neque enim paruum beneficium prestat, qui alterius peccatum occultat vel excusat: beneficia autem suâ naturá conciliant, amicitiam, & beneuolentiam. Contra verò qui alterius delictum repetit, hoc est, iterum iterúmque illud proseminat atque inculcat, amicitiam antè conflatam separat, ducémque frequenter à duce, & Principem a Principe seiungit, imo totam Rempub. vehementer sæpe conturbat, vt cum illius peccatum manifestat qui primas in ea locum obtinebat, próque bono & iusto viro habitus semper fuerat.

10. *Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum.*

MVltum interest sapientemne admoneas, an stultum. Moderata enim increpatio plus proficit & potest apud intelligentem, altiúsque in pectus illius descendit, quàm centũ verbera apud stultum. Stultus namque

quas

quasi iudicio & sensu destitutus, nihil curat, siue verbis, siue verberibus cum eo agas. Atque hoc magnum non tantùm stultitiæ, sed malitiæ quoque est signum: sicut è diuerso magnum quoque probitatis & sapientiæ est indicium, ad primam statim admonitionem ad sanam mentem redire.

11. *Semper iurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

HOmo sceleratus & contumax, qui nec verbis nec verberibus emendatur: aliud nihil quærit, nisi rixas & contentiones. At non impune. Deus namque crudelem Angelum contra eum mittet, crudeliqúe plagâ illum afficiet, & tandem ad impia Tartara detrudet. Angelus quoque crudelis est nuncius mortis, maximè verò æternæ. Etenim terribile illud summi Iudicis fulmen: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, durissimus est internuncius.

12. *Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua.*

SAtius est obuiam habere vrsam catulis orbatam, quàm hominem insanum & stultum vesaniæ spiritu iam agitatum. Siquidem vrsa tametsi sæua corpus tantum lædere potest, stultus autem furore correptus, non corpus tantum, sed famam quoque, & conscientiam, & externa bona lædere natus est; neque enim furit ille ex impetu naturæ, vt vrsa, sed datâ operâ, cum ratione furorem, quo laborat, compescere queat.

13. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.*

MAgnum flagitium est ingratitudo; inter omnes autem ingratos supremum gradum obtinent, qui reddunt malum pro bono. Quamobrem meritò eâ pœnâ plectuntur, vt malum, hoc est, crux atque calamitas à domibus illorum numquam recedat; si enim graue peccatum est malum pro malo reddere, quantum flagitium erit malum pro bono rependere?

14. *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit.*

VT is qui aggere perrupto aquam dimittit, caput & causa est iurgiorum & damnorum omnium, quæ inde consequuntur, neque vt maximè velit, incommoda illa impedire potest; ita cuiuis litem inchoare perfacile est, at verò exorsam componere, aut pro libitu abrumpere perdif-

ficile. Ne igitur liti occasionem dederis. Qui enim rei huic dat ansam, totius damni & iniuriæ, quæ indè consequitur, auctor habetur. Sicut qui aperit alueum, totius inundationis, quæ indè nascitur, causa censetur. Quod siquam forte litis, aut cuiuscumque controuersię occasionem dederis, antequam misceatur serióque incendatur, abrumpe & dimitte illam ne si eam persequaris, in damnum publicámque ignominiam incidas.

15. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.*

QVI iustificat impium & iniustum, siue intra siue extra iudicium id faciat, (nam vtrobique nonnumquam contingit) execrabilem apud Deum se reddit. Idem prorsus de illo statuas, qui condemnat iustum, vbicumque tandem, vel quocumque modo, via, aut ratione illud fiat. Siquidem vtrobique læditur iustitia, & fouetur iniustitia, offertúrque occasio efficax, vt iniustus ab iniustitia numquam resipiscat, iustus autem iustitiam & æquitatem contemnere, aut minus certè facere incipiat. Meritò proinde tales apud Deum sunt execrabiles.

16. *Quid prodest stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non possit?*

ETsi opes sapienti ad comparandam sapientiam & alia multa prodesse queant, multumque prodesse sæpe soleant, stulto tamen quod corde & mente destituatur, neque stultitiæ morbum per opes sanare valeat, ad sapientiam, vel aliam rem honestam parandam parum prosunt, imò verò magis sæpenumerò illi obsunt, quàm prosunt: quippe qui eas in luxum, in superbiam, in aliorum contemptum, & alias malas artes plerumq. conuertat. Multum itaque inter diuitias & sapientiam interest. Siquidem sapientia sine diuitiis constare & prodesse potest; diuitiæ verò sine sapientia plus sæpe damni & detrimenti, quàm emolumenti adferunt: opes rursum amitti possunt, & sæpe amittuntur, sapientia non potest: opes denique sui communicatione diminuuntur, & tandem omnino exhauriuntur; sapientia autem, quo liberalius communicatur, eò magis augetur. Mitto hic opes per sapientiam parari posse, sapientiam autem, à stulto præsertim per opes parari non posse.

Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: & qui euitat discere, incidet in mala.

QVI altam facit domum suam, hoc est, qui per superbiam ad nimis sublimia & alta contendit; cuiusmodi sunt, quæ vel statum, vel mentis captum excedunt, ille ea contentione aliud nihil quærit, quàm ruinam. *Siquidem omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Pari modo qui fastu inflatus ab aliis, quæ ignorat & scire debebat, discere non vult, in varias incidet clades atque calamitates, daturusque est pœnas superbia sua dignas.

17. *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.*

QVI syncerus & ex animo amicus est, non prosperitatis tempore solum germanum amicum sese ostendit, verum etiam aduersitatis; imò tunc maximè, si verus amicus est, se prodit. Hoc enim fictus secernitur à vero, quod hic in angustiis aduersæue fortunæ fluctibus opem laturus alacriter occurrat; ille verò simulatæ amicitiæ oblitus, amicum in necessitate deserat. Quamobrem hic non tam pro amico quàm pro improbro impostore habendus est; ille verò non tam pro familiari amico, quàm pro carissimo fratre.

18. *Stultus homo plaudet manibus, cùm spoponderit pro amico suo.*

QVisquis posteaquam pro amico suo stipulatâ manu spopondit, tanquam re bene gestâ manibus exultabundus plaudit, is homo verè stultus cordéque destitutus est: quippe cum pro fide aliena stipulari res sit periculosissima, multorúmque damnorũ & molestiarum causa. Innumeri enim propter temerarias sponsiones ad extremam miseriam redacti sunt, quod si periculosum est pro pecunia spondere, quanto cum discrimine coniunctum erit pro alterius salute fidem suam obligare. Quod si pastores & Episcopi id eo, quo par est, sensu perpenderent, Episcopatus vtique vel recusarent, vel minus certè studiosè ambirent.

19. *Qui meditatur discordias, diligit rixas: & qui exaltat os suum, quærit ruinam.*

QVI amat præuaricationem omnibusque aduersatur, ac sese opponit, is facto ipso rixas & contentiones sese diligere ostendit, rem sane prauam & homine prorsus indignam, sic quoque qui ostium domus suæ,

vel ipsam verius domum altius, quàm fundamenta ferant, vel status illius patiatur, eleuat, quo ea ratione alios excedat, aliud nihil quærit nisi ruinam & contritionem. Idem de illo statuas, qui vel nimis magna de se iactat, vel illa pollicetur, quæ præstare non valet.

20. *Qui peruersi cordis est, non inueniet bonum: & qui vertit linguam, incidit in malum.*

VTerque & qui peruersi cordis, & qui peruersæ linguæ est, infelix & execrabilis est. Nam vt peruersi cordis homo bonum, quod quærebat, non inuenit (maxime verò bonum illud, quod appetunt omnes, neque satiantur, donec ad illud pertigerint ita) peruersa lingua in malum, quod aliis machinabatur, incidet; adeoque infelicior est quodammodo peruersi cordis homine. Siquidem grauius est incidere in malum, quàm bono desiderio frustrari. Peruersus corde omnia sinistrè interpretatur aliisque malum machinatur; peruersam autem vel inuersam linguam nactus, aliud cogitat, aliud loquitur; aliud in præsentia, aliud in absentia proximi effutit. Maximè autem ille peruersa lingua instructus est, qui praua & erronea pro veris profitetur.

21. *Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec pater in fatuo lætabitur.*

ET stultum natum esse, & prauis perditisque moribus stultum euasisse miserum est planè atque calamitosum. Nam stultum natum esse, & ipsi stulto cedit in probrum & ignominiam; & parenti, qui genuit, in maximum animi mærorem & molestiam. Nam etsi parentes naturaliter gaudent se generasse, prolesque habere; attamen cum se fatuum genuisse deprehendunt, adeò non gaudent vt vehementer quoque contristentur. Quod si prauâ educatione, aut suâ ipsorum malitiâ & improbitate stulti euaserint, maior hinc & ad natos, & parentes redundat dolor & ignominia; quippe cum non naturæ morbo, sed suâ culpâ & vitio in malum illud inciderint.

22. *Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.*

ANimus lætus floridam incundámque reddit ætatem, neque secus atque salubris quędam medicina totum corpus sanum vegetumque efficit; at verò spiritus tristis & consternatus, vel affectu aliquo intenso vehementius perturbatus, deficcat & exhaurit ossa, totúmque adeo cor-

pus-

pus absumit. Nam si intensior molestia ipsa etiam ossa consumit, multò magis reliquas molliores & teneriores corporis partes.

23. *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.*

IVdex, testis, vel aduocatus, qui vt iudicij rationem peruertat, accipit munus è sinu, hoc est, clanculũ ab alterutra litigantium parte sibi oblatum, impius est; vt qui ob priuatum commodum, cum non paruo alterius damno, & manifesto reipublicæ detrimento, iustitiam euertat: neque ille solùm qui accipit impius censendus est; sed ille quoque qui obtrudit. Quod si impiorum loco & numero habentur, qui pro munere peruertit leges iustitiæ, vbi de rebus istis fluxis & caducis quæstio est, quid de illis æstimandum est, qui in rebus Ecclesiasticis & foro conscientiæ propter pecunias æquitatem deserunt?

24. *In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ.*

SApientia quæ insapientis pectore latet; numquam ita latet vt certis quandoque iudiciis sese non prodat; sicut e diuerso stultitia fatuorum quam intus fouent, ita numquam dissimulatur & occultatur, vt interdum in apertum non exeat. Nam vt aliud nihil sit, quod morbum hunc manifestet; habent stulti plerumque omnes oculos vagos & instabiles, qui huc illúcque sese inflectunt, & vsque ad terræ extrema circumferuntur. Siquidem stulti terrena semper sapiunt & quærunt: neque vmquã tamen satiantur aut explentur; sed plura semper & plura appetunt. Cum contra sapientes secundum sapientiæ præscriptum omnia dirigant, & instituant. Nihil enim habere volunt illi, quod a sapientię legibus alienum sit, vel ipsi sapientiæ sit contrarium.

25. *Ira patris filius stultus, & dolor matris quæ genuit eum.*

IRA & indignatio patris est filius stultus & improbus; siue stultus natus sit, siue per turpem incontinentémque vitam stultus effectus sit; idem quoque est mæror matris. Matrum est enim potius mærere quam vlcisci; hoc enim virorum est potius, quam mulierum: est autem vtrumque caussaliter non formaliter. Siquidem fatuitas & improbitas filiorum generat parentibus summum dolorem & indignationem. Frustrantur enim sua spe, nam pro consolatione, quam ex filio exspectant, accipiunt amaritudinem; pro gloria rursum & laude, probrum & ignominiam. Malè enim

audiunt

audiunt parentes, qui ſtultos & improbos habent filios. Siquidem vitia hæc imputantur malæ educationi, quamvis ſæpe extra noxam ſint.

26. *Non eſt bonum damnum inferre iuſto, nec percutere principem qui recta iudicat.*

VTrumque malum & iniquum eſt, nempe damnum inferre iuſto; ſiue id fiat per corruptum iudicium, ſiue alio quocumque modo: & Principes rurſum vel Iudices, qui ex æquo & iuſto iudicant, concutere. Sunt enim peruerſi quidam homines, qui omne ſtudium ad hoc inſumunt, vt iuſtos damno afficiant. Quod ſi Iudices, (quos hic *Principes* vocat) eò inducere non poſſunt, vt iuſtum condemnat; terroribus & minis, & nonnumquam etiam verberibus eos adoriuntur, quod eſt flagitium iniquiſſimum, vt pote veræ iuſtitiæ maximè contrarium.

27. *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt: & pretioſi ſpiritus vir eruditus.*

NON is qui crebro & multa loquitur doctus & intelligens cenſendus eſt, ſed is qui ſermones ſuos moderatur, cuiusmodi eſt qui loquitur, quando, vbi, quomodo, quantum, & apud quos oportet. Neque is rurſum qui totum ſpiritum ſuum ſimul effundit, pro erudito & prudente habendus eſt: ſed qui precioſi, hoc eſt, parci moderatique ſpiritus eſt. Qualis eſt qui non velox ad iram, nec præceps ad locutionem; ſed paucorum & maturorum verborum eſt.

28. *Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur: & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.*

IMò verò ſermonis moderatio & taciturnitas ſuo loco adhibita vſque adeò commendat ſapientem & ſapientiam, vt ſtulti quoque reputentur ſapientes, ſi opportunè tacuerint, labiáque decenter compreſſerint, maximè verò apud eos, qui illos non norunt.

AD CAPVT DECIMVM SEPTIMVM SCHOLIVM.

1. *Melior est buccella, &c.* Hoc versu commendatur pax, animique tranquillitas, præferturque omnibus diuitiis & deliciis, & meritò.

2. *Seruus sapiens, &c.* Hic rursum laudatur vis sapientiæ, vt quæ ex seruis faciat dominos, ex vernis legitimos hæredes; seruus enim sapiens dominatur interdum liberis stultisque filiis. Sensu mystico: Qui peccato & dęmoni seruierat, per resipiscentiam inter filios locum accipit, vt gentes inter Iudęos.

3. *Sicut igne probatur, &c.* Confert ignem cum Deo, & corda hominum cum auro & argento. Vt enim ignis explorat & repurgat aurum & argentum, ita Deus corda hominum. Probat autem Deus multis modis, nimirum per ignem tribulationis, per vocem prædicatoris, aliisque compluribus viis & rationibus, verum multi ad hæc omnia obsurdescunt. Quamobrem improbum se aurum esse ostendunt.

4. *Malus obedit, &c.* Docetur hic vnumquemque facile iis credere qui secum faciunt, moribusque conspirant. Quare prauus facile fidem habet linguę iniquæ, & fallax labiis mendacibus. Idem statuatur de ceteris vitijs & vitiosis.

5. *Qui despicit pauperem, &c.* Prior loci huius pars habetur Cap. xiv. Vers. xxx. huius libri. Secunda nullam habet difficultatem. Significat enim qui alterius ruinæ vel calamitati insultat, ruinæ aliquando affinem futurum, cuius rei multa exempla in medium adferre liceret.

6. *Corona senum, &c.* Hortatur hic locus parentes, vt filios piè & religiosè educent; & filios vicissim, vt parentes in magno honore & reuerentia habeant. Siquidem, vt filij & nepotes bene educati cedunt in magnum ornamentum senibus, sic è diuerso prudentes piique & longæui parentes in magnam gloriam & honorem filiis & nepotibus.

7. *Non decent, &c.* Hic locus monet verba personæ qualitati consentanea esse debere. Quare vt stulto non conueniunt verba grauia & sapiente digna; ita neque Principi mendacia, aut vana velleuia dicta. Monentur

hic quoque concionatores, quæ & qualia pro concione proponere & tractare debeant, nimirum grauia & ponderosa & cathedra Doctorali digna.

8. *Gemma gratissima, &c.* Secundum nostram Editionem docetur hic rem diu desideratam, & tandem obtentam instar vnionis gratam esse illi, cui obuenit, adeóq. omnem curã & diligentiam adhibere debere, nequando iacturam illius faciet. Hebræa sonant: *Munus in oculis domini*, illius nimirum qui recipit, *est instar gemmæ*, vel preciosi lapidis, quocumque sese verterit vel inclinauerit. Manus illa autem quæ largitur, successum sortietur. Faciet enim accipientẽ intelligere, quo largitor tendat, vel quid velit; vel ad quemcũque deuenerit, infatuabit eum. Hęc omnia significantur vna voce *Schacal*.

9. *Qui celat delictum, &c.* Ostenditur hic caritatis esse amicorum delicta celare; vel commodè, si celari non possint, interpretari, vnamque hanc viam expeditissimam esse ad conciliandam & retinendam amicititiam; sicut è diuerso eadem propalare vel exaggerare est via ad dissoluendam ante conflatam; tum etiam ad serendam inter Principes & amicos discordiam aptissima & ab amicitiæ legibus prorsus aliena.

10. *Plus proficit, &c.* Assignat aliud inter stultum & sapientem discrimen. Apud hunc plus valent verba & salutaria monita, quàm apud illum plagæ & verbera. Insinuat idem hic locus prudentes, qui morigeri & grati sint, si quando labantur, secretò admonendos esse; stultos autem, quod omnes admonitiones pro nihilo ducant, publicè acriter obiurgandos. Plagas autem non eas solum accipe, quas infert homo, sed eas quoque, quas infert Deus.

11. *Semper iurgia, &c.* Exprimitur hic quorumdam insigniter improborum ingenium. Sunt enim quidam ita deprauati, vt neque verbis, neque verberibus emendari queant; eumqne in modum comparati, vt nihil nisi iurgia, & lites, & dissidia quærant & serant: quibus proinde nihil aliud exspectandum restat, quàm Angelus crudelis, qui illos ex hac vita ad æterna supplicia abripiat.

12. *Expedit magis, &c.* Docetur hic quàm periculosa res sit habere negotium cum homine stulto & furente; quippe cuius occursus æquè metuendus sit atque vrsæ catulis orbatæ.

13. *Qui reddit mala, &c.* Hic locus turpitudinis ingrati animi nos admonet. Inter omnes autem ingratitudinis species pessima est ea, quæ

rependit malum pro bono. In hoc crimen inciderunt Iudæi. Hi enim Christo pro summis beneficiis mortem intulerunt. Quare malum quoque pœnæ numquam à misera illa & calamitosa gente decedet.

14. *Qui dimittit aquam, &c.* Monet hæc sententia vt lis prius prematur & consopiatur, quàm vtraque pars litigantium incalescat; nam seriò semel inchoata difficulter componuntur. Sicut aqua etiam cum aggerem oppositum semel perfregerit, difficulter sistitur. Admonet idem hic locus quoque, vt cuicumque malo aut periculo tempestiuè obuiam eatur.

15. *Qui iustificat impium, &c.* Damnantur hic qui iustificant impium & condemnant iustum. Vtrumque autem contingit bifariam, nempe in iudicio, & extra iudicium; & vtrumque malum est graue peccatum; peius tamen quod fit in iudicio; quia vtrobique iustitia læditur, & proximus grauiter offenditur. Extra iudicium contingit ea condemnatio & iustificatio, cum quis ob iniquitatem laudatur, vel ob pietatem vituperatur, quod multis admodum familiare est.

16. *Quid prodest stulto, &c.* Docetur hoc loco diuitias stulto magis obesse, quàm prodesse; & tum etiam cum prosunt, parum prodesse, quippe cum pecunia sapientiam, quæ sibi deest, parare non queat. Obsunt autem illi, quia cum legitimum illarum vsum ignoret, cõuertit in materiam peccati.

Qui altam facit, &c. Hęc sententia ex Lxx. Editione petita est, in Latinis & Hebręis codicibus nihil huiusmodi exstat. Significatur per hanc autem superbiam comitari ruinam, eumque qui propter fastum ab aliis doceri non vult, in multas subinde miserias & calamitatis incidere.

17. *Omni tempore, &c.* Describitur hic primaria synceri amici conditio, quæ est constantia in amicitia, tam in aduersis quàm in prosperis. Etenim qui aduersitatis tempore vltro statim, vt opem ferat, accurrit, ille pro germano amico habendus est; qui autem tum deserit, fucatus est plane. Dicitur autẽ amicus necessitate vrgente nasci, quia ex insperato in medium prodit, cum ante latuisset.

18. *Stultus homo, &c.* Ante ostensum est quanto cum discrimine coniunctum sit pro aliena fide stipulari. Merito proinde inter stolidos censendus est, qui in re adeo molesta & periculosa lætabundus viuit quasi prædam aliquam opimam nactus esset & iubilat.

19. *Qui meditatur discordias, &c.* Condemnatur hic iterum superbiæ malum, vt quod multarum rixarum, multarumque ruinarum sit causa.

Nam & ſuperbè loqui, & ſuperbè rurſum ædificare, ad ruinam & contritionem viam pandit.

20. *Qui peruerſi cordis eſt, &c.* Pendet hic locus à proximè expoſito: ſiquidem ſtudio meditari rixas atque diſcordias munus eſt hominis peruerſi deprauatique cordis & animi. Quamobrem iuſtè in illud incommodum corruit, vt verum bonum, etiamſi illud quærere videatur, non inueniat. Viri autem boni nomine continetur Deus, & quidquid ad Deum viam munit.

21. *Natus eſt ſtultus in ignominiam, &c.* Natum quandoque fuiſſe ipſi quidem ſtulto cedit in dedecus & ignominiam; parentibus autem eius in mærorem & triſtitiam. Contextus Hebræus vtrumque refert ad generantem. Significat enim generaſſe ſtultum, ipſe cedere ad triſtitiam, non ad lætitiam; ad ignominiam rurſum, non ad gloriam.

22. *Animus gaudens, &c.* Sententia huic ſimilis legitur Capite xv. Verſ. xiv. Exponit hic autem lætitiæ & triſtitiæ vim: animus enim lætus ætatem florentem, corpuſque vegetum reddit, ſpiritus verò mæſtus exhaurit oſſa.

23. *Munera de ſinu, &c.* Indicatur hic non leuè peccatum eſſe propter munera iudiciũ peruertere, ſed magnæ impietatis ſcelus. Quod ſi verò impij ſunt, qui iudicium propter mercedem in temporarijs peruertunt, quãto crimine ſe obſtringunt, qui in ſpiritalibus & Eccleſiaſticis id faciunt.

24. *In facie prudentis, &c.* Iterum hic prudens ſtulto opponitur. In facie prudentis lucet ſapientia, ſtultorum autem oculi tam mentis quàm corporis ſemper ſunt vagi, & inconſtantes, quæruntque ſapientiam, & non inueniunt.

25. *Ira patris, &c.* Hęc ſententia conuenit cum multis aliis ante expoſitis. Significat autem ſtultum filium non ſolùm mærorem parentibus ciere, ſed iram quoque & indignationem. Repetit autem eandem ſententiam crebrius, quia hic morbus eſt frequentiſsimus, conatúrque filios inducere Sapiens, vt parentibus obediant, eáque ratione lętitiæ cauſam illis adferant, quia hoc eſt primum tabulæ ſecundæ præceptum.

26. *Non eſt bonum, &c.* Perſtringuntur hic illi, qui vnicum hoc ſtudium habent, vt iuſtos vexent, illiſque damnum & detrimentum inferant. Quod ſi æquos Iudices eo inducere nequeant, vt iuſtos iniuſtè condemnent, minis & terroribus & nonnumquam etiam verberibus illos adoriuntur.

27. *Qui*

27. *Qui moderatur sermones, &c.* Docetur hic vt maximè quis prudens sit, artemque loquendi teneat, non semper loquendum esse, sed suo quoque tempore tacendum: imo non maioris artis est scire tacere, quando silentio opus est, quàm scire loqui; sed & magnum semper eruditionis & sapientiæ argumentum est habitum, spiritum suum non totum simul effundere, sed parcè loqui, nisi forsan necessitas, aut vtilitas aliud postulet.

28. *Stultus quoque, &c.* Hæc mirè commendant taciturnitatem, quæ si vlli alteri, stulto sanè parúmque prudenti admodum est necessaria. Nullâ aliâ re stultus magis suam prodit stultitiam, quàm linguâ.

PARAPHRASTICA CAPITIS OCTAVI DECIMI EXPLANATIO.

1. *Occasiones quærit qui vult recedere ab amico, omni tempore erit exprobrabilis.*

QVI amicum vult deserere, si iustam deserendi causam non habet quærit quamlibet occasionem, quo tandem deserat. Quæ res turpissima, & apud omnes rectè sentientes probrosissima est; vtpote à veræ amicitię legibus prorsus aliena.

2. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius.*

NON delectatur stultus verbis sapientiæ, quia ab iis, quæ in corde volutat, nempe à stultis & fatuis illius cogitationibus dissentiunt. Nam qualia quisque animo versat, talia libenter & ipse loquitur, & ab aliis proponi libenter audit, rursum cum sapientiæ non studeat, aut ad vanam tantum ostentationem, auersatur omne illud, quod veram sapientiam sapit.

3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.*

IMpius malis improbisque factis diu iam multúmque assuetus, non modò salutaria aliorum consilia & monita contemnit, sed proprię quoque conscientiæ stimulos negligit; nec solum Dei præcepta, & aliorum con-

ſilia, & conſcientiæ ſtimulos aſpernatur: ſed quoscumque alios quoque præ ſe deſpicit, contumeliaque & iniuria afficit. Quocumque ingreditur, numquam ſolus ingreditur, ſemper enim comitatur eum contemptus, ſuperbia, & arrogantia. Verum vt ipſe omnes & omnia contemnit; ita olim viciſſim ab omnibus contemnetur. Vt autem impiũ comitatur contemptus; ita ignominioſum ignominia, & probroſum probrum. Quare ſi quis eiusmodi recipit, non conſequitur honorem, ſed incurrit ignominiã.

4. *Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons ſapientiæ.*

VErba virorum ſapientum ſunt inſtar aquę profundæ. Nam vt hæc non facile exhauritur, leniqúe agmine fluit; ita ſapientibus quoque non facile verba deſunt; neque in ore illorum, & quaſi ex tempore naſcuntur; ſed bene ante trutinata & deliberata ex imo pectore procedunt. Rurſum vt aquæ profundæ oculorum acie non facile penetrantur; ita ſapientum dicta non quibus vis ſunt obuia; denique vt aquæ abluunt & irrigant, æſtuque aridos recreant; ita ſapientum verba audientium mentes à ſordibus expiant, aridáque corda irrigant, ne doctrinæ inopiâ tabeſiant. Porrò autem cor ſapientis (quod eſt fons ſapientiæ) eſt inſtar torrentis exundantis, quia copioſam doctrinam adminiſtrat.

5. *Accipere perſonam impij in iudicio non eſt bonum, vt declines à veritate iudicij.*

ACcipere perſonam impij, hoc eſt, impium iuſto in iudicio præferre; cauſæque illius ob id fauere, quia impius eſt, non eſt bonum, imo ab omni æquitate & ratione eſt prorſus alienum. Siquidem impij multo magis ad fraudem cauſámque ſuam defendendam ſunt inſtructi, quàm iuſti. Hi enim rixarum plerumque ſunt ignari, & litibus non aſſueti; illi autem ad aliud fere nihil vacant, quàm vt probos bonis ſuis exuant, iiſque negotium faceſſant. Non eſt ergo bonum à iudicij veritate declinare propter impium, aut illius cauſa ſubuertere iuſtum.

6. *Labia ſtulti miſcent ſe rixis, & os eius iurgia prouocat.*

LAbia ſtulti miſcent rixas, & os eius ad iurgia & pugnas prouocat. Nam cum ſint maledici & calumniatores, & quiduis temerè effutiant, fieri non poteſt quin multos ſæpe offendant, & ad iram prouocent: ira autem accenſa generat rixas, & pugnas, & alia id genus diſſidiorum genera & incommoda.

7. Os

7. *Os ſtulti contritio eius, & labia ipſius ruina animæ eius.*

QVamobrem non fatum, ſed os proprium conterit ſtultum & impium neque improborum retia, ſed ſua ipſius labia animam eius capiunt, & irretiunt, & in perditionem præcipitem agunt. Multa enim dicit, de quibus rationem reddere non poteſt, quibuſque alios in perniciem ſuam prouocat.

8. *Verba bilinguis, quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris.*

VErba hominis bilinguis & ſuſurronis, tametſi blanda & ſimplicia videantur, pertingunt tamen vſque ad interiora ventris, hoc eſt, infligunt vulnera planè letalia, & inſanabilia. Excitant enim odia implacabilia, concitant ſæpe familiam contra familiam, Regnum contra Regnum, Principem contra Principē, denique vix vlla inter coniunctos oritur diſcordia, cuius ſuſurrones auctores non ſint. Teterrimū itaque ſuſurronum & obtrectatorum eſt vitium.

8. *Pigrum deiicit timor: animæ autem effæminatorum eſurient.*

TImor laboris & moleſtiarum hominem ignauum frangit; & ne quod honeſtum, & ad vitæ vſum neceſſarium opus aggrediatur, impedit: atque adeò mollem effæminatumque reddit; & tandem ad ſummam inopiam & paupertatem redigit.

9. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſsipantis.*

QVI mollis & in opere inchoato ignauus eſt, frater eſt viri, hoc eſt, ſimilis eſt illi, qui res ſuas ſponte diſsipat. Qui enim in opere, quod ipſi incumbit, ceſſat; neque illud, vt debebat, promouet, non ſolum nihil adquirit, ſed laborem quoque inſumptum perdit: habetque, quod hic dicitur, æquè locum in ſpiritalibus & æternis, atque in temporariis & caducis, imò verò magis ibi, quam hic; prout hęc illis ad ſalutem minus ſunt neceſſaria.

10. *Turris fortiſsima nomen Domini: ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur.*

MVltæ ſunt tribulationes iuſtorum; nec enim ſolum impugnantur à diabolo, carne & mundo; verum etiam à mundi & dæmonis miniſtris, cuiusmodi ſunt impij, & ſcelerati, & impuri omnes. At tantorum

malorum

malorum vnicum remedium habent nomen Domini. Ad quod proinde qui tanquam ad validissimam arcem confugiunt, non modò à malis, quibus premebantur, liberantur, sed certâ quâdam ratione exaltantur quoque & subleuantur. Per *Nomen* autem *Domini* accipimus Dei potentiam, Christumque ipsum. Est enim ille Dei virtus & Dei sapientia.

11. *Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circumdans eum.*

VErum licèt res ita habeat, diuites tamen aliud quiddam imaginantur: siquidem amplas opes, quas possident, pro robusta ciuitate, & muro inexpugnabili, qui vndique circumuallatur, plerumque habent: verum suâ sese imaginatione sæpe fallunt. Quandoquidem opes multis periculis & casibus sunt expositæ; imo domino suò cladem & mortem nonnumquam adferunt, tantum abest vt inuictum salutis munimentum sint perpetuò: prosunt tamen cum ritè administrantur, vel in pios vsus erogantur.

12. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.*

COR humanum non prius deprimitur, atteritur, & humiliatur, quàm se ipsum per superbiam eleuauerit, nec prius rursum glorificatur & extollitur, quàm se humiliauerit. Stat enim firmum illud Christi Seruatoris oraculum: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

13. *Qui prius respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.*

QVI prius respondet, quàm alterius sententiam planè perceperit, is stultum se demonstrat, omnique confusione dignum. Idem de illo statuas, qui prius sumit doctoris partes, quàm frugi discipulum præstiterit; aut sententiam inter controuertentes fert, alterâ tantum parte auditâ: aut temere de illo pronunciat, quod non satis compertum habet: quod grauissimum est in publicis iudiciis crimen & in sacris prorsus intolerabile.

14. *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam: spiritum verò adirascendum facilem quis poterit sustinere?*

SPiritus viri animique fortitudo in rebus aduersis æquanimiter toleran-
dis, maximè verò in morbis & ægritudinibus corporis sui imbecillita-

tem

tem sustentat, efficitque, vt malum illus minus sentiatur, minúsque affligat; spiritum autem contritum & deiectum, & irâ præterea incensum quis sustinere poterit? Multo enim facilius est corporis morbum perferre & sanare, quàm spiritus languorem. Mens enim læta corporis incommodum mitigat, Spiritus autem mœstitiam & deiectionem corpus, tametsi vegetum, sanare nequit.

15. *Cor prudens possidebit scientiam, & auris sapientum quærit doctrinam.*

NON modo ad bonam corporis constitutionem & sanitatem facit spiritus sedatus, & ab omni perturbatione immunis, verum etiam ad comparandam scientiam. Siquidem cor prudens & intelligens per assiduam in lege Dei meditationem, & consummatæ sapientiæ desideriũ possidet scientiam, & auris sapientum quærit & inuenit scientiam & doctrinam. Quia animus prudens intelligit non solâ priuatâ meditatione comparari scientiam; sed opus esse præterea sapientes de sapientia disserentes audire.

16. *Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit.*

MAgna donorum & munerum vis est. Siquidem vix aliquid occurrit tam arduum, aut accessu adeo difficile, ad quę viam non aperiat. Nam ad Principum quoque aulas & familiaritatẽ aditum patefaciunt, eorúmq. fauorem & gratiam emerentur, ex vinculis aliisque periculis & angustiis liberant, & innumeros amicos conciliant. Iam si munera ob rem fluxam donata tantum possunt, quid non poterunt largæ eleemosynæ propter Deum in pauperes erogatæ?

17. *Iustus prior est accusator sui: venit amicus eius, & inuestigabit eum.*

VIR iustus, si quid per infirmitatem reprehensione dignum admiserit, non defendit peccatum suum; neque exspectat dum ab aliis, siue amicis, siue inimicis reprehendatur & accusetur; sed aliorum iudicium anteuertens, se ipsum accusat atque condemnat. Quare si amicus postea accedens in lapsum eius inquirit, eumdémque compertum reprehendit, non incenditur; sed patienter sustinet, & gratias agit. Pari modo non prius in amicorum vel aliorum quorum libet vitam inuestigat, quàm in propriam inquisierit: & siquid in illa reprehensione dignum inuenerit, castigauerit & expiauerit. Admittit & hunc quoque sensum versus: Qui apud Iudicem

 muneri-

muneribus deprauatum, prius exponit controuersiam suam, is veluti iustus causam obtinet; nam etsi antagonista postea accedens causam discutiat, dictáque aduersarij examinet, attamen quia iudicis mens aliò iam inclinauit, actum agit. Vel: Æquus & iustus litigator (cuiusmodi est qui statim in ipso litis exordio ostendit se nihil nisi æquum & iustum petere, rémq. syncere exponit & proponit) non capitur, licet is quo cum litigat, postea accedat, & in rem, vel in personam grauius inquirat. At iudex interim non prius debet ferre sententiam, quàm vtramque partem audiuerit, & causæ vtriusque merita discusserit.

18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat.*

QVod si causâ vtriusque accuratè bonáque fide trutinatâ, necdum clarè satis constat vtra sit æquior, maioribús ve æquitatis fundamentis nitatur, restat vt adhibeantur sortes. Siquidem per has non mòdò inter priuatos, verum etiam inter viros potentes & Principes magnæ sæpe lites & controuersiæ dirimuntur & componuntur.

19. *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & iudicia quasi vectes vrbium.*

NVllum validius, nullùm firmius, aut certius aduersus hostes est munimentum, quàm ciuium inter se concordia, animorúmque consensio. Etenim frater qui adiuuatur à fratre, hoc est, fratres & ciues mutua ope fulti, beneuolentiáque nixi, sunt veluti firma & inexpugnabilis arx, vel ciuitas; eorumdémque iudicia & decreta, quæ concordi animorum sensu atque consensu edunt, & tuentur, sunt quasi vrbium vel arcium vectes. Habet autem, quod hic docetur, æquè vel magis quoque locum in Ecclesiasticis, quàm in ciuilibus. Nec enim alia res Ecclesiam æquè conseruat in fide & moribus integram, atque concordia; neque hæreticos & hæreses aliud æquè dissoluit, atque mutua inter se discordia. Porro autem vt fratrum & ciuium inter se amicitia & fœdera sunt firmissima, & ad quidvis faciendum potentissima; ita eorum discordiæ & inimicitiæ & iræ sunt pænè implacabiles & irreconciliabiles. Quare ciuilia & intestina bella non prius ferè desinunt, quàm totam ciuitatem euerterint. Atque hoc Conseruatus Hebræus hoc loco proponit. habet enim: Frater à fratre lęsus vel iniuriâ affectus, est durior forti propugnaculo, hoc est, planè infractus & implacabilis.

20. *De fructu oris viri replebitur venter eius, & genimina labiorum ipsius saturabunt eum.*

DE fructu oris sui vniuscuiusque venter implebitur; suorumque labiorum prouentu exsatiabitur, hoc est, vnusquisque pro verborum suorum ratione & qualitate mercedo potietur. *Ex verbis tuis*, consentaneè ad præsentem hunc locum docet Christus, *iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Vt enim ex bona lingua multa bona proueniunt, cum ad ipsum loquentem, tum ad eos quoque, qui audiunt; ita multa mala ex mala lingua oriuntur, & tanta quandoque vt integra regna & respubl. commoueant.

21. *Mors & vita, in manu linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus eius.*

NEque enim bona vel mala fama tantum, aut fortunæ commoda aut incommoda solum posita sunt in manu & potestate linguæ (siquidem per linguam hæc aliis adimuntur, aliis adempta restituuntur) verum etiam mors & vita, cum propria, tum etiam aliena. Certum est namque permultos vtriusq. vitæ iacturam facere per abusum linguæ; multos contra per legitimum linguæ vsum æternam vitam promereri. Æquè certum est multos a lingua bona & sancta haurire vitam, alios contra à praua perversaque lingua haurire mortem. Innumeros Apostoli ad saluris portum adduxerunt sanctâ suâ linguâ, hoc est, sanctâ suâ doctrinâ & prædicatione. Idem statuatur de aliis orthodoxis pastoribus & doctoribus. Contra Arius, Lutherus, Caluinus & alij hæretici innumeros per maledicam linguam suam in mortem vtramque deiecerunt, & adhuc deijcere non desinunt. Proindè qui diligunt & consectantur linguam bonam, bonos ex ea fructus consequentur, nimirum vitam & salutem; & vice versâ, qui amant & audiunt linguam malam, malos inde fructus haurient, nempè mortem & condemnationem.

22. *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.*

QVI vxorem inuenit probam, sobriam, castam, & taciturnam, is thesaurum reperit non vulgarem; sed pretiosum admodum & rarum. Idemque singularem gloriam & fauorem à Domino consecutus est. Nihil enim sunt opes, nihil cetera omnia, quæ plerique, dum de vxore du-

cenda consilium capiunt, spectare solent, si cum iis conferantur, quę honestam matronam verè commendant.

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens.

EApropter qui eiusmodi probam honestámque mulierem expellit, suam felicitatem expellit, adeóque rei familiari, suæque famæ pessimè consulit. At verò qui mulierem adulteram apud se detinet, nisi certa forsan emendationis spes affulgeat, non modo stultus & insipiens, verum etiam improbus & impius censendus est; quippe qui suâ ignauiâ & dissimulatione vxoris flagitia palam foueat.

23. *Cum obsecrationibus loquitur pauper, & diues effabitur rigidè.*

PAuper quod aliorum præsidio sese egere non ignoret, humili submissáque oratione vti solet: maximè vero cum diuitis cuiuspiam & pecuniosi hominis opem implorat. Diues autē auarus, aut plus ęquo ad rem attentus, aspere eiusmodi pauperes excipere solet, tantum abest, vt petita concedat; sed & abortâ controuersiâ quâpiam, eadem oris submissione vtitur pauper. Quare etiam vel nullos inimicos habet, vel si quos habet facili negocio eos sibi conciliat. At diues superbus & arrogans clamoribus omnia implet, multosque aduersarios habet, vt qui præ superbia nulli cedere velit.

24. *Vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit, quàm frater.*

VIR qui ad seruandam amicitiam & beneuolentiam excolendam ex animo deditus est, oblatâ occasione vel vrgente necessitate, maiorem declarare solet amorem & beneuolentiam, quàm frater ipse; atque hoc ad synceræ & solidæ amicitiæ rationem deposci videtur: nempe vt quis id præstet amico, quod frater fratri, aut alias magna necessitate coniuncto præstare solet, vel iure certe præstare deberet.

AD CAPVT DECIMVM OCTAVVM SCHOLIVM.

1. *Occasiones quærit, &c.* Hic locus secundum nostram editionem clarus est. Hebræa variè exponuntur, quidam ita reddunt: *Propter desiderium sapientiæ, sapiens secessum, & ab omnibus rebus & curis terrenis solutionem quærit.* Alij: *Qui in omni re litibus se immiscent, adeoque nihil non cauillantur & criminantur, ab omnium amicitia seiungere se velle ostendunt: neque cuiusquam beneuolentiam vel tantillum facere.* Alij alio modo.

2. *Non recipit stultus, &c.* Docet stultos non curare prudentiam vel sapientiam, sed ea tantum, quæ agitant & versant in corde, nimirum nugas & ineptias.

3. *Impius cum, &c.* Ita ad verbum Lxx. Hebræa sonant: *Vna cum impio venit contemptus, & cum viro opprobriis coo perto, opprobrium & contumelia.*

4. *Aqua profunda. &c.* Non est hic sermo de quovis viro, sed de viro sapiente. Verba enim verè sapientum instar æquę sunt profundę, multoque plus semper in recessu habent, quam primâ fronte præ se gerunt. Neque deficiunt aliquando, sed more aquæ scaturientis sibi inuicem continuò succedunt. Videtur autem duplex sapientum verborum genus insinuare. Vnum planum quod intelligitur ab omnibus, alterum profundum, quod à doctis tantum; vtrumque genus deprompsit Christus.

5. *Accipere personam, &c.* Damnantur hic, qui in legitimo iudicio impios iustis anteferunt, & meritò: vt qui bifariam peccent. Nam & maioris faciunt iniustum, quàm iustum; quod à ratione prorsus est alienum; & iustitiæ simul & iusto iniuriam faciunt.

6. *Labia stulti, &c.* Quos proximè appellauit impios, hic vocat stultos, quibus vnicum hoc studium est, miscere lites, & seminare iurgia.

7. *Os stulti, &c.* Ostendit stultos suâ stultitiâ & maledicentiâ nulli magis obesse, quàm sibi ipsis. Nam dum alios ad rixas vel pugnas prouocant, vel irritant, sibi ipsis perniciem mortisque laqueum accersunt.

8. *Verba bilinguis, &c.* Docetur hoc loco licet plurima mala prouenient ex improborum labiis, cum in iudiciis euertendis, tum in rixis quoque concitandis, multo tamen plura ex susurronum sermonibus nasci in-

commoda. Hi enim infligunt plagas planè insanabiles. Dicuntur autem verba delatorum blanda vel simplicia, quia nullum apertum dolum præseferunt.

Pigrum deiicit, &c. Hic locus ex Lxx. desumptus est. Significat autem laborum molestiam & timorem inde natum multos ab operè absterrere, adeóque deijcere quosdam ignauos, vt in extremam tandem inopiam dilabantur.

9. *Qui mollis, &c.* Non multum hic versus discrepat à præcedenti. Significat enim in opere cœpto ignauum similem esse illi, qui bona sua studio dissipat. Nam vt hic dissipat ante parta, ita ille quæ pariturus erat, si opus inchoatum prosequutus fuisset.

10. *Turris fortissima, &c.* Ostensum est ante frequenter iustum multis passim iniuriis expositum esse; hic docetur per solum nomen Domini liberum ab iis euadere posse; ad quos proinde imbecilli viribusque & opibus destituti tanquam ad firmam arcem recipere se solent.

11. *Substantia diuitis, &c.* Ostenderat iusti robur & fortitudinem esse nomen Domini; hic autem exponitur, in quo diues robur suum collocet; nempe in suis diuitiis & facultatibus. Interest autem inter hunc & illum, quod ille numquam fallatur; hic autem crebrò, quia diuitiæ infirmo fundamento nituntur.

12. *Antequam conteratur, &c.* Idem traditur Cap. xv. & xvi. Vers. xiix. Conflatur enim hic versus ex duobus. Repetuntur autem quædam in hoc libro crebrius tanquam sententiæ quædam communes vel quia ad alium & alium finem relationem habent.

13. *Qui prius respondet, &c.* Hoc morale & verborum est documentum, admonens eum, qui pro fatuo palam haberi non velit, non prius respondere, aut alterius orationem interrumpere debere, quàm alterius propositionem plenè audiuerit.

14. *Spiritus viri, &c.* Locus hic agit de tolerantia. Siquidem in aduersis corporisque ægritudinibus æquabili animo tolerandis non parua patientiæ pars sita est: sapientiæ porro comes est animi fortitudo, quæ bonam molestiarum corporis partem absumit. Spiritus ergo & fortitudo viri corporis, cum quo habitat, infirmitatem profert, spiritum autem afflictum atque prostratum tolerare perdifficile est. In nostra Editione pronomen reciprocum *Suam*, relatiuè exponi debet. Rursum quod in secundo membro eiusdem Editionis refertur ad passionem iræ, in Contextu

Hebræo

Hebræo generatim ponitur, generatimque ad omnem animi morbum referri potest. Posset ad hunc quoque modum exponi: Satius est conflictari cum corporis morbo, quàm cum alterius iracundia.

15. *Cor prudens, &c.* Monuit ad corporis incolumitatem animi sanitatem necessariam esse, hic vero docet eandem sanitatem & tranquillitatem ad comparandam scientiam apprime quoque vtilem & necessariam videri: animo namque quacumque passione turbato, frustra quæritur scientia. Nam illa præter animi tranquillitatem, requirit quoque priuatam meditationem & studium, & sapientum præterea operam & auscultationem.

16. *Donum hominis, &c.* Describitur hic quanta munerum & donorum sit facultas. Siquidem muneribus omnia sunt peruia & patentia, etiam Regum palatia & atria, nedum priuatorum hominum domicilia.

17. *Iustus prior, &c.* Cohærent hæc cum præcedentibus. Significatur enim eum iustum censeri, litémque obtinere, qui primus causam suam apud iudicem exponit; vel qui in ipso statim litis exordio se nihil velle aliud nisi iustum & æquũ declarat. Atque huc tendit nostra Editio, quæ altiori sensu nos admonet, vt seueri nostri ipsorum iudices & accusatores simus.

18. *Contradictiones, &c.* Et hæc quoque cum præcedentibus sunt connexa. Nam cum controuersię publico iudicio componi non possint, sortibus committi solent. Per has enim, ea quæ aliâ ratione componi non possunt, haud incommodè componi consueuerunt.

19. *Frater qui adiuuatur, &c.* Prima loci huius pars ex LXX. petita est. qua significatur validum esse munimentum fratrum inter se concordiam, eorumdémque decreta & iudicia non facile infringi posse. Conuenit cum illo Sallustiano, *Concordia res paruæ crescunt.* Contextus Hebręus aliud sonat. habet enim: *Frater à fratre læsus obstinatior fortiori ciuitate est.* Rursum: *Fratrum inter se contentiones, sunt veluti repagulum aut vectis palatij.* Hoc est, fratrum & coniunctorum inter sese disidia difficillimè consopiuntur, & componuntur, & hoc quotidiana experientia confirmat.

20. *De fructu, &c.* Similis sententia legitur Cap. XII. Vers. XV. & Cap. XIII. Vers. II. Docetur autem, vnumquemque mercedem acceptuum pro ratione verborum. Posterius membrum clarius exprimunt Hebræi, & LXX. Habent enim: *De fructu vel prouentu labiorum suorum vnusquislibet saciabitur.* Vtroque autem membro idem significatur.

21. *Mors & vita, &c.* Hic denuo inculcat mortem & vitam in lingua

positam

positam esse. Nam peruersi oris homines se ipsos perdunt & alios multos in vitæ discrimen sæpe adducunt; è diuerso qui lingua doctrinâque sana vtuntur, & suam & aliorum quoque salutem promouent. In lingua proinde summa sita est vtilitas, & summa rursum pernicies. Qua de re copiosè Iacobus Apostolus Canonicæ suæ Cap. III.

22. *Qui inuenerit mulierem, &c.* Tò *Bonam* in Hebræo Contextu non exprimitur, attamen vel hoc, vel aliud simile necessariò subintelligitur. Neque enim is felix est, qui reperit mulierem, cum eiusmodi animalia passim sint obuia; sed qui reperit bonam & honestam, aliisque virtutibus ornatam. Videtur autem subintelligendum *Taciturnam*: nam & de linguæ vitiis paulò antè disseruit, & mulieres maiorem partem solent esse garrulæ & loquaces.

Qui expellit, &c. Hic versus à Lxx. desumptus est, Latina emendata non habent. Sensus autem planus est: Nam vt stultè & impiè facit, qui probam castámque reijcit; ita insipienter & improbè agit, qui improbam & adulteram in ædibus retinet, nisi forsan certa emendationis spes exstet.

23. *Cum obsecrationibus, &c.* Videtur hic locus ex instituto perstringere diuites auaros, qui pauperes suppliciter opem implorantes non modò non subleuant, sed cum indignatione quoque & obiurgatione repellunt. Patefit hic quoque via ad comparandam & retinendam amicitiam percommoda; nam qui precariò agunt, vt pauperes solent, facili negotio amicos inueniunt, & quos ante inimicos habebant, haud difficulter in gratiam reducunt: in diuitibus porro & superbis oppositum obtinet.

24. *Vir amicabilis, &c.* Docetur hic virum ex animo amicum, non minus præstare posse & solere quoque, quàm frater germanus; adeóque eodem illum loco habendum, quò fratrem. Hebræa aliquantum discrepant, tendunt tamen in eumdem scopum. Sonant autem: Virum amicitiæ ex animo deditum, firmius constantiúsque amare quàm fratrém.

PARA-

PARAPHRASTICA CAPITIS DECIMI NONI EXPLANATIO.

1. *Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quàm diues torquens labia sua & insipiens.*

PAuper qui integrè, syncerèque ambulat, vitæque perfectionem, quanto potest studio, consectatur, melior est illo, qui præ stultitia labia torquet, stultáque & à veritate aliena docet. Siquidem præstantior, publicóque citra controuersiam vtilior est bona & honesta vita absque magna eruditione, quàm iactantia & magna scientia, quę cum stultitia & superbia est coniuncta: quandoquidem rarò aut etiam numquam eiusmodi ab erroribus est vacua. Inter cetera namque familiarissimum est hæreticis iactare Scripturarum & aliarum rerum scientiam, cum tamen nihil omnino solidæ eruditionis habeant.

2. *Vbi non est scientia animæ, non est bonum: & qui festinus est pedibus, offendet.*

VBI non adest sui ipsius, eorúmque quę ad salutem vitęque statum cognitu sunt necessaria, notitia, ibi nullum adest solidum & constans bonum; sed temeritas, imprudentia, error, & lapsus. Quandoquidem homo necessaria scientia destitutus, omnia facit præpropere, & absq. deliberatione. Sequitur enim animi sui impetus, affectuumq. impulsus; adeóq. non potest non crebrò impingere. Quin vita quoque quę nulla scientia exculta est, nihil ferè gratię nihil venustatis, nihil vera vita dignũ obtinet.

3. *Stultitia hominis supplantat gressus eius: & contra Deum feruet animo suo.*

QVod homini sui conatus ex animi sententia sępe non succedunt, vel sinistrè cadunt, hoc non est Deo, aut fato, aut astris imputandum, vt nonnulli vesani, & in Deum blasphemi nugantur; sed luę ipsius stultitię & improbitati. Ea enim potissima causa est, quæ hominis gressus supplantat, eiusdémque viam peruertit. Quare inuiste incenso animo contra Deum insurgit quasi illum à proposito fine impediuerit, aut in calamitatem, vel cladem coniecerit, vel peccati illius auctor exstiterit. Sic Adam peccatum suam reiecit in Euam, hæc in serpentẽ, alij item in alios vel alia.

4. Diuitiæ addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi quos habuit separantur.

ETsi veræ & solidæ amicitiæ fundamentum & quasi basis sit animi virtus, res tamen humanæ ita ferè sunt comparatę, vt ij plerumque multos numerent amicos, qui multis magnisque valent opibus; ij contra, amicis careant, qui carent diuitiis, etiamsi viri alioqui sint probi, virtutibúsque ornati: imò verò vt ab iis, quos habere, videbantur sæpe deserantur. Quæ tamen res non prouenit ex natura rei, sed ex præpostero hominum iudicio. Nam re ipsa melior est pauper submissus & integer, quàm diues labia torquens, & arrogans, vt modò dicebatur. Quod si diuitias in pauperes liberaliter erogarent, veros & stabiles in altera præsertim vita sibi amicos pararent. Sed istud plerique, vel non faciunt, aut nimis parcè faciunt.

5. Testis falsus non erit impunitus: & qui mendacia loquitur, non effugiet.

VVlgatum est malum, sed valdè graue, reique publicæ apprimè noxium mendacium, maximè verò in publico iudicio prolatum; quippe in quod non modò pauperes frequenter incidunt (siquidem egestate coacti ad furta, periuria, & falsa testimonia facile impelluntur) verum etiam auari diuites. Nam quo prædam, quam venantur, assequantur, & ipsi multa mendacia confingunt; & falsos testes subornant, & per illos ad litis victoriam contendunt. At quamuis homines fallant, pauperésque & impotentes hac ratione opprimant, Deum tamen non fallent; apud illum namque nullus testis mendax & falsus manet impunitus, nullúsque qui mendaciis vtitur promeritum supplicium in illius foro euadit.

6. Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis.

NON modò multorum amicitiam diuites, viríque potentes & principes obtinent; sed magnis quoque honoribus passim afficiuntur: omnes namque certatim tales honorant, reuerentur, & obseruant, maximè verò si viri sunt munerum, hoc est, ingenui & liberales. Nam diuites auari, qui maioris faciunt pecuniã, quàm amicitiam, aut aliam quamcúmq. gratiam, paucos plerumque candidos amicos numerant; imo illos ipsos, quos habent, nimiâ suâ tenacitate facile ab se alienant.

7. Fratres

7. *Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo.*

VErumenimverò cùm pauperibus aliter res se habet. Tantum enim abest vt homines exteri & ignoti illorum amicitiam vel familiaritatem affectent, aut amicè & familiariter cum iis agant, vt coniuncti & fratres illos odio prosequantur; iique, qui amici videbantur, procul ab iis recedant: vel quia pudet eos in tanta inopia constitutos videre; vel quia metuunt, nequid præsidij illis impertiri cogantur. Graue proinde onus est paupertas; verum qui suâ ignauiâ nullam illi causam dederunt, patientérque illud ferunt, non parum apud Deum promerentur.

8. *Qui tantùm verba sectatur, nihil habebit: qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, & custos prudentiæ inueniet bona.*

QVI, siue discat, siuè doceat, siue aliud quid agat, verba tantum verborúmque ornatum sectatur & admiratur; neque alteri ferè vlli rei incumbit, quàm vt noui aliquid dicat, vel audiat, ille nullam rem faciet; neque vllum solidum fructum consequetur. At vero possessor mentis, hoc est, vir prudens & cordatus, non est contentus nudo verborum strepitu, verum reipsa animam suam diligit; adeóque quæ ad salutẽ illius faciunt, vt sunt diuinæ legis meditatio & obseruatio, studiosè amplectitur, & consectatur: & quo æterna illa bona aliquando inueniat tutóque possideat, præcepta prudentiæ legésque intelligentię diligenter obseruat. Paucis, nihil eorum omnium omittit, quæ ad salutem sunt vtilia vel salutaria.

9. *Falsus testis non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, peribit.*

NON impune ferent, qui falsum testimonium ferunt, aut mendacium depromunt. Nam licet humanum iudicium fallant, diuinum tamen, vt paulo ante exponebatur, fallere non possunt. Quamobrem tandem aliquando nisi resipuerint, in interitum ruent. Atque hoc quotidiana experimenta disertè probant.

10. *Non decent stultum deliciæ, nec seruum dominari principibus.*

HOmini stulto & fatuo non conueniunt delitiæ; neque publici honores, neque aliquid aliud eiusmodi. Nam cum eiusmodi res sapientes quoque transversos agere, & ad multas stultitias præcipitare nonnum-

quam ſoleant, quanto magis ſtultos, qui nulla in re modum ſeruant? Et quemadmodum ſtulto non conuenit ſaturitas panis, aut rerum copia; ita dominatus quoque inter viros principes non conuenit ſeruo. Serui namq. pro conditionis ſuæ ratione eſt ſeruire, non dominari. Etenim cum ſeipſum regere non queat, quomodo alterum reget? Vt ergo delitiæ non conueniunt palato fatui, ita nec ſceptrum quoque manui ſtulti.

11. *Doctrina viri per patientiam noſcitur, & gloria eius eſt iniqua prætergredi.*

EX doctoris patientia haud difficulter cognoſci poteſt, cuiusmodi illius ſit doctrina. Prudentum namque verèque ſapientum eſt aliorum morbos & ægritudinem patienter ferre, iram moderari, ad vindictam tardum eſſe, à neceſſario docendi munere propter perſecutionem non deſiſtere. Apoſtoli namque mori malebant, quàm veritatis prædicationem deſerere. Doctrina proinde viri ſapientis per patientiam dignoſcitur, & gloria eius eſt iniquam aliorum præuaricationem præterire, & diſſimulare; eidémque facili negotio ignoſcere, & ſeſe, ne in aliquid ſimile quandoque incidat, diligenter cuſtodire.

12. *Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira: & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas eius.*

QVemadmodum autem cauendum eſt, ne familiares aut vicinos, quibuscum frequens nobis intercedit vſus, facile ad iram prouocemus; aut offenſi grauius in illos inſurgamus; ita ſummopere quoque cauere oportet, ne Regibus, aut Principibus iuſtam offenſionis cauſam offeramus. Eſt namq. Regis ira inſtar fremitus leonis, hoc eſt, planè terribilis & implacabilis: ſicut è diuerſo fauor eius, gratia, & beneuolentia eſt inſtar roris. Nam & recreat, & fouet, & viuificat, & incrementũ præſtat. Quod hic de leonis fremitu traditur, hoc in leonem illum maximè conuenit, qui ortus eſt de tribu Iuda. Is enim vt in obſtinatos peccatores eſt terribilis, ita in peccatores pænitentiam agentes eſt mitiſsimus

13. *Dolor patris filius ſtultus: & tecta iugiter perſtillantia, litigioſa mulier.*

VT ingens calamitas, afflictio, & dolor eſt patris filius ſtultus & improbus (quippe qui domi foriſque nihil niſi ruborem, & moleſtiam illi adferat) ita mulier rixoſa, garrula, & improba continua crux, & quaſi perpetuum quoddam ſtillicidium eſt marito. Nam vt tectum perſtillans

pluui-

pluuiámqne transmittens iuge negotium facessit inquilinis, eosdémque è domo quodammodo expellit; ita litigiosa mulier nullam requiem marito domi manenti concedit; efficitque adeo vt extra domum solatium quærat, idque cum magno familiæ detrimento & probro. Quamobrem diligentissimè curandum est, vt proba, taciturna, & commoda vxor ducatur.

14. Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè vxor prudens.

VErum nulla est diligentia tanta, quæ ad beneficium hoc obtinendum per se sat sit; sed peculiari præterea Dei fauore, gratia, & beneuolentia est hic opus. Quamuis enim parentes domum, diuitias, supellectilem, aliáque eiusmodi dare queant, & dare quoque soleant, prudentem tamen probamque vxorẽ non ita. Eiusmodi enim singulari Dei beneficio obuenit: ille igitur rogandus est, vt intelligentem castámque coniugem largiatur.

15. Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet,

PIgritia & otium multa mala pariunt. Nam & hominem ignauum, & desidem, & somnolentum, & ad omne honestum opus ineptum reddunt. Desidia namque adimit illi omnem rationis vigorem & animi agilitatem, efficitque veternoso non absimilem; & quod necessariò hinc consequitur, exponit illum manifesto inediẹ periculo. Qui enim ab omni honesto labore abstinet, totósque dies & noctes otiosè transigit, nisi aliunde habeat, vndè viuat; aut fame pereat, aut ostiatim mendicet, aut malas certè artes tractet necessarium est. Atqui res hẹc est molestissima, & illi, qui citra mendicitatem viuere poterat, probrosissima neque tamen ad profligandam famem satis idonea. Nam quæ emendicantur, sunt incerta; quẹ autem malè parantur, malè & citò quoque dilabuntur. Ea autem somnolentia & ignauia non minus est periculosa in spiritalibus, quàm in tẽporaris, imò verò multo periculosior & detrimentosior.

16. Qui custodit mandatum, custodit animam suam: qui autem negligit viam suam, mortificabitur.

QVisquis legis mandatum, aut Regis statutum seruat, operéque explet, is animam suam à morte liberat; seruat eandem etiam à fame,

& turpitudine, & aliis præterea multis incommodis; at qui vias suas contemnit, neque in viis mandatorum Dei sollicitè incedit, morte morietur. Si enim, qui Dei mandata seruant, vitam consequuntur, efficitur necessariò, vt illi malè morituri, vitaque carituri sint, qui ea non seruant, vel malè seruant.

17. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.*

QVI ex facultatibus suis iusto labore partis pauperi inopiæ illius misertus subuenit, Domino fœneratur. Nam licet is pauperi liberè donet, quidquid donat, Dominus tamen in hoc vel altero sæculo non solum totum capitale in solidum illi reddet, verum etiam auctarium supra summam adiiciet. Nam vt is liberalis fuit in pauperem; ita Christus Dominus vicissim liberalis erit in illum, iuxta illud: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

18. *Erudi filium tuum, ne desperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam.*

SI filius stultus, improbus, vel rebellis tibi forsan obtigerit, castiga & erudi illum; neque si semel, aut iterum, aut crebrius quoque castigatus, mores non emendauerit, animum statim despondeas verum iterum iterumque castiga & admone; neque ad clamorem illius ita aduertas, vt à iusta castigatione desistas; attamen ne eo insaniæ, aut crudelitatis progrediaris vnquam, vt illum occidas, vel occidere animum inducas. Hoc enim ab omni sensu & sapientia esset alienissimum, etiamsi esset stultissimus & improbissimus.

19. *Qui impatiens est, sustinebit damnum: & cùm rapuerit, aliud apponet.*

QVI impatiens facilisque ad iram est, tandem aliquando pœnam & damnum sustinebit. Nam etsi semel & iterum impune insaniuerit, ad finem tamen intercipietur, iustáque multa afficietur. Etenim cum iracundi per furorem multa mala & flagitiosa, quorum ipsos postea pænitet, sæpe designent, fieri vix potest vt perpetuò impunes viuant. Quamvis, inquam, furiosus vnâ & alterâ vice propter immoderatam iram nihil incommodi pertulerit, aliquando tamen temeritatis suæ pœnas luet. Atque hucendit, dum ait: *Cùm rapuerit*, vel pertulerit, nempe ob iram suam damnum

aliud

aliud adhuc & aliud adiiciet, hoc est, varia incommoda propter iram incurret.

20. *Audi consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis.*

FIli, audi consilium & suscipe disciplinā, non modò à parentibus, quorum monitis & institutis peculiari ratione morem gerere debes, verum ab omnibus qui te sunt sapientiores; vt si non in prima statim ætate, saltem in sera senectute sapientiæ laude præstes. Nam cum senectus viribus, & corporis robore destituatur, & multis plerumque morbis & incommodis inuoluatur, longè miserrima est, si prudentia quoque & sapientia caruerit. Audi itaque & disce, dum per ætatem licet, ab omnibus.

21. *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.*

MVltum inter diuinas & humanas cogitationes intercedit. Nam homo varia in corde suo versat, neque siquid deliberatum habet, constans in eò semper manet; subindè namque in aliud & aliud transfertur, prout res, vel tempora, vel alia, quæ rem circumstant, mutantur. At Dei consilia & decreta perstant in æternum fixa & firma; quare frustra quoque homo se illis opponit.

22. *Homo indigens misericors est: & melior est pauper, quàm vir mendax.*

HOmo inops, qui, quanta miseria & calamitas sit cum inopia conflictari, expertus est, multáque frustra desiderare solitus est, misericors & ad alienum incommodum propulsandum promptus est, adeóque viro mendaci (cuiusmodi est qui fingit dare se cupere, sed præ inopia dare non posse) multis partibus melior est. Minus itaque malum est pauperem esse, quàm auarum. paupertas enim conciliat misericordiā & commiserationem; auaritia autem mendacium & crudelitatem, sed & multò quoque præstat pauperem esse, atque ita opere ipso beneficum esse non posse, quàm falsò de beneficentia gloriari, hoc est, suam, quàm quis non exercet, beneficentiam publicè prædicare.

23. *Timor Domini ad vitam: & in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessimi.*

TImor Domini præstat, quæ ad felicitatem sunt necessaria, quæque homines mentis iudicio valentes præ ceteris expetere solent. Sunt autem hæc tria: nempe longa vita, rerum omnium abundantia, & summa

vtriusque

vtriusque securitas. Vita per se tametsi longa, non sat est ad felicitatem, cum quidam semper viuant in summa miseria. Nec sat rursum est rerum omnium copia; cum hæ in hac præsertim vita adiunctas habeant multas curas & sollicitudines; verum tum demum vita & copia beant, cum adest securitas. At hæc nulli in hac vita obtingit, sed in altera tantum. Omnia autem hæc præstat timor Domini. Qui timet Dominum, ait hoc loco Sapiens, ad vitam procedet, & in plenitudine vel securitate morabitur & viuet absque vlla visitatione mali vel infortunij.

24. *Abscondit piger manum suam suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.*

TAnta quorumdam hominum est ignauia, & ab omni honesto labore auersio, vt ne fame quidem, aut aliâ magnâ necessitate vrgente, aliquid agere in animum inducant, imò verò vt ad mensam paratam non absque tædio & nausea accedant, aut cibum capiant. Nam omni corporis curâ abiectâ, manum in sinum abscondunt, nec citra molestiam ad os illam admouent: quamvis is quoque qui præ pigritia manum in sinum abdit, indignus sit qui ori illam admoueat, hoc est, qui quod comedat, habeat.

25. *Pestilente flagellato stultus sapientior erit: si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam.*

NVllum prorsus impune peccare pati conuenit, non stultum, non sapientem, non pestilentem, non obstinate improbum, nullum denique eius generis alium; quia licet castigatio ipsi non prosit, prodest tamen aliis, qui propter illius pœnam à peccatis absterrentur, vel parcius certè & cautius peccant. Non rursum sapientem, quia suauiter admonitus, vel acriter quoque obiurgatus, sapientior & cautior euadet: verumtamen si casu impegerit, non est statim pœnę subiiciendus, sed modestè tantum admonendus. Plus enim apud ipsum valent verba, quàm apud stultum & improbum verbera. Non alium denique illum ne iustitia lædatur, aut ne prauis maléque feriatis liberius peccandi ansa offeratur.

26. *Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominiosus est & infelix.*

QVI vexat, vel affligit Patrem; & fugat, domóque expellit matrem, sese suósque parentes ingenti pudore, clade, & ignominia afficit. Nam & parentes ad paupertatem summamque miseriam redigit, & apud omnes contemptibiles facit, & seipsum non modò in hac vita, verum in

altera

altera quoque verè infelicem, æternoque opprobrio & supplicio dignum reddit. Est enim grauissimum peccatum præ pigritia nolle laborare; & interim ne desit, quod edas, parentes vi vel fraude expilare; & vt patriam deserant, suâ improbitate quodammodo compellere.

27. *Non cesses, fili, audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ.*

NVmquã, fili, finem facias, quæ salutaria sunt audiendi atque discendi, daréque operam ne veræ scientiæ sermones ignores: verumtamen ab eorum sermonibus, doctrina, & disciplina, omni studio abstine, & te abstrahe, qui à vera scientia & sapientia in errorem, nec non à mandatorum Dei obseruatione ad luxum & impietatem abducunt. Eiusmodi verò est doctrina Philosophorum, hæreticorum, & Iudæorum, & aliorum ab orthodoxa fide veraque religionẽ alienorum.

28. *Testis iniquus deridet iudicium: & os impiorum deuorat iniquitatem.*

TEstis peruersus deridet iudicium, omnémque iustitiam & æquitatem aspernatur. Siquidem peruerso suò testimonio peruertit ius & æquũ, efficitque vt quod secundum se æquum & iustum erat, iniustum & iniquum habeatur & iudicetur. Os porrò impiorum deuorat iniquitatem, quia citra delectum, magnâque auiditate velut gratam escam eam aucupatur, impudenterque citra vllum conscientiæ stimulum imbibit, nonnumquam tamen, quò facilius decipiat, callidè illam tegit.

29. *Parata sunt derisoribus iudicia: & malleis percutientes stultorum corporibus.*

INterim non impune deridebunt iudicium iniqui testes, & ora quæcumque iniqua loquuntur, sed magno suo detrimento id faciant. Exspectat, sanè Deus patienter ad pœnitentiam peccatores, suæque salutis contemptores; verum vbi videt se nihil proficere, facit tandem iudicium & iustitiam. Quæ vtique iudicia alia non sunt, quàm mallei, quibus ceduntur peccatorum dorsa, nempè ipsa inferni supplicia, quę metaphoricè per malleos, verbera, vibices, contritiones, aliaque eiusmodi exprimuntur.

AD CAPVT DECIMVM NONVM SCHOLIVM.

1. *Melior est pauper, &c.* Quædam exemplaria secundum membrum ita legunt: *Quam diues torquens labia cum sit insipiens.* Comparatur hic autē pauper integræ synceræq. vitæ cum eo, qui prę stultitia vel superbia labia torquet, peruersáq. & à veritate aliena, docet. Sensus enim versiculi est: Melior est proba vita cum exigua doctrina, quàm vana ostentatio de magna doctrina, quæ persuperbiam & stultitiam est contaminata.

2. *Vbi non est, &c.* Geminum hæc sensum offerunt, prout vox *Animæ* ad præcedentia & sequentia referri potest. Alter est: Vbi non est scientia ad salutem necessaria, ibi nullum adest bonum. Alter est: Animæ illi nullum adest solidum bonum, cui deest prudentiâ, quæ homini est necessaria. Per *Festinum pedibus* insinuat hominem, qui affectibus & passionibus suis statim cedit & obsequitur.

3. *Stultitia hominis, &c.* Quod de stultitia hominis gressus subuertente hic asseritur, duplici nomine verum est. Nam & efficit vt via eius sit peruersa, eiusdémque actiones prauæ; & ex stultitia rursum prouenit, vt hominis studia eiusdémque conatus suo fine frustrentur. Atque ita fit vt per iram contra Dominum insurgat, quasi ipse impediuerit conatū illius, & non eius stultitia & insipientia.

4. *Diuitiæ addunt, &c.* Exponit hæc sententia quod communiter accidere solet, non quod rei natura postulat. Melior est enim pauper integræ vitæ, quàm diues stultus fastuque tumens. Neque tamen in magnum aliquod pauperis detrimentum cedit hic contemptus. Nam dum ab hominibus deseritur vel contemnitur maiorem habet occasionem, vt se totum conuertat ad Deum, à quo numquam deseretur; nisi ipse prius Deum deserat. Ceterum amici, quos solæ opes comparant, non sunt stabiles, sed inconstantes & temporarij, sicut ipsæmet opes. Verum enim & solidum amicitiæ fundamentum est virtus & animi excellentia.

5. *Testis falsus, &c.* Multa passim & crebrò contra falsa testimonia & mendacia adfert Sapiens, quia vtrumque reipubl. & proximo est valdè

noxium,

noxium, & Deo apprime exosum. Multi enim per falsa testimonia non solum bonorum fortunæ & famæ, sed vitæ quoque iacturam faciunt. Falsus ergo testis non erit impunitus, sed promeritas pœnas, si non in hac, in altera certè vita luet. Infestat autem hoc vitium non modò auaros diuites, verum nonnullos quoque pauperes, sed improbos,

6. *Multi colunt personam, &c.* Idem hic indicatur, quod versu quarto huius capitis & alibi rursum. Significatur autem opes parare amicos, non quidem auarè detentas, sed liberaliter distributas.

7. *Fratres hominis pauperis, &c.* Exponit hic quid inter diuitem & pauperem intercedat. Diues ab omnibus colitur & honoratur; pauper à proprijs quoque fratribus contemnitur atque deseritur, nedum ab alienis. Mysticè: Vir donorum & diues, est Christus, pauper autem in donis & bonis omnibus est populus Iudaicus.

8. *Qui tantum verba, &c.* Prima sententiæ huius pars in Contextu Hebræo cohæret sententiæ præcedenti. Sonat autem: Pauper sectatur verba, hoc est, promissa sibi facta, sed nihil assequitur. Vulgata autem Editio verborum sectatorem opponit possessori mentis & prudentię custodi. Sensus autem est: Qui tantum audire vel loqui studet, & nihil operari, nullum ille solidum fructum consequetur. Verum viri cordati & prudentes verbis non contenti ea præstant studéntque iis quæ ad salutem animæ sunt necessaria. Adeóque consequuntur bona illa quæ Deum diligentibus in altera vita sunt promissa.

9. *Falsus testis, &c.* Hæc iam ante nimirum huius Capitis Versu V. sunt exposita. Solum hoc differunt, quod mendax hic dicitur periturus, ibi autem pœnam daturus.

10. *Non decent stultum, &c.* Ponuntur hic duo tanquam absurda planéq. præpostera, quę postea Cap. XXX. dicuntur talia, vt terra sustinere ea non valeat. Sunt autem illa; voluptas, vel oblectatio stulti, & dominatus serui. sunt enim hęc ex natura rei indecora. Serui enim est seruire, non imperare, stultorum autem gregi magis conueniunt ergastula & verbera, quàm carnis delitiæ, & mundi oblectamenta. Mysticè: Stulto, hoc est, peccatori non conueniunt spiritales delitię, neque peccato seruienti animarum regimen

11. *Doctrina viri, &c.* Docetur hic ex doctoris constantia & patientia cognosci posse cuiusmodi sit illius doctrina, tum veréne doctus sit an indoctus. Adhęc ad gloriam eius facere, iniqua aliorum scilicet errata prętetire & dissimulare, neque curiosè illa obseruare, nulla denique iniqua com-

mittere; ita vt ad propria & aliena quoque peccata referatur, quod hic dicitur.

12. *Sicut fremitus leonis, &c.* Docet hic subditos erga Principem suum ita se gerere debere, ne in illius indignationem incurrant, aut gratiam amittant, propterea quod admodum periculosum sit Principes ad iustam iram prouocare; sicut è diuerso pervtile simul & periucundum est illorum gratiam obtinere.

13. *Dolor patris, &c.* Et hæc quoque iam ante maiorem partem sunt explicata. Monentur hic autem filij, & matresfamilias officij sui. Nam vt filij improbi & immorigeri maximam molestiam adferunt parentibus; ita improbæ & rixosæ vxores grauissimè affligunt suos maritos. Benè autem improba & litigiosa vxor comparatur tecto perstillanti, quia vtrumque continuam adfert molestiam, neque domi neque foris indulget requiem.

14. *Domus & diuitiæ, &c.* Docetur hic alia alios impertiri posse, bonam autem & probam vxorem à solo Deo prouenire. Interim homo, quod suarum est partium, non debet omittere. Sunt enim permulti qui magis spectant formam & opes, quàm mores; neque diuinæ gratiæ præsidium imploran atque ita non est mirum si infeliciter sæpe contrahant.

15. *Pigredo immittit, &c.* Sapiens subinde impetit ignauiam & otium, propterea quod multa mala inde proueniant, & quidem hoc loco duo incommoda, quæ ex desidia oriuntur, assignat. Nam & hominem somnolentum, bardumque & stupidum reddit, & famem rursum & inediam parit, adeóque hominem omnibus modis miserum efficit.

16. *Qui custodit, &c.* Commendat hic rursum diligentiam & præceptorum obseruationem; quod hęc vitam, opposita verò mortem pariant.

17. *Fœneratur Domino, &c.* Et hic rursum, vt ante frequenter, commendat eleemosynarum studium, id quod maximè fouetur per honestum laborem, ad quem paulo ante excitauerat, & remuneratur amplâ mercede in vtraque vita à Domino.

18. *Erudi filium, &c.* Admonentur hic parentes ne spem statim abijciant, si illis stultus & contumax filius obtigerit: verum vt verbis simul & verberibus rebellem ad officium compellant, id eâ tamen moderatione, vt neque occidant, neque grauius quoque lędant.

19. *Qui impatiens est, &c.* Hortatur ad patientiam & mansuetudinem, quod iracundi incidant in varia incommoda & damna, & graues tandem iracundiæ suæ pœnas luant. Sunt qui hæc referant ad versiculum præcedentem,

dentem, quo parentes admonebantur, ne ita sæuirent in filios quantumlibet dissolutos, vt eos perimerent. Nam dum filius non occiditur, sed tantum punitur, licebit iterum iterumque illum à pœna eripere, & pœnę rursum pro meritorum ratione subijcere, idque in infinitum.

20. *Audi consilium, &c.* Admonuit parentes ne filios castigare, & ab improbitate coërcere negligant, hoc autem loco hortatur filios, vt paternæ disciplinæ sponte & libenter sese submittant, illorumque monitis & consilijs pareant, quo hac ratione in viros sapientes euadere aliquando valeant.

21. *Multæ cogitationes, &c.* Confertur hic hominis instabilitas & inconstantia cum Dei stabilitate. Hic enim non mutatur de consilio in consilium, aut de cogitatione in cogitationem, sed stat semper immotus suiq; similis; homo autem instar rotæ mutatur in horas & transfertur de vno in alterum continuò.

22. *Homo indigens, &c.* Docetur hic inopes proniores esse ad benignè faciendum egentibus, quàm diuites: quia nimirum experti sunt quantum sit onus indigentia: pauper proinde misericors esse desiderat, sed reipsâ non potest; diues potest, sed non vult, quod malum est; peius tamen videri velle, cum non sit.

23. *Timor Domini, &c.* Timori Domini tria hic bona tribuuntur, quę mortales omnes auidè desiderare solent, simulque iuncta perfectè bequant. Sunt autem Vita, Rerum copia, & Securitas summa. Verum in hac mortali vita, nulli hæc tria simul obtingunt, neque obtingere possunt.

24. *Abscondit piger, &c.* Iterum incessat hic desidiam & ignauiam. Homini enim iuueni nihil æquè est noxium atque otium; neque aliquid ita à vera sapientia est alienum atque ignauia, sapientia enim requirit non quodvis studium, sed acre & assiduum. Vtitur autem hyperbolica locutione ad exprimendum extremam quorundam desidiam. Nisi ita exponas: Piger omnem laborem detrectans, non habebit quod in os ingerat, adeóque fame interibit.

25. *Pestilente, &c.* Scopus loci huius est nullum peccatum aut peccantem impune esse dimittendum. Non sapientem; quoniam si illis daretur impunitas, ex sapientibus & iustis facile euaderent iniusti & insipientes, magnum ideo infirmis daretur ad improbitatem incitamentum, sapiens denique admonitus & castigatus sapientior fieri solet. Non pestilentem rursum vel sacrorum derisorem, quia licet castigatio tali parum præstat,

præstat tamen aliquid ijs, qui propter eiusmodi punitionem cautiores efficiuntur. Licet hinc discere quid statuendum sit de obstinatis hæreticis, vt ferè omnes esse consueuerunt; nempe illud quod in sceleratos fidei proditores, religionisque euersores statui æquum est.

26. *Qui affligit patrem, &c.* Docemur hinc summa infelicitate, miseria & ignominia dignos, qui patrem affligunt, aut matrem ita tractant, vt fuga sibi consulere, aut solum vertere compellatur. Contingit hoc autem varijs modis: vel quia parentes clanculum expilant, vel quia omnia illorum bona luxuriosè abliguriunt, vel aliâ viâ parentes ad summam inopiam & ignominiam adducunt, ita vt præ inopia vel ignominia patria excedere compellantur. Sensu mystico: Iudæi Christum Dei Filium in crucem agentes Deum Patrem, quod in se erat, grauissimè afflixerunt, quoniam fuit hoc summum piaculum, & matrem suam synagogam maxima ignominia affecerunt.

27. *Non cesses, &c.* In Contextu Hebræo leguntur hæc absque vlla prorsus negatione. Habent enim: *Cessa, fili, audire disciplinam,* vel institutionem, non omnem, sed eam quæ te à Dei mandatis ad errorem & impietatem abducit. Alij exponunt: Desine, fili, documenta semper discere, & numquam ad veram sapientiam peruenire; vulgata Editio eodem tendet, si legatur interrogatiuè, ad hunc modum: *Cessabis ne aliquando, fili, audire doctrinam quæ à verbis sapientiæ abducit.* Vel simpliciter: *Ne cesses, fili, audire doctrinam sapientum, neque ignores sermones scientiæ.*

28. *Testis iniquus, &c.* Iterum hic agit contra falsos iniquósque testes improborúmque improbitatem & iniquitatem. Dicitur autem iniquus testis iudicium deridere, quia ius & æquum peruertit. Impius autem deuorare iniquitatem, quia auidè illam desiderat, & oblatâ occasione cum voluptate perpetrat. Hebræi legunt: *Os impiorum tegit, vel operit iniquitatem, qua laborat.*

29. *Parata sunt, &c.* Paucis exponit hic pœnam quæ iudicium derindentibus, & iniquitatem deuorantibus parata est, quo hinc intelligant se non impunè iudicium derisuros, aut iniquitatem tecturos. Illa autem iudicia aliud nihil sunt, quàm mallei, quibus cæduntur peccatorum dorsa, hoc est, pœnæ & supplicia, quę in alterutro sęculo sceleratis hominibus irrogantur.

PARA-

PARAPHRASTICA CAPITIS VIGESIMI EXPLANATIO.

1. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.*

QVicumque inter sapientes locum vult obtinere, & à multis magnisque flagitijs & vitijs immunis viuere, ab immodico vini vsu, eorúmque, quæ temulentiam, vel immoderatam voluptatem ciere nata sunt, sese abstineat oportet. Siquidem vinum immoderatè sumptum res est luxuriosa; & ebrietas vndecumque orta, res est admodum tumultuosa & seditiosa, adeóque à vera sapientia alienissima: & hæc ebrietatis mala per quotidianam experientiam sunt manifesta. Vinum enim quod non tantum concupiscentem animæ partem accendat; verum etiam irascentem inflammet; non minus ad cædes, rixas, lites, & contentiones excitat, quàm ad Venerem & lasciuiam.

2. *Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis: qui prouocat eum, peccat in animam suam.*

CEterum tam ebrij, quàm ceteri omnes summopere cauéant ne vel dicto, vel facto, vel alio quovis modò, Reges virósque principes ad iustam iram prouocent. Neque enim minus formidabilis est ira Regis, quàm rugitus sæuientis leonis, sed neque minus quoque periculosa nam qui prouocat illum ad iram, peccat in animam suam, vt qui Deum offendat, & Regem iniusté irritet, & vitam suam mortis periculo exponat.

3. *Honor est homini qui separat se à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis.*

AT non solum stultum, & à vera sapientia alienum est Regem ad iram prouocare; verum cum quouis quoque priuato homine rixari, atq. contendere. Quia ergo turpè, & stultum est litibus vacare, fit vt summa laude & commendatione dignum sit, à rixis & concertationibus alienum esse; præsertim cum sit difficile ita viuere, vt neminem offendas, ita tegerere, vt cum omnibus pacem habeas. At verò de industria lites sectari

nullaque

nullâque cogente causâ cõtrouersiis se immiscere, id demum extremæ est vesaniæ. Nam præterquam quod res illa hominem apud omnes exosum reddat: parit quoque summam animi inquietudinem & perturbationem.

4. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.*

QVI hieme vel tempore alioqui ad id commodo arare & serere præ pigritia non vult, æstate, cum fructus colligi solent, nihil quod metat vel colligat inueniet, adeóque, nisi fame perire velit, mendicare compelletur; rursum quod non casu, sed culpa sua ad eam necessitatem adactus sit, in peccati pœnam mendicabit, & nihil ei dabitur. Ceterum vt ille, qui propter ignauiam opportuno tempore non seuit, æstate nihil colligit, sed ne mendicando quidem quidquam proficit; ita qui corporis & animæ suæ terram in hieme, hoc est, in hac mortali vita, quæ hiemi propter intellectus tenebras, & caritatis algorem, & alias miserias rectè comparatur, per veræ pœnitentiæ opera non excolit, in æstate, nempè in futura vita, nihil inueniet, atque ita cum fatuis virginibus frustra mendicabit.

5. *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri: sed homo sapiens exhauriet illud.*

QVemadmodum aqua profunda non facile exhauritur, nec facile turbatur, neque facile quoque extrahitur; ita sapientum consilia mentisque decreta, non facile quoque à quibusvis deprehenduntur; sed à sapientibus & callidis tantum; neque facile rursum exhauriuntur. Sapientia enim, quo magis communicatur, eo magis crescit, nec facili tandem momento turbatur. Quod si sapientum decreta, quæ abdita in pectore retinent, difficulter cognoscuntur, nec nisi à paucis admodum, ijsque sapientibus dignoscuntur, quid statuendum de diuinæ mentis decretis, ijsq. præsertim, quæ Deus statuit de humana salute, medijsque ad eandem à se ordinatis?

6. *Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet?*

PErmulti iactant misericordiam suamque in alios beneficentiam; verum hominem fidelem, qui nimirum reipsa & ex animo id faciat, quis inueniet? Pauci enim comperiuntur, qui liberalitatem, de qua gloriantur, opere præstent. Pauciores qui syncerè propter Deum istud faciant.

Paucissi-

Paucissimi qui dum hoc faciunt, nihil quod Deum aut hominem offendat, committunt, & vt plures comperiuntur, qui liberalitatem iactant, quàm præstant; ita plures quoque qui aliorum munificentiam prædicant, quàm opere compensant.

7. *Iustus qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet.*

VErum licet verè & ex animo liberales laude digni sint, & vulgò commendari soleant; meliores tamen & præstantiores sunt iusti, qui in vitæ perfectione, & integritate syncere ambulant, vt qui suam posteritatem post se beent; præsertim si maiorum suorum vestigijs insistant, iisque nihil indignum committant.

8. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.*

REX in legitimo iudicio præsidens, causásque & controuersias legitimè, & accuratè discutiés, suâ præsentiâ & auctoritate è medio tollit quodvis malum. Neque enim mali, improbi, & scelerati homines Principum præsentiam ferre possunt. Magni proinde refert Regésne ipsi, vel alij viri principes iudicio præsint, an illorum ministri iudicésque mercenarij; vt enim oculus heri pascit equum, iuxta prouerbium; ita oculus Regis è republ. & regno suo profligat omne malum. Nam licet os illius taceat, vultus tamen eius seueritas loquitur.

9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?*

VErum enim verò etsi quispiam verè misericors & liberalis existat, & in vitæ perfectione & integritate ambulet, & in animæ suæ regno legitimum iudicium exerceat, adhuc tamen certò asseuerare non potest, cor suum a peccatis esse immune; quia nemo non in peccat natus & conceptus est; nemo rursum tam cautè ambulat, vt interdum non impingat; nemo denique tam oculatus est vt aliquando non cæcutiat. Atque hoc iustam omnibus etiam ijs qui iusti alioqui videntur metus & submissionis caussam ingerere meritò debet. Omnibus enim opus est peculiari Dei gratiâ; iustis quidem ne cadant, iniustis verò vt lapsi resurgant. Hęc autem an adsit certò non constat; neque citra diuinam reuelationem, quæ paucis obtingit certò constare potest. Est enim cor hominis abyssus multa.

10. *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum.*

APud Deum execrabile est duplex mercatorum pondus, duplexve mensura: vna magna, quâ emunt; altera parua, quâ simplicibus vendunt; quia vtrumque est contra omnem iustitiam & æquitatem, & reipubl. exitiosum vt quod maximè. Duplici quoque pondere mysticè vtuntur, qui eadem de re vel persona aliter & aliter iudicant; tum qui sibi permittunt & indulgent, quod in alijs damnant vel reprehendunt.

11. *Ex studiis suis intelligitur puer, si munda & recta sint opera eius.*

EX pueri studiis moribus & operibus deprehendi vtrumq. potest, non modò cuiusmodi sit, verũ etiam cuiusmodi olim in altiori ætate futurus sit, probúsne videlicet an improbus. Etenim si in pueritia delectatus operibus mundis & castis, bona spes est in adultiori quoque ætate probitatis & castimoniæ operam daturum. Contra verò si lasciuiæ, superbiæ, vel alterius cuiusvis improbitatis certa indicia in illo apparuerint, meritò formidare licet in grandiori ætate flagitiosum, superbum, vel improbum futurum: etsi eiusmodi indicia nonnúmquam fallant.

12. *Aurem audientem & oculum videntem, Dominus fecit vtrumque.*

QVod auris audit & oculus videt, id non habent ex se, sed ex omnium conditore Domino: is enim fecit vtrumque, quare vim quoque & opus vtriusque accuratè cognoscit, vt cetera itidem omnia, notum est enim illud Prophetæ: *Qui plantauit aurem non audiet.* Fecit autem vtrumq. vt pié rectéque iis vtamur: aure quidem ad hauriendam ab aliis scientiam & doctrinam; oculo verò ad contemplandum opera Dei & venandum ex iis sapientiam. Ex creatura namque eiusdémque pulcritudine Dei virtus & Sapientia atque alia præterea multa deprehenduntur & cognoscuntur.

13. *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos, & saturare panibus.*

NON plus quàm sat est dilige somnum. Siquidem somno regnum obtinente, nullus neque aurium, neque oculorũ, neque aliarum virium corporis vel animæ est vsus. Quod si legitimus horum vsus te non mouet,

mouea

moueat saltem necessitas: nisi enim somnolentiam, hoc est, ignauiam & pigritiam excusseris, & operi cupiam honesto animũ adieceris, futurum est vt egestas te opprimat. Tantisper itaque vigila, & labora, dum ad vitæ vsum necessaria paraueris. Aperi oculos & labora, vt saturere pane: nisi enim vigilaueris & laboraueris inediam euadere non poteris. Quod si somnolentia perniciosa est, in rebus externis & fluxis, quanto magis in spiritualibus & æternis?

14. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor: & cum recesserit, tunc gloriabitur.*

VT mercatores rem nondum emptam vituperant, valorémque eiusdem extenuant; asserunt namque quanti æstimatur tanti nequaquam valere, aliáque id genus complura; ita iam emptam, eiusdémque pretium & bonitatem extollunt, quò aliis carius illam distrahere valeãt. Sed & natura quoque ita comparatum videtur vt plerique omnes sua de meliori nota commendent, aliena autem vituperent, aut minus certè faciant. Tum vt illa, quæ citra laborem & molestiam non obtingunt, vt sunt, opes honores, scientia aliáque eiusmodi, initio quidem habeantur pro vilibus neque satis idoneis, propter quę multum sudetur, ad finem verò, vbi iam per laborem comparata sunt, maximi fiant: habetque id locum in iis præcipuè laboribus & operibus, quibus comparatur scientia & vita æterna.

15. *Est aurum, & multitudo gemmarum: vas autem prètiosum labia scientiæ.*

QVI sapientia & eloquentia ornatus est, linguámque disertam & eruditam nactus est, haud multum curat aurum, argentum, lapides pretiosos, gemmatáque vasa; nouit enim thesaurum se possidere his multo pretiosiorem; neque ignorat quoque per scientiam, & eloquentiam qua pollet, hæc se parare facile posse. Atque ita prima iuuenum cura deberet esse non de mercatura, vel aliis artibus, quibus opes parantur, sed de sapientia & eloquentia; nam per hæc cetera omnia parari possunt: sed & cetera omnia quoque, si desit sapientia, parum prosunt, tametsi magni apud homines fiant.

16. *Tolle vestimentum eius qui fideiussor exstitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo.*

RES periculi plena est, fidem suam pro aliis obstringere, maximè verò pro hominibus ignotis & extraneis. Quamobrē si quis pro extraneo fideiussit tolle vestimentum eius, vt hoc saltem in necessitate reliquum illi fiat. Siquidem futurum est vt propter temerariam sponsionem, ad extremam paupertatem redigatur; adeoque vt pignoris loco vestem quoque ab eo auferant creditores, si illam forte cōpererint; sed & ipsi creditores quoque hoc loco admonentur, vt tempestiuè sibi prospiciant, ne omnino fraudentur; monentur, inquam, vt vbi primum quis pro extraneo vel extranea spoponderit, vt fideiubentis vestimentū, vel aliud quidpiam eiusmodi statim in ipso contractu pignore accipiant: vt si principalis debitor non soluat, neque fideiussor soluere queat, aliquid saltem in debiti solutionem accipiant. Quod si vestis, vel aliud pignoris loco accipiendum est, cum notus spondet pro ignoto, multò magis fieri id debebit, cum ignotus fideiubet pro noto vel ignoto.

17. *Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo.*

SVauis est homini panis mendacij, hoc est, omne omnino lucrum per fraudem, vim, vel dolum partum, initio suaue videtur quia nullo aut exiguo labore constat; at postea eiusmodi panis in lapides mutatur. Siquidem in tantam amaritudinem, molestiam, atque perniciem tandem vertitur, vt homo pro pane lapides, pro farina arenam comedere videatur. Quandoquidem eiusmodi panis neque masticari, neque concoqui, neque in carnem & sanguinem conuerti potest. Imò verò in magnam plerumq. crucem, & interdum quoque in mortem vertitur. Habétque, quod de furto, vel fraude hic dicitur, locum in omni propemodum vitio & peccato. Initio namque suauiter illabitur, sed postea relinquit durissimos conscientiæ aculeos.

18. *Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella.*

CVM mortalium cogitationes sint variæ & inconstantes; nemo debet suis priuatis cogitationibus nimium fidere; aut secundum illas ad opus aliquod, quod non parui sit momenti, procedere; verum ne erret, oportet vt eas maturo sapientum consilio & deliberationi submittat, & cum

cum illis accuratè expendat, conueniat, vel expediátne hoc vel illud opus tentare, exempli causa bellum suscipere, aut aliquod aliud arduum negotium aggredi. Nam & Christus Dominus quoque alicubi monet bellum non prius tentandum esse, quàm re deliberatâ certò constiterit, ad finem ne perduci possit, an secus.

19. *Et qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.*

AT licèt grauia omnia cum consilio & matura deliberatione sint tentanda, & absque consilio nihil; iterum tamen iterumque expendas necessum est, quo cum consilia tua communices, neque enim omnes sunt fidi, sed multi fraudulenti, & perniciosi secretorum indices. Caue itaque ne cum eo familiaritatem ineas, aut secreta tua consilia cum illo communices, qui secreta fidei suæ commissa reuelat; neque cum eo rursum, qui ambulat callidè & fraudulenter; neque cum eo denique, qui labiis suis blanditur & adulatur. Quò autem plura ex vitiis illis in vnum aliquem coierint, eo magis vitandus erit; possunt autem omnia in vnum conuenire, cum sint inter se cognata, & ex se inuicem quodámodo nascantur.

20. *Qui maledicit patri suo & matri, exstinguetur lucerna eius in mediis tenebris.*

QVI conuitiis & maledictis parentes insectatur, vel quouis alio modo illos dehonestat vel grauat, diuinæ gratiæ lumine, quo illustrabatur, exstincto, in mediis ignorationis, calamitatis, orbitatis, & miseriarum omnium tenebris relinquetur. Indignus est enim cælesti lumine, imo verò vita ipsa, atque adeo omni honore & Dei beneficio, qui in parentes conuitiatur, aut qui secus illos tractat, quàm æquum est vitæ auctores tractare. Væ proinde hæreticis & sectariis, qui Ecclesiam orthodoxorum omnium matrem tot conuitiis & maledictis impetunt.

21. *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.*

HÆreditas initio festinata, hoc est, præproperè, & malis artibus comparata, ad finem non prosperabitur, neque diuina benedictione potietur; sed decrescet, & in nihilũ tandem redigetur: prout male parta malè dilabi solent; maximè verò illa, quæ parentibus vi vel dolo extorquentur.

Comperiuntur enim qui tantoperè ad parentum hereditatem anhelant, vt illorum quoque mortem exoptent & procurent; quod flagitium est maximum. Impingunt in hunc locum quoque qui cum pueri, & indocti, planéque inepti adhuc sint, adspirant tamen ad munia & beneficia Ecclesiastica.

22. *Ne dicas, Reddam malum: exspecta Dominum, & liberabit te.*

A Quopiam offensus vel iniuriam passus, ne malum malo compensare apud te statuas, verum Domini iudicium exspectes, illique vindictam omnem committas. Ipse enim si ita comparatus fueris, non patietur te perire; sed ab omni malo, afflictione, & calamitate te liberabit. Esto proindè magis sollicitus de tua salute, quàm de aliorum punitione.

23. *Abominatio est apud Dominum pondus & pondus: statera dolosa non est bona.*

CAusę autem, cur id fieri conueniat, sunt plures & graues, præcipua tamen est, quia non æquo pondere nostra & aliorum trutinamus. Nostra plerumque delicta eleuamus & extenuamus, aliorum contra multum exaggeramus. Facimus enim interdum ex musca elephantum, & vicè versâ, ex elephanto muscam. Hoc autem aliud nihil est, quàm pondere, stateráque dolosa vti; quę omnia Dominus, quod iustitiæ & æquitati aduersentur, summoperè execratur.

24. *A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam?*

ETsi homo studere, conari, & operari debeat (Deus enim non fert vllum omnino otiosum) attamen quod mortalium omnium conatus & studia, eorumdemque successus à Deo diuinaque prouidentia præcipue dependeant, (est enim Deus qui vniuscuiusque opus, gressus, & vias moderatur, & ad finem sibi placitum impellit) oportet vt subindè ad illum recurrat, consiliumque & auxilium submissè ab eo petat, & ab omni prorsus iactantia sese coërceat. Nam cum humanorum conatuum euentus in Dei potestate existat, nullum sibi certum successum de suo conatu polliceri valet.

25. *Ruina est homini deuorare sanctos: & post, vota retractare.*

RVinam nerumque laqueum sibi adsciscit, quisquis temerè citraque vllam deliberationem Deo quidpiam sanctificat, vel deuouet; postea vero pœnitudine ductus illud ipsum, quod vouerat, retractat, vel certè possitne quod promiserat, præstare denuo deliberat; debuisset namque ante istud perpendere, sed & illi quoque sancta deuorare, adeoque ruinam sibi accersere rectè dicuntur, qui Dei charismata in vanum accipiunt, hoc est, peccatorum remissione semel acceptâ, ad vomitum denuo conuertuntur, iterúmque atque iterum pro remissione vota precésque faciunt.

26. *Dissipat impios Rex sapiens, & incurvat super eos fornicem.*

NIhil æque pernitiosum est regno atque impiorum cœtus certo fœdere inter se vnitus: verum Rex sapiens suâ virtute & sapientiâ dissipat eiusmodi impiorum factionem, ipsosque in triumphum actos merito supplicio afficit, atque è medio, ne bonis noceant, tollit. Hoc genus supplicij in impios Iudeos hactenus mirificè exercet Deus. Nam & per terrarum orbem sunt dispersi, & variis miseriis, cladibus, & damnis vbique sunt expositi.

27. *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.*

SPiritus hominis, quem Deus initio illi inspirauit, hoc est, hominis mens intimúsque eiusdem sensus, qui omnibus internis animæ viribus lucem præbet, est Domino instar lucernæ: quia æquè clarè eum penetrat & rimatur atque lucem ipsam; vt qui omnia ventris mentisque secreta penetret & rimetur. Est idem rursum lux vel lucerna Domini, quia non aliunde quam à Domino haustus, siue lumen hoc referas ad lumen naturale homini inditum; siue ad lumen aliquod supernaturale siue ad aliud quodcumque eiusmodi, quod cordis secreta penetrare natum est. Interim anima per se non satis rectè dicitur lucerna Domini, nec gratiam rursum per se. Sed anima diuina gratia illustrata.

28. *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.*

ETsi regni status sine milite & exercitu, sine munitionibus & propugnaculis, sine tributis & vectigalibus diu incolumis consistere non

queat:

queat: attamen nihil ita munit Regem totumque eiusdem regnum, atque misericordia & veritas, hoc est, iustitia & æquitas, quo videlicet vnicuique pro meritorum suorum ratione præmia vel supplicia iustè decernere queat. Siquidem non minus obesset reipubl. sontes non punire, atque benemeritos non honorare, verumenimvero licet vis punitiua ad reipubl. tranquillitatem omnino necessaria sit, attamen misericordia & clementia valdè decent Principē. Nihil enim exstat, quod regnum illius ita firmat, subditósque ita illi obtemperantes reddit, atque clementia.

29. *Exultatio iuuenum fortitudo eorum, & dignitas senum canities.*

GLoria iuuenum eorumdémque ornamentum est corporis robur animique fortitudo nullis fœdis vitiis contaminata, operique honesto intenta. Siquidem pollere robore sine vsu, vel cum prauo vsu probrum verius & dedecus adfert quàm laudem. At verò senum decus & ornamentum est prudens virtutibusque ornata canities, quàm ipsi etiam iuuenes honorare & obseruare debent, crebróque in rebus præsertim arduis consulere. Nam vt ante dicebatur robur sine prudentia, sæpe magis obest, quàm prodest; sed & prudentia quoque senum sine robore iuuenum rempublicam tueri & conseruare non potest. Debent proinde mutua ope niti, iuuenes senum prudentia, & senes iuuenum fortitudine, & hic est scopus huius loci.

30. *Liuor vulneris absterget mala, & plagæ in secretioribus ventris.*

VT vulnera & plagæ siue summæ cuti, siue viuæ carni inhæreant, sine dolore non sanantur, & eo maiori difficultate sanari solent, quò vulnus altius est infixum, aut plaga purulentior exstiterit; ita praui & improbi homines, qui sunt quasi reipubl. sanies & pus, citra dolorem & vexationem, iustamque castigationem ad sanam mentem redigi nequeunt. Rursum vt sanies & purulentia ex toto corpore ad vnum locum deducta, ibidémque erumpens, sanitas est totius corporis; ita peccata, quæ mentis sunt vulnera, ad memoriam reducta, & veluti pus atque venenū odio habita, & per veram confessionem in medium depromptа, totam mox animam ab omni ægritudine absoluunt. Denique vulnera, & plagæ, & liuores & vibices vnica improbi hominis sunt medicina; neque vsquam hæc frequentius, quàm in improbis & sceleratis hominibus inueniuntur.

AD CAPVT VIGESIMVM SCHOLIVM.

1. *Vxuriosa res, &c.* Damnatur hoc versu ebrietas & crapula, tanquam magnorum malorum & flagitiorum radices. Excitant enim rixas, cædes, & tumultus, suadentque omne genus vitiorum, aduersantur ad hęc sapientię & scientiæ omnique prudentiæ vt quam maximè.

2. *Sicut rugitus, &c.* Hæc sententia iam ante bis proposita & exposita est, sed aliis verbis. Repetitur autem hic quia per ebrietatem facile elabitur aliquid, quod regiam maiestatem offendat. Quod si terreni Regis ira est vsque adeo formidabilis, quid de ira Dei & Christi est statuendum?

3. *Honor est hominis, &c.* Rursum quod ex crapula & ebrietate oriantur lites, & iurgia, & pugnę, monet hoc versu honorificum & salutare esse, ab omni prorsus contentione & rixa abstinere.

4. *Propter frigus, &c.* Iterum detestatur & insectatur hic ignauiam, assignatque illi pro mercede panis inediam, rerumque omnium sterilitatem. Insinuatur autem, vt ille, qui tempore, quo oportet, & commoditas inuitat, non serit, in æstate vel autumno nihil colligit, ita qui in iuuentute officium non facit, in senectute miser & inops erit.

5. *Sicut aqua profunda, &c.* Consilium & sapientia, quæ est in corde sapientis, comparatur aquæ profundæ. Causæ exponuntur in Parapharsi.

6. *Multi homines, &c.* Duplicem sensum præsens locus offert. Alter est: Multi laudant benignos liberalésq. datores, sed quis inueniet aliquem qui pro acceptis beneficiis gratus exsistat? Alter est: Multi suam in alios beneficentiam prædicant, sed quis inueniet talem, qui re ipsâ id præstet, quod amplis verbis de seipso iactat?

7. *Iustus qui, &c.* Docetur his paucis iustorum posteritatem felicem fore. Ambulat is autem in perfectione, qui de virtute in virtutem progreditur.

8. *Rex qui sedet, &c.* Describitur hic, quantum regia præsentia possit in publico legitimóque iudicio, adeóque perneceſſariam illam esse ad bonam reipubl. & regni gubernationem.

9. *Quis potest dicere, &c.* Colligimus hinc quàm difficile sit internam hominis constitutionẽ cognoscere. Nam si homo suum ipsius statum certò cognoscere non possit quanto minus alterius? Compescitur hic omnis quoque gloriatio & iactantia de propria iustitia & munditia.

10. *Pondus & pondus, &c.* Admonentur & perstringuntur hoc loco, qui duplici mensura vtuntur, id quod variis modis contingit, sed numquam absque peccato.

11. *Ex studiis intelligitur, &c.* Significatur ex puerilibus studiis cognosci posse, quis futurus sit adultior iam factus. Siquidem igniculi iuuentutis rarò exstinguuntur in grandiori ætate.

12. *Aurem audientem, &c.* Insinuatur per hoc Deum videre, & cognoscere omnia, vt qui omnem aurem, omnemque alium sensum & intellectum condiderit. Et quia organa hæc ad honestum adeò vsum facta sunt, monemur per eadem quoque vt rectè illis vtamur.

13. *Noli diligere, &c.* Detestatur rursum somnolentiam & ignauiam; quia somnus præsertim immoderatus tollit rectum sensuum viriumque omnium animę & corporis vsum, facitque de homine quodammodo pecudem & brutum. Non damnatur autem hic somnus simpliciter, sed somni superfluitas, vel nimia somnolentia.

14. *Malum est, malum est, &c.* Exponit quę communiter inter emptores & venditores accidere solent. Qui enim empturus est, quantum potest, rei precium extenuat; postea verò quàm emit, se vili pretio emisse gloriatur.

15. *Est aurum, &c.* Locus hic duplicem expositionem, admittit. Altera est: Vir disertus facili negotio sibi parat opes. Altera est: Eloquentia cum sapientia coniuncta præstat argento & auro, ceterisque omnibus prætiosis. Vel: Labia prudentia sunt homini loco auri & argenti, & cuiusvis pretiosę supellectilis.

16. *Tolle vestimentum, &c.* Versus hic monet rem pernitiosam, damnosam, & permolestam esse pro aliis fideiubere, maximè verò pro alienis & ignotis; atque ita aut non faciendum, aut non absque certa cautione & pignore faciendum. Mysticè: Qui pro aliena salute spondet, aut qui aliorum curam suscipit, debet esse paratus quidquid habet pro alio exponere.

17. *Suauis est panis, &c.* Docetur hic iniquè parta, & quodvis alioqui peccatum, initio quidem sapere, suauéque videri, verum postea in amaritudinem, fabulosique panis duritiem conuerti.

18. *Cogita-*

18. *Cogitationes consiliis, &c.* Scopus loci huius est, neminem sat sibi esse, aut satis per se sapere, sed vnumquemque doctorum hominum consilio tam in pace, quàm in bello egere. Sunt enim hominum cogitationes variæ & inconstantes, quæ proinde prudenti consilio firmari & probari debent.

19. *Et qui reuelat mysteria, &c.* Dependet hic locus à præcedente. Quamvis enim consilio opus sit, videndum est tamen, à quo consilium petas. Non enim illi in consilium sunt adhibendi, qui secreta reuelant; neque cum iis rursum est consultandum, qui fraudulenter & dolosè agunt neque cum iis tandem, qui labiis suis soliti sunt adulari. Hebræa constituunt duo membra ad hunc modum: Qui secreta reuelat, is ambulat fraudulenter: Cum eo rursum, qui labiis suis adulatur, ne te commisceas.

20. *Qui maledicit patri, &c.* Agit de pœna & maledictione eorum qui parentibus maledicunt, quæ est exstinctio lucernæ & conuersio eiusdem in tetram obscuritatem. Siue per lucernam accipias mentem, siue vitam, siue posteritatem, siue Dei gratiam, siue honorem, vel famam, siue hæc omnia simul.

21. *Hæreditas, &c.* Similis locus exstat Cap. XIII. huius libri. Significatur autem facultates malis artibus partas non for ediuturnas, nedum perpetuas. Spectat in partem ad versum præcedentem, vbi actum est de improbis filiis intempestiue ad parentum hæreditatem festinantibus.

22. *Ne dicas reddam, &c.* Monentur hic omnes, ne malum pro malo reddant, aut vindicis partes priuatâ auctoritate sibi sumant; aut ne priuatim apud se meditentur, quomodo de illata iniuria sese vlcisci queant, sed omnem vindictam Deo relinquant.

23. *Abominatio est, &c.* Repetit hic quod Versu X. huius Cap. proposuerat, non tamen importunè, quia nostra & aliorum peccata, non æquo pondere trutinamus. Iniquo pondere mysticè ille vtitur, qui veniam à Deo petit, & accipit, quam ipse tamen alteri concedere renuit.

24. *A Domino, &c.* Docetur hic tametsi homo otiosus esse non debeat, actionum tamen illius felicem successum, à Deo diuinaque prouidentia maiorem partem dependere. Atque ita vtrumque hoc loco statuitur: nempè diuinæ gratiæ necessitas est nostræ voluntatis libertas.

25. *Ruina est homini, &c.* Hic locus nec vno modo legitur, nec vno rursum modò exponitur; posterius tamen membrum insinuare videtur *Deuorare* legendum esse, non *Deuorari*. Insinuat autem periculosum esse votum

edere, & editum non explere. Quid sit autem *Deuorare sancta* in Paraphrasi exponitur.

26. *Dissipat impios, &c.* Exponit hic duo Regis aduersus impios munia: nam & à se inuicem illos dissipat; (vniti enim plus possunt) & illorum scelera iusta pœna plectit.

27. *Lucerna Domini, &c.* Indicatur hic hominis lucernam, potiorémve eiusdem partem esse spiraculum Domini. Vocat autem mentem lucernam, vel lucem, quia reliquis partibus lumen administrat. Exstat autem triplex lumen: naturæ, gratiæ, & gloriæ.

28. *Misericordia & veritas, &c.* Assignat hoc loco tria, quæ Regem & regnũ valdè muniunt, nempe Misericordiam, Veritatem, & Clementiam, ad quę tria reliquę omnes virtutes Regi necessariæ reducuntur, per misericordiam pauperes & oppressos subleuat & adiuuat, per veritatem & iustitiam, vnicuique quod æquum est largitur, per clementiam iustitiæ seueritatem moderatur, & temperat.

29. *Exultatio iuuenum fortitudo, &c.* Ostendit iuuenum ornamentum esse robur & fortitudinem, nulla vitiorum labe contaminatam aut labefactatam; senum verò prudentem castamque & venerandam canitiem. Scopus est ad ciuitatis munimentum regnique præsidium opus esse senum prudentia, & iuuenum robore: alterum enim sine altero per se non est satis.

30. *Liuor vulneris, &c.* Videtur in metaphorica locutione indicare, idem esse sentiendum & obseruandum in vulneribus & plagis mentis & corporis. Vt ergo sanies corporis ex toto corpore ad vnum locum dilapsa, ibidemque exitum quærens & faciens, sanitas est corporis; ita peccata per pœnitentiam simul ad memoriam reuocata, ibidémque per odium & detestationem iugulata salus sunt mentis. Rursum: Vt vulnera corporis non sanantur sine dolore acrique medicina; ita neque mentis quoque, præsertim, quæ altius sunt infixa. Scopus ergo est neque peccata neque homines peccatores sinè plaga & dolore curari posse.

PARA-

PARAPHRASTICA CAPITIS VIGESIMI PRIMI EXPLANATIO.

1. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.*

VT riuuli aqnarum sunt in manu & potestate hortulani vel coloni (deducit enim illos quocumque lubitum fuerit) & vt aquę omnes sunt in manu & potestate Dei (diuisit namq. illas & digessit vt placuit) ita cor Regis est in manu Domini. Inclinat enim illud in quācumque partem voluerit: in commodum videlicet & incommodū subditorum, pro meritorum illorum ratione. Quod si cor ipsum Regis est in potestate Dei, multò magis reliqua omnia regis in illius manu erunt; si cor Regis, quanto magis corda priuatorum hominum? Sunt enim Reges multo liberiores priuatis hominibus, multoque plura dependent ab illorum motu & actione, quàm à reliquorum hominum studio.

2. *Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus.*

VNicuique sua studia, suáque via & vita probatur tanquam recta legique & rationi consentanea. Sed nec vlla fere exstat via tam distorta & obliqua, quæ aliquibus saltem tanquā bona & recta non probetur; nam & hæresin, & idololatriam, & Iudaismum, & furtum, & adulterium multi iam olim probarunt, & multi etiamnum probant. Interim non est id rectum, quod quisque pro suo appetitu rectum iudicat; sed quod Dominus, qui vniuscuiusque cor probat & exploratum habet, rectum iudicat.

3. *Facere misericordiam & iudicium magis placet Domino, quàm victimæ.*

NEque Deus tantum secernit inter recta & obliqua corda, inter bona & mala opera, verū etiam inter bona & sancta opera. Nam etsi sacrificare hostiasque offerre bonum & sanctum opus sit; attamen magis ille probat iudicium & iustitiam, quàm victimas; magis rursum misericordiam in egenos, quàm liberalitatem magnificentiámq. in sacrificiis & oblationibus, id quod argumentum est summæ caritatis Dei in homines: vt qui hominum commodum suo quodammodo honori præferre videatur; sacri-

tur: ſacrificia enim cedunt in honorem & cultum Dei, eleemoſyna autem, & iudicium, & iuſtitia in vſum & commodum hominum: cedunt tamen etiam in ſacrificium quia exercentur propter Deum.

4. *Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis, lucerna impiorum peccatum.*

EXaltatio oculorum, vitæque ſuperbia & arrogantia, cordis rurſum dilatatio, variáque & vana deſideria, quæ ſunt lucerna impiorum (ſiquidem in his ſuam conſtituunt illi gloriam & felicitatem) ſunt peccatum; malum vtique inter omnia, quæ malorum nomine veniunt, maximum. Multum proinde diſtat lucerna impiorum à lucerna Domini, de qua antè: imò ex diametro cum illa pugnat. Ea enim vel eſt cæleſtis gratia, vel non abſque gratia eſt; hæc autem eſt peccatum, quod diuinæ gratię maximè aduerſatur.

5. *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia: omnis autem piger ſemper in egeſtate eſt.*

OMnia ſtrenui & robuſti viri ſtudia, omnéſque eiusdem cogitationes tendunt ſemper ad rerum copiam & abundantiam: quandoquidem labor & induſtria ad hanc deducere ſolent. Omnis contra ignauus & piger, omnis item præceps & temerarius tendit ad inopiam. Sicut enim pigritia parit penuriam, ita etiam præcipitatio & temeritas. Sed & antè quoque expoſitum eſt, opes feſtinatas non eſſe diuturnas.

6. *Qui congregat theſauros lingua mendacij, vanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis.*

COngregare ſibi pecuniarum theſauros, & omnis generis opes per linguam mendacem (Vt ſolent falſi teſtes corrupti iudices, & aduocati, mercatores & inſtitores auari omnes) res eſt vana planéque veſana, quippe quæ rectâ abducat ad interitum & laqueos mortis; ſi non ſemper corporis, animę tamen ſemper. Eſt autem ingens ſtultitia, vanitas, & amentia id ſtudioſè & indefeſſè quærere, quod certam pernitiem & mortem adducit, magiſque laborare vt perdas & pereas, quàm vt ſerues & ſaluus ſias, id quod hæreticorum eſt proprium.

7. *Rapinæ*

7. *Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere iudicium.*

QVI legitimâ licitâque viuendi consuetudine relictâ ex rapina & insontium sanguine vitam tolerare malunt, quàm ex iusto labore, graues suæ impietatis & iniquitatis pœnas aliquando luent, Domino peccatum hoc in caput illorum conuertente. Nam quod iudicium de seipsis facere noluerint, rapinæ peccatum vsque ad iudicium & condemnationē eos comitabitur. Detrahentur enim à statu, in quo nunc viuunt, ad æternum vel temporarium supplicium; prout nimirum pœnitentes vel inpœnitentes vitam finiuerint.

8. *Peruersa via viri, aliena est: qui autem mundus est, rectum opus eius.*

VIA viri peruersi, & ab hominis natura, & à lege diuina, & à recta ratione est prorsus aliena. At verò opus viri mundi est rectum, legiq. & rationi consentaneum adeóque Deo & hominibus gratum.

9. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi.*

MAgnum onus, magnaque molestia & calamitas est vxor rixosa, improba, & garrula. Etenim res hæc tantæ miseriæ est, vt satius sit habitare in domus angulo, vel hypæthra, vel quovis alio abiecto ædium loco, quàm cum muliere rixosa in domo communi & ampla, aut in frequenti numerosáque familia. In ducenda proinde vxore, magnus habendus est delectus, magna opus deliberatione & consultatione: potius spectandum est hic, quàm magnam habeat modestiam aut pietatem, quàm quantam habeat dotem, aut domum, aut quàm illustrem familiam.

10. *Anima impij desiderat malum, non miserebitur proximo suo.*

MAgnum per omnem modum inter impium & communem peccatorem intercedit interuallum. Siquidem vulgaris peccator ex inscitia vel infirmitate potius peccat & proximum lædit, quàm ex malitia & de industria. Atqui impius studio datâque operâ obesse & offendere contendit, quare nullius miseretur, nec vlli parcit; sed omnibus insidiatur. Quod si voti compos euadat, exultat & tanquam re bene gestâ gloriatur.

11. *Multato pestilente sapientior erit paruulus, & si sectetur sapientem, sumet scientiam.*

DVM homo pestilens (cuiusmodi est qui omnia consilia, omnes admonitiones, exhortationes, & comminationes ludibrio habet) à Deo, vel iudice, vel principe multatur, aut flagellatur, rudis sensuque paruulus sapientiæ & cautionis exemplum indè sumit. Discit hinc enim nisi in similem calamitatem cadere voluerit, à vitiis atque flagitiis sibi cauendum esse. Quin ex sapientis quoque prosperitate & institutione scientiam haurit. Nam dum aduertit sapientibus Deumq. timentibus prosperè omnia succedere, incitatur ipse quoque ad sapientiæ & pietatis studium. Nec solum rudes aliorum exemplo & sapientum auscultatione cautiores efficiuntur, sed ipsi etiam sapientes admoniti, & de erratis suis correpti, sapientiores fiunt.

12. *Excogitat iustus de domo impij, vt detrahat impios à malo.*

IVstus iterum iterumque perpendit & obseruat, quid euenire soleat domui vel familiæ impij, considerandoque animaduertit Dominum ad ima tandem illam trahere, funditusque euertere. Nam cùm leuibus flagellis sæpe admonitus non resipiscat; sed obstinato sensu in scelere & impietate sua porrò procedat, ad finem funditus illum delet, ita vt nulla amplius illius exstet memoria. Sed & verè quoque iusti sollicitè sæpe cogitant de domo & familia impij, metuentes eiusdem subuersionem & cladem. Quare studiosè quoque animo versant, quomodo, & qua ratione eam ab impendente malo liberare queant; hoc est, à clade, quam Deus propter impietatem illi intentat.

13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*

VT ingentis apud Deum est meriti, opera misericordiæ in egenos strenuè exercere; ita contra ingentis periculi res est opem petitam, cum eam præstare queas, iisdem denegare. Etenim qui obturat aures suas ad clamorem pauperũ, ita ne lamentabiles & miserabiles illorũ voces audiat, & ipse vicissim diuinam opem & misericordiam implorabit, & non exaudietur. Qua enim mensura mensus fuerat, remetietur ei. Illustre rei huius exemplum suppeditat nobis diues Epulo. Qui enim micas negauerat, aquæ guttam auidè petitam non impetrauit.

14. *Munera*

14. *Munus absconditum exstinguit iras: donum in sinu indignationem maximam.*

MVnus clanculum datum, Iudicis exstinguit iram; & donum rursus secretò in sinum coniectum, ingentem sedat furorem: multum enim apud omnes valet & potest liberalitas prudenter, suoque loco & tempore exercita. Iam si donum tantum potest apud homines, quantum poterit eleemosyna apud Deum ad eum modum, quem Christus præscripsit, ero-gata? nempe propter Deum, & ita secretò, vt manus sinistra non intelligat quid faciat dextra. Nam huc potius videtur præsens hic locus spectare, quàm ad munera, quæ offeruntur hominibus ne lædant, aut vt minus lædant.

15. *Gaudium iusto est facere iudicium: & pauor operantibus iniquitatem.*

IVstus magno cum gaudio & voluptate exercet iudicium, iustitiam, & æquitatem; nec parua rursum oblectatio indè in animum illius redundat. Contra verò qui operantur iniquitatem, pauent & trepidant, cùm propter pœnam, quam metuunt, tum etiam propter stimulos, quibus conscientia stimulatur. Etenim licet illi, qui propter munera iudicium peruertunt, aut iustitiam exercere intermittunt, propter turpem illum quæstum gaudere videantur, intus tamen æstuant & ardent, & ne peccatum in lucem veniat, vehementer formidant; habétque id locum in omni omnino prauo & scelerato opere. Sicut è diuerso gaudium, de quo modo dicebatur, hauritur ex quouis pio & sancto opere.

16. *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.*

VIR qui de via doctrinę & intelligentiæ, legisque diuinæ, hoc est, à vera Dei cognitione, præceptorumque eiusdem obseruatione aberrauerit, & viam carnis & sæculi huius ingressus fuerit, inter mortuos mediósque gigantes, nempè inter damnatos & dæmones æternum commorabitur, eandémque cum illis sortem sortietur.

17. *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.*

VIR qui diligit epulas, & alia id genus, quæ ad voluptatem & lętitiam faciunt, ad egestatem & miseriam tandem redigetur. Pari modo qui sectatur symposia, vináque generosa, & vnguenta, non facile ditabitur.

Siquidem isthæc non muniunt viam ad diuitias, sed ad paupertatem & egestatem, non modo rerum temporalium, verum etiam spiritalium. Raro namque voluptatibus & epulis dediti spiritu valent: est autem hic sermo non de simplici earum rerum vsu, sed de abusu vel de immoderato vsu.

18. *Pro iusto dabitur impius: & pro rectis iniquus.*

PRO iusto eiusdemque redemptione vel expiatione traditur impius; similiter pro recto præuaricator & iniustus. Nam in communibus clادibus, quę ob populi peccata inferuntur, iusti sæpe liberantur; & mala, quę iniusti iustis parant, in illorum caput sæpe conuertuntur. Denique dum iniusti iustos iniustè persequuntur, illos à peccatis, quæ per infirmitatem contraxerant, expiant: noxam verò pœnaque reatum, propter iniustam vexationem & persecutionem in sua ipsorum capita deriuant, atque ita pœnam pro iustis luere dicuntur.

19. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda.*

SAtius est habitare in solitudine, & versari inter medias feras & belluas, quàm viuere cum muliere rixosa & iracunda. Siquidem à belluis homo viribus vel arte se defendere, sibique cauere potest, à litigiosa autem muliere non potest. Nam siue blandiaris, siue stomacheris semper est sibi similis, hoc est, rixosa & biliosa.

20. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti: & imprudens homo dissipabit illud.*

IN domo iusti & sapientis viri inuenitur rerum omnium ad vitæ humanę vsum necessariarum thesaurus, nimirum oleum, frumentum, vestimentum, & quidquid demum vel ad vitæ vsum, vel ad corporis cultum, vel familiæ ornamentum, est necessarium; verum stultus siquid habet, illud statim dissipat, & abligurit; ita vt necessitatis tempore nihil plane reliquum habeat, quo se vel aliis opem ferat. Alio modo: In sapientis habitaculo non modo inuenitur thesaurus, hoc est, earum rerum copiosa supellex, quæ oculos oblectant, verum etiam vnguentum & oleum, hoc est, quidquid ad cibum & potum est necessarium.

21. *Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inueniet vitam, iustitiam & gloriam.*

QVI sectatur iustitiam tribuens vnicuique quod suum est, & misericordiam exercens liberaliter id, quod superest, in egenos impendens, ille inueniet vitam, hoc est, gratiam in hoc sæculo, & gloriam in altero, & iustitiam, secundum quam Deus reddet vnicuique pro meritorum suorum ratione, & gloriam siue misericordiam, hoc est, æternam illam felicitatem. Siquidem gloria est summus diuinę misericordię effectus.

22. *Ciuitatem fortium ascendit sapiens, destruxitque robur fiduciæ eius.*

MVltum in omni re valet robur, maximè verò in rebus bellicis; at multo plus potest prudentia, reique militaris peritia. Siquidem vnus sæpe sapiens inuadit & occupat ciuitatem, quam multi viri fortes propugnabant, adeóque plus valet & potest vnus sapiens, quàm multi robusti. Imò plus aliquando efficit bono consilio sapiens, quàm totus exercitus viribus. Neque solum ascendit & inuadit ciuitatem, verum totum quoque robur & munimentum, in quo hostis fidebat, euertit, detrahit, & destruit.

23. *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.*

QVI custodit os suum & linguam suam, à multis angustiis, miseriis, & cladibus custodit animam suam, constat namque innumeros ob oris linguæque temeritatem, in extrema vitæ, famæ, fortunarumque omnium pericula se coniecisse. Sunt autem varij linguæ morbi; aliæ enim sunt vanæ, aliæ mendaces, aliæ maledicæ, aliæ obtrectatoriæ, aliæ adeo incontinentes, vt ne propria quidem secreta continere queant.

24. *Superbus & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam.*

INdoctus & derisor, qui omnia per superbam tumentémque iram & furorem operatur, nihilque, quid agat, vel dicat, pensi habet, meritò vocatur superbus & arrogans; quippe qui ita loquatur, tanquam solus omnia sciat; & ita rursum operetur, tanquam à nemine dependeat, soluſque regnum obtineat.

25. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari.*

DEsideria pigrum occidunt, hoc est, continuò grauiter illum vexant & excruciant. Nam cum toto die concupiscat, numquam tamen voti compos euadit: siquidem nullum vnquam adhibet studium, nullum laborem aut industriam, vt illud, quod desiderat, consequatur. Nihil autem æquè à ratione alienum est, quàm velle quidpiam obtinere, neque tamen velle dare operam, aut media adhibere, vt habeas. Hoc autem otiosum, vanum, & periculosum desiderium multo periculosius & perniciosius est in spiritalibus, quàm in temporariis vel corporalibus. Rectè autem eiusmodi desideria pigrum occidere dicuntur; quia non tantum illum vexant aut cruciant, verum etiam vsque ad mortem illum comitantur; vt qui re desiderata numquam potiatur.

26. *Tota die concupiscit & desiderat: qui autem iusus est tribuet, & non cessabit.*

MVltum autem dissident iusti ab eiusmodi ignauis & iniustis terræ mancipiis. Nam quod iusti honestis laboribus & occupationibus perpetuò sunt intenti, non solum ab inanibus illis desideriis immunes viuunt; verum etiam tantum suo labore conficiunt, vnde & se, & totam familiam suam honestè alant, & largas nihilominus eleemosynas in egenos quotidie erogent. Qui enim iustus est, ait Sapiens, is tribuit, nec cessat, piger autem totâ vitâ aliud nihil facit, quàm aliena desiderare & concupiscere, tantum abest vt propria distribuat, vel donet. Et quia aliena non solum desiderant ignaui, sed oblatâ occasione illa quoque inuadunt & occupant, fit vt illorum desideriũ non solum eos excruciet, sed sæpe quoq; occidat, & ad mortis supplicium adducat.

27. *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere.*

HOstiæ impiorum, etsi (ad externum ritum quod attinet) à iustorum sacrificiis differre non videantur, apud Dominum tamen sunt meræ execrationes, tantum abest vt illi placeant, aut ab æquitatis ratione illum deflectere queant. Displicent autem illi duplici ratione; tum quia sunt hominum impiorum & à Deo alienorum; tum maximè quia ex scelere & rapina offeruntur: vtrumque autem iustam repudiationis causam adfert, præsertim

præsertim apud Deum, qui magis spectare solet animum, quàm donum, & iustitiam quàm victimam.

28. *Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam.*

TEstis mendax, qui falso suo testimonio proximum nititur interimere, aut magno alioqui damno afficere, interibit, mortéque multabitur: quod si humanum iudicium fortè euaserit, diuinum numquam euadet; sed & deprehensus quoad testimonij dictionem peribit, quia indignus, qui alias testimonium perhibeat, censebitur. At vero vir iustus, qui solum testatur, quod audiuit, aut vidit, aut alio sensu certò deprehendit tanquam falsitatis victor, semper loquetur, testificandique iure semper potietur. Itidem vir diuinæ legi obtemperans, numquam non viuet, & quæ vera sunt loquetur. Testes mendaces sunt omnes pseudodidascali & pseudoprophetæ, adeóque æterna morte digni.

29. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viam suam.*

VIR impius tametsi in manifesto quopiam scelere deprehendatur, procaci tamen vultu illud vel negat, vel omninò excusat. At verò rectus iustitiæque & æquitati deditus, si per humanam imbecillitatem in delictum aliquod prolapsus admoneatur, statim culpam agnoscit, suásq. vias corrigere, & emendare contendit. Rursum falsus improbusque testis obfirmato vultu antagonistæ sese opponit, quasi vultu ipso vera se profari ostendere volens; iustus autem & rectus rem ita exponit, vt & iudex vera illũ loqui intelligat, & alterum rursum falsa testificari animaduertat.

30. *Non est sapientia, non est prudentia, non est concilium contra Dominum.*

CEterum licet falsi testes, vel alij quicumque impij humanum iudicium eludere, vel impedire queant, diuinum tamen non possunt. Nulla enim sapientia, prudentia, aut astutia est tanta, quę Domini sapientiam fallere, aut eius decretum euertere, vel id quod absolutè fieri vult impedire, vel eius iudicium effugere possit. Nemo proindè eò vesaniæ, aut temeritatis procedat, vt compertę certæque Dei voluntati obsistere velit; neque enim frustra tantum laboraret, qui id faceret, sed graui quoque scelere sese obstringeret; sane eo, vt suam sapientiã cum diuina conferre audeat. Nam

vt omnis iustitia, munditia, & potentia cum diuina collata est iniustitia, immunditia & impotentia; ita omnis quoque sapientia cum diuina comparata est mera insipientia.

31. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.*

ET vt nulla tanta est potentia quæ cum Domini potentia possit conferri; ita nulla quoque tanta est, quæ aliquid boni aut laude digni præstare possit, absque Domini fauore & auxilio. Potest sanè dux belli exercitum equis armisque instruere, & magnum belli apparatum comparare; attamen nisi Dominus peculiariter illum iuuerit, numquam victoriam potietur. Pari modo potest ciuitas vallis, fossis, propugnaculis, commeatu, aliisque eiusmodi communiri; attamen *nisi Dominus custodiuerit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Et quod hic dicitur de corporali bello, id multo magis locum habet in spirituali.

AD CAPVT VIGESIMVM PRIMVM SCHOLIVM.

1. *Sicut diuisiones, &c.* Quamuis omnium hominum corda sint in manu Domini, præcipuè tamen cor Regis in manu Domini esse dicitur, quia Reges nulli terrenæ potestati sunt subiecti. Adhæc ex motione cordis regij dependet magna pars salutis aut perditionis populi, quæ tamen salus Deo potius quàm Regi adscribitur.

2. *Omnis via viri, &c.* Similis sententia Cap. IV. & XVI. proponitur. Docet hæc autem plerosq. omnes de suis sibi studiis blandiri, & quod ipsi faciunt, id rectum iudicare, interim Deum esse, qui vniuscuiusq. cor ponderat, & intentionem examinat, ideoque aliter sæpe illum iudicare quàm homines solent. Quod autem omnibus sua via recta videatur, id generatim accipiendum; nam quotquot operantur, aliquod semper bonum intendunt, alioqui non operarentur.

3. *Facere misericordiam, &c.* Hæc apertè docent opera suâ naturâ bona non eodem loco esse apud Deum. Magis enim placent illi iudicium & iustitia, quàm victimæ: quod eò magis mirum videri potest, quod ea cedunt in diuinum honorem, illa in hominis vtilitatem.

4. *Exaltatio*

4. *Exaltatio oculorum, &c.* Hic indicantur illi quibus suæ sibi viæ placent. Sunt autem tales mente elati & arrogantes, multis vagis & vanis desideriis æstuantes, quorum opus & studium totum tendit in peccatum. Nam & elatio oculorum est peccatum, & dilatatio cordis, & impiorum oratio, hoc est, peccandi consuetudo. Contextus noster ita debet ordinari: Exaltatio oculorum & dilatatio cordis, quæ sunt lucerna impiorum, sunt peccatum.

5. *Cogitationes robusti, &c.* Iterum commendatur hic labor & diligentia, condemnatur autem pigritia & ignauia: hæc parit miseriam & egestatem; illa rerum omnium copiam & abundantiam. Vox Hebrea *Præcipitem* significat potius quàm *Pigrum*. Nam temerarij quoque & quidvis citra deliberationem adorientes, rarò rem faciunt, & siquid confecerunt leui sæpe momento illud perdunt.

6. *Qui congregat, &c.* Damnat hic versus falsos testes, iudices, aduocatos, ceterosque omnes, qui linguâ mendaci, & per fraudem thesauros congregant, quod eiusmodi thesauri & opes, veluti quisquiliæ à vento solent, facilè dispellantur & dissipentur.

7. *Rapinæ impiorum, &c.* Proximè perstrinxit & condemnauit eos, qui per dolum & fraudem opes iniquumque mammona cogunt. Nunc illos pariter condemnat, infelicésque & morte multandos prædicat, qui per vim locupletari cupiunt, neque æquitatem sectari, suámque prauam viuendi consuetudinem deserere volunt.

8. *Peruersa via, &c.* Opponit virum peruersum viro recto & iusto. Dicitur autem quod huius opus sit rectum & legi consentaneum; illius autem obliquum, ab æquitate & iustitia & hominis natura alienum.

9. *Melius est, &c.* Exponit hoc loco quantæ molestiæ & miseriæ sit habitare cum rixosa muliere. Asserit autem satius esse habitare in quouis domus angulo abiectóue loco, quàm in domo splendida cum vxore rixosa. Mysticè mulier rixosa & inquieta est hæresis, & Synagoga.

10. *Anima impij, &c.* Insinuatur hic discrimen inter impium & simplicem peccatorum. Hic enim in proximum peccat, non ex odio, aut maleuolentia, sed ex inscitia & infirmitate; ille studio datâque operâ illi obesse contendit, per Animam autem designatur inferior animæ pars; nempe sensus carnis, qui potens est in improbis, in piis quodammodo consapitus.

11. *Multato pestilente, &c.* Ante Cap. xv. Vers. xxvii. similis sententia pro-

tia proposita fuit. Sensus autem est facilis: significatur namque rudes, rerumque ignaros & quasi paruulos tum demum oculos aperire, & sapere incipere, cum animaduertunt derisores, hominesque pestilentes improbitatis suæ Deo vel iudici pœnas dare, vel sapientum quoque scholas frequentare; sapientem autem, si sapientes vel intelligentes sectetur, eorumdémque consiliis & monitis pareat, scientiam auctiorem accepturum.

12. *Excogitat iustus, &c.* Proponitur hic viri iusti caritas, vt qui de domo, statu, & familia impij semper sit sollicitus, sempérque ab impietate ad pietatem illum adducere contendat, ne in impietate persistens, cum tota sua familia ad finem intereat. Contextus Hebræus sonat: Iustum diligenter obseruare finem, infelicémque exitum impij, indéque cautionis exemplum sumere.

13. *Qui obturat aurem suam, &c.* Clara est sententia hæc, & magna obseruatione digna. Commendantur autem per hanc opera misericordiæ & caritatis in pauperes cibum ostiatim emendicantes, cum duplici comminatione, egestatis nimirum & repulsæ.

14. *Munus absconditum, &c.* Hæc in eumdem propemodum scopum tendunt: admonent enim munus vel donum in abscondito propter Deum datum, iram diuinam quantumvis vehementem exstinguere, & sedare. Posset quoque in alios nobis iratos hic locus transferri. Vix enim aliquis tam durus & incensus est, qui muneribus non placetur.

15. *Gaudium iusto, &c.* Assignatur hic aliud discrimen inter iustum & iniquum, iniquisque operibus intentum, præsertim verò inter iustos & iniustos Iudices. Iusti enim gaudent, dum iustum iudicium exercent, & certam à Deo mercedem exspectant; iniusti autem, & muneribus corrupti versantur in perpetuo timore, & anxietate, & stimulis conscientiæ.

16. *Vir qui errauerit, &c.* Docetur hic, quicumque aberrauerint à cognitione veri Dei siue illi Pagani siue Iudæi, siue hæretici fuerint, eos inter mortuos & dæmonum cætus olim censendos esse. Via namque intellectus vel intelligentiæ (cuius hic fit mentio) est via legis & cognitionis diuinæ.

17. *Qui diligit epulas, &c.* Agit hic locus contra gulam, luxum, & ebrietatem: nam per ea diues euadit pauper, & pauper numquam peruenit ad diuitias, imò ex paupere fit tandem pauperrimus & famelicus mendicus. Eiusmodi autem commessationes carnisque voluptates non solum generant

nerant inopiam rerum temporariarum, verum magnam quoque paupertatem ſpiritalium.

18. *Pro iuſto dabitur impius, &c.* Locus hic habet nonnihil obſcuritatis, nec enim facilè animo occurrit, quo ſenſu impius lege ſaltem ordinariâ detur pro iuſto, vel iuſti redemptione; aut pro recto pronuncietur. Quare variè exponitur. Alij: Impij cadunt in laqueos vel pœnas, quas iuſtis præpararunt. Alij: Iuſti euadunt pœnas & clades communes, quas propter peccatum Deus quandoque immittit. Alij: Impij perſequendo iuſtos expiant illos à pœnis, quas in altero ſæculo daturi erant, eæque redundant in caput perſecutorum. Alij: Iuſti hic puniuntur; impij vtrobique. Prima expoſitio propter perſecutionis iniquitatem videtur conuenientior.

19. *Melius eſt habitare, &c.* Hæc paulo ante ſunt propoſita, & expoſita, nec egent alia luce: proponuntur hic tamen cum maiori exaggeratione quàm ibi. Hic enim dicitur ſatius eſſe habitare inter feras & beſtias in loco deſerto, quàm cum mala muliere in propria domo.

20. *Theſaurus deſiderabilis, &c.* Theſauri nomine ea omnia capiuntur, quæ ad humanæ vitæ vſum reconduntur, vt ſunt oleum, vinum, frumentum aliáque eiusmodi; hæc enim in communem vſum aſſeruare, à ſapientia non eſt alienum. Verum ſtultus prudentiáque deſtitutus nihil aſſeruat, ſed omnia ſtatim deuorat. Poteſt autem litera ſic exponi: Oleum in ſapientis domo reconditum, deſiderabilis eſt theſaurus, ſeruit enim variis vſibus. Oleum autem myſticè eſt caritas, quem theſaurum ſtulti nihil curant.

21. *Qui ſequitur iuſtitiam, &c.* Significatur hic, qui ſerio conſectatur iuſtitiam, vel miſericordiam, vel aliam quamcumque virtutem, inuenturũ vitam, & gloriam, & apud Deum miſericordiam iuſtámque mercedem.

22. *Ciuitatem fortium, &c.* Exponitur hic paucis quantæ potentiæ quantarúmque virium ſit ſapientia. Etenim plus ſæpe valet & facit in expugnanda vel defendenda ciuitate aliqua vnus ſapiens, quàm integer exercitus: pari modo multo plus valent viri docti contra hæreticos, Iudæos, Paganos, quàm armati.

23. *Qui cuſtodit os ſuum, &c.* Hanc ſententiam, quæ egregia & veriſsima eſt, quotidiana experimenta probant. Quàm multi ob linguæ incontinentiam in extremum adducti ſunt vitæ, famę, fortunarumque omnium diſcrimen? Rectè proindè docetur, illum cuſtodire animam ſuam ab anguſtiis & calamitatibus, qui cuſtodit linguam ſuam à peccatis, quæ

vana ſunt. Poſſunt autem lingua & os ad idem referri: poſſunt rurſum ad diuerſa, os ad cibum & potum; lingua ad ſermonem.

24. *Superbus & arrogans, &c.* Exponit hic quædem vitia quę ex linguæ petulantia & mala eiusdem cuſtodia ſolent naſci. Qui enim incontinentis eſt linguæ facile incidit in arrogantiam, & iactantiam, & aliorum derisionem, in iram rurſum & quodvis aliud flagitium. Indoctus igitur qui lingua rectè vti non nouit, vocatur ſuperbus & arrogans, quia talia dicit & facit, quæ arguunt illum eſſe talem.

25. *Deſideria occidunt, &c.* Ponit aliam crucem quæ pigros ignauoſque homines exercet, nempè perpetuam ſitim continuúmque deſiderium abſque vllo refrigerio reiue deſideratæ lucro. Culpa autem penes ipſos eſt; nam ad impetrandam rem aliquam non ſat eſt, vt illam deſideres, ſed opus præterea vt deſiderio tuo collabores. Fruſtra enim deſiderat vitam, gratiam, ſcientiam, ſapientiam, virtutem aliquam, qui non conatur vt hæc habeat.

26. *Tota die concupiſcit, &c.* Cognatus eſt hic locus præcedenti, imò ad priorem illius partem quod attinet, eadem omninò docet. Monet enim ignauum totâ die variis æſtuare concupiſcentiis neque hilum tamen impetrare. Contra verò iuſtum honeſtis laboribus intentum, tantum induſtriâ ſuâ comparare, vndè & ſe, & familiam ſuam honeſtè alat, & egenorum quoque inopiam ſubleuet.

27. *Hoſtiæ impiorum, &c.* Docetur hic Deum muneribus, vt iniqui iudices ſolent non corrumpi; vt qui omnium iniquorum munera & ſacrificia, maximè verò illa, quæ offeruntur à ſcelerato ſceleratáque intentione, & ex rebus ſceleratè partis, ex animo deteſtetur.

28. *Teſtis mendax, &c.* Agit hic rurſum contra mendaces & falſos teſtes: Interminatur enim illis certum interitum, ſicut è diuerſo veris, hoc eſt, illis, qui ea teſtantur, quæ viderunt vel propriis auribus hauſerunt, immortalitatem. Secundum noſtram Editionem: Vir legi obediens in æternum, vel, vt alij interpretantur, victoriam loquetur.

29. *Vir impius procaciter, &c.* Diſſerit contra eos, qui ita deprauati ſunt vt ea quoque negare audeant, quæ comperta ſunt vera eſſe, vel ea excuſare, vel licita pronunciare, quę citra controuerſiam ſunt mala & illicita. Commendat autem eos, qui de lapſu vel errore quopiam admoniti, ſtatim viam vitamque ſuam corrigunt.

30. *Non eſt prudentia, &c.* Perſtringuntur hic, qui ſuâ calliditate aut

prudentiâ

prudentiâ diuinum decretum euertere vel impedire satagunt; aut quodcumque contra voluntatem Dei perficere contendunt. Monentur hic proinde omnes, vt Dei potius, quàm suam voluntatem explere curent; neque quidquam vmquã nitantur, quod verisimiliter Deo aduersum exstimant.

31. *Equus paratur, &c.* Ostensum est proximè nullam sapientiam esse tantam, quæ possit aliquid contra Deum. Hic verò docetur nullam scientiam, nullam industriam, nullum conatum magni aliquid præstare posse absque Domino, peculiarique eiusdem fauore atque auxilio.

PARAPHRASTICA CAPITIS VIGESIMI SECVNDI EXPLANATIO.

1. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: super argentum & aurum, gratia bona.*

MElius est nomen bonum & fama integra, quàm diuitiæ multæ; siquidem diuitiæ multæ sunt incertæ casuique obnoxiæ, malis ad hæc cum bonis communes: quæ etiam turpiter & iniustè sæpe comparantur, & sordidè & auarè possidentur; & fædè nonnumquã absumuntur; at nomen bonum & fama integra sunt immortalia, nec vlli obtinere possunt, nisi viro probo, & bono, cum præmium sint virtutis, & plus interdum possunt apud homines principes, quàm magnæ diuitię. Pari modò fauor, gratia, & beneuolentia prestant auro & argento; maximè vero gratia & amicitia Dei. Imo nihil est sub sole, quod cum illa conferri valeat, quin apud Principes quoque & magnates non minus potest fauor, & gratia, quam aurum & argentum.

2. *Diues & pauper obuiauerunt sibi: vtriusque operator est Dominus.*

DOminus ex æquò diuitũ & pauperum Dominus est: nam & vtrumq. ad imaginẽ suam creauit, & occultâ quâdam dispensatione vtrumq. ad eum statum vitæque conditionem condidit; ne vel alter alteri inuideret, vel alter alterum contemneret. Verum sese obuiis mutuo vlnis excipierent, mutuamque sibi inuicem opem ferrent; diues quidem pauperi in rebus ad vitam animalem necessariis; pauper contra diuiti in rebus ad spiritalem vitam animæque saluti opportunis. Et quamvis diuitis conditio

videatur potior, vulgóque habeatur honoratior, pauperis tamen est tutior, omnicq. virtuti & honestæ actioni aptior, modò paupertas non sit extrema planéque abiecta. Quare non est vt vel diues pauperem superbè contemnat, aut pauper diuiti magnoperè inuideat.

3. *Callidus videt malum, & abscondit se: innocens pertransit, & afflictus est damno.*

VIR prudens & cordatus, & callidus incommoda, quæ ex re, ad quam forte propensus, vel à qua non prorsus alienus erat, prouenire poterant, præuidens, tempestiuè se subducit, neque illam attingit: incautus autem & rudis, qui ea tantum spectat & obseruat, quæ sunt ante pedes, periculis, quæ se offerunt, contemptis, vel non consideratis pertransit, temeréque aggreditur; atque ita frequenter, in graues miserias & calamitates se coniicit. Prudentes ea de caussa expendentes quantum periculi positum sit in magnis honoribus, amplis magistratibus, opulentis sacerdotiis, aliisque similibus, vel vltro oblata admittere detrectant: verum stolidi veráque sapientia destituti, sponte ad illa conuolant, & interdum quoque ambitiosè affectant,

4. *Finis modestiæ timor Domini, diuitiæ & gloria & vita.*

FInis mercésque modesti submissíque animi est timor Domini, diuitiæ, vita, & gloria; res sanè quas mortales omnes maximè desiderare solent: quippe quæ tales sint, vt æterna felicitas in iis præcipuè sit posita. Et si enim vita per se non beet, nec opes per se, nec gloria per se, tria tamen hęc coniuncta, si adiunxeris æternitatem, verè beant. Magna proinde vis, magnáque merces est veræ humilitatis. Nam siue humilitas per se tantum generet timorem, & vnà cum timore tria reliqua, de quibus dictum est; siue certo quodam ordine quattuor iam exposita, semper tamen humilitas prima horum omnium radix est.

5. *Arma & gladij in via peruersi: custos autem animæ suæ longè recedit ab eis.*

ARma & gladij, spinæ & laquei, hoc est, omne genus impedimentorum occurrit peruersis, ne in viam virtutis ingrediantur; aut ne in illa iam constituti progrediantur. Spinę autem plusquàm aculeatæ sunt opes & diuitiæ: laquei porro carnis, mundi, & diaboli insidiæ: arma & gladij,

gladij deniqúe praui amici & ſocij, vi quodammodo ægrum animũ in deteriorem partem impellentes. Verum qui habet diligentem animæ ſuæ cuſtodiam facile ab ijs omnibus impedimentis ſe expedit; vel enim ne in illa incidat, cauet; vel ſi iam incidit, dat operam, vt commodè & tempeſtiuè inde ſe explicet.

6. *Prouerbium eſt, Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.*

TRitum vulgò, & exemplo ſępe probatum dictum eſt, adoleſcentem à via, cui puer aſſuerat, in ſenecta non facile recedere, iuxta illud, *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem Teſta diu.* Quapropter imbue filium tuum iuxta viam & rationem, quæ illi ætati conuenit, quò adultior iam effectus probè honeſtéque viuere familiare habeat.

7. *Diues pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis.*

QVI diuitibus ſeruire, mutuúmque accipere, atque ita in fœneratoris ſeruitutem redigi non vult, ille honeſto labore ea, quæ ad communem vitæ vſum neceſſaria ſunt, comparare ſtudeat. Siquidem vulgò ita comparatum videmus, vt diuites pauperibus imperent, mutuúmque accipientes creditoribus ſeruire compellantur. Credunt namque ob qualecumque beneficium, quod præſtant, pauperes ſibi obligatos eſſe, adeóque pecuniam vel operam gratis ab illis exigere poſſe.

8. *Qui ſeminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ ſuæ conſummabitur.*

QVod quiſque in corpore ſeminauerit, hoc & metet: qui igitur ſeminauit iniquitatem, metet pœnam & maledictionem; contra vero qui ſerit iuſtitiam & miſericordiam, metet gloriam & benedictionem. Pari modo quia virga & poteſtate, quam adeptus erat, abutitur, poteſtate, quam nactus erat, exutus, in virga furoris caſtigabitur, & à terra diſperdetur. Qui enim in ſubditos præter rationem ſæuiunt, ſi ab illis non perimuntur, tandem certè depelluntur.

9. *Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur: de panibus enim ſuis dedit pauperi.*

QVI pronus eſt ad opera miſericordiæ diuina benedictione potietur, multiſque diuitiis & opibus non modò in hac vita, verum in altera

quoque augebitur. Tantum namque abfuit, vt pauperes vſuris oppreſſerit, aut in ſeruitutem redegerit, vt auari & improbi diuites ſolent, vt propriis quoque panibus liberaliter illos pauerit, benignóque & clementi oculo & animo eos complexus fuerit.

Victoriam & honorem acquiret qui dat munera: animam autem aufert accipientium.

ETſi munus vltro oblatum accipere nefas non ſit; interim multo ſatius eſt dare, quàm accipere. Siquidem qui dat, aliorum fauorem & gratiam ſibi comparat, illoſque ſibi obligatos reddit; qui autem accipit, ſuam libertatem vendit, & nonnumquam ſuam quoque ſalutem & animam oppignorat.

10. *Eiice deriſorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabunt que cauſæ, & contumeliæ.*

EXpelle deriſores & peſtilentes homines, publicæque pacis & tranquillitatis perturbatores è ſenatu, è republ. è ciuitate, & familia, maximè verò ex Eccleſia & vnà cum illis exibunt iurgia, lites, contentiones, conuitia, ceteráque quę ex his naſci ſunt ſolita. Inter irriſores autem primas facile obtinent hæretici. Hi enim ſunt, qui fidei ſynceritatem & ſimplicitatem, quique Eccleſiæ ritus & cærimonias palàm derident, omnéſque præ ſe contemnunt, omnia ſiniſtrè & præpoſterè interpretantur, nullam admonitionem ferunt, ingentéſque diſcordias & ſeditiones vbique ſerunt, quos proindè ſi obſtinati ſunt, tanquam certiſſimas reipublicæ peſtes tempeſtiuè vel proſcribere, vel è medio tollere conuenit.

11. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum regem.*

QVI diligit & conſectatur cordis munditiam, & orationis venuſtatem, & caſtimoniam inueniet gratiam & amicitiam apud Regem, maximè vero cæleſtem. Huic enim ſoli cordis munditia certò compera eſt; atque hęc vna ad obtinendam & retinendam diuinam amicitiam præ ceteris eſt neceſſaria. Quin apud terrenos quoque Reges & magnates præ aliis grati ſunt, qui mundam innocentémque vitam ducunt, ſermoniſque gratia & venuſtate valent. Multa ſunt, quæ orationi pondus & auctoritatem conciliant, at primatum obtinet vitæ integritas: non enim facilè credi-

ditur hominibus ſubdolis & fucatis, etiamſi vera dicant; ſynceris autem & veracibus habetur fides, quidquid tandem dixerint.

12. *Oculi Domini cuſtodiunt ſcientiam, & ſupplantantur verba iniqui.*

OCuli Domini obſeruant bonorum virorum ſcientiam; hoc eſt, Dominus ea, quę à viris verè piis & ſapientibus geruntur, approbat & acceptat. Contra vero improborum & præuaricatorum dicta & facta ex æquo improbat & condemnat. Etenim prouidentiæ diuinæ proprium eſt, eos qui legis ſcientiam tenent, cordiſque munditiam ſectantur, & labia ſua à vaniloquio cuſtodiunt, iuuare & promouere, vireſque quo magis quotidiè proficiant & creſcant, iiſdem ſubminiſtrare. Illos autem qui iniquo ſtudio prevaricantur, neque cordis puritatem & caſtimoniam amant, diuinæ prouidentię oculus adeò non conſeruat, vt ſubuertat quoque. Neque ipſos tantum, ſed ipſorum quoque conatus & verba, nec mirum. Siquidem verbis nequitiam ſuam tegere, eoſque qui ſcientia Dei pollent, impugnare ſolent.

13. *Dicit piger, Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.*

IGnaui & deſides, vel abiecti alioqui animi homines ne citra cauſam ignaui videantur, ibi graue aliquod periculum cauſari ſoliti ſunt, vbi vel nullum vel exiguum eſt; vel ſi quod eſt, omnino tamen contemnendũ eſt. Exempli gratia ne ex ignauiæ ſuę gurguſtio in medium prodeant, allegant leones in platea verſari, adeóque ſe occidendos, ſi prodeant: ieiunium, vigilias, ſtudia aliaque eiusmodi offendere valetudinem: fidem publicè profiteri cum vitæ vel famæ periculo coniunctum eſſe: mitto alia. Nam ne aliquid facere compellantur, ſemper hoc vel illud incommodum allegant.

14. *Fouea profunda os alienæ: cui iratus eſt Dominus, incidet in eam.*

OS ſermóque procax mulieris alienæ eſt inſtar profundæ inemerſabiliſque foueæ. Etenim vt ex profunda fouea non facilè quiſpiam citra vitæ periculum emergit; ita qui cum muliere adultera conſueuit non facilè ad vitæ frugem redit. Tenet enim illum vinculis tantum-non ferreis ligatum & irretitum; nec prius dimittit, quàm in mortem deiecerit. Primò enim callidè pellicit in ſui amorem; mox ad Veneris conſuetudinem, hinc ad furta & homicidia, aliáque eiusmodi; poſtremò ad veniæ deſperationem.

nem. Quamobrem singularis gratiæ est ab eiusmodi fouea conseruatum esse: sicut è diuerso certum iræ diuinę argumentum est, in illam incidisse. Sublimiori sensu contenientissimè quadrat in hæresin. Difficile enim inde extricantur, qui semel in illam inciderunt.

15. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.*

STultitia, vanitas, temeritas, & leuitas pueris & iunioribus adeò sunt familiaria, vt illis ingenita videri queant. Nam cum nullam rerum experientiam habeant, & rudes adhuc per ætatem existant, quidquid ferè agunt & instituunt, illud totum est vanum & inutile. Quamobrem vt illos in officio contineas; vel si à via deflexerint, ad sanam mentem denuò reducas, non sat est si illos officij admoneas; verum si præfractiores sint, verberibus quoque ad frugem compellere oportet, moderatè tamen. Siquidem nimia sæuitia illos destruit verius quàm corrigit, quare etiam non igne, aut ferro illos coërcendos monet Sapiens, sed virga tantũ disciplinæ.

16. *Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit.*

QVI calumniatur pauperem, aut vi illum opprimit, vel fraude circumvenit, vel quouis alio modo iniuria afficit: imò etiam qui debitam eleemosynam illi subtrahit, quo opes suas augeat, vel reseruet, adeò rem suam eâ viâ & ratione non auget, vt planè quoque euertat. Parimodo qui dant diuiti, hoc est, Regibus vel Principibus, quò vel maiora percipiant, vel certè quò pauperes liberius vexare & expilare queant, numquam ea ratione ditescent, sed ad magnam inopiam præcipites ruent. Ne ergo moueamur, aut incendamur si quos per malas artes ditescere videamus, sed infelicem illorum exitum spectemus & obseruemus.

17. *Fili mi, inclina aurem tuam, & audi verba sapientum, appone autem cor ad doctrinam meam.*

QVI Prouerbiorum librum in tres vel quattuor partes distinguunt, hi hoc loco tertię initium faciunt. Affatur autem Sapiens filium eiusmodi oratione: Non tantum ad verba sapientum inclina aurem tuam, fili mi, ita vt promptè alacritérque illa audias, verum etiam cor tuum ad doctrinam & scientiam meam, quo rectius eam intelligas, adiunge. Neque

enim

enim sat est audire sapientum dicta, sed oportet illa quoque intelligere, & in vsum conuertere.

18. *Quæ pulcra erit tibi cùm seruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis.*

ET quamuis primâ forte fronte doctrina mea, quæ ex Dei spiritu, & sapientum dictis est conflata, apparea tibi nimis seuera & dura; attamen vbi eam semel animo complexus fueris, & in imo pectoris tui scrinio recondideris, mentéque tractare cœperis, experieris illam iucundam, suauem, & amœnam, tuoque ex corde in labia tua ad aliorum vtilitatem magna vbertate redundantem. Quandoquidem vna hæc te non solum reddet idoneum & aptum ad salutaria quæque intelligendum & discendum, verum etiam ad alios docendum.

19. *Vt sit in Domino fiducia tua, vnde & ostendi eam tibi hodie.*

AVdi, inquam fili, & inclina cor tuum ad doctrinam meam; neque illius seueritas, aut grauitas te absterreat, quò ex sapientiæ diuinæque legis auditione & obseruatione in Domino firmetur & stabiliatur fiducia tua. Ne autem spe tua frustreris, ego sapientiæ disciplinam hodie tibi apetiam, hoc est, non semel aut iterum, sed continuo; nec non per vias sapientiæ te ducam, eiusdémque secreta tibi ostendam: at tu, vt iam antè monui, fideliter ea amplectere, & aliis quoque, vt ego tibi, ostende.

20. *Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus & scientia.*

21. *Vt ostenderem tibi firmitatem & eloquia veritatis, respondere ex his illis qui miserunt te.*

ECce autem non semel aut iterum, sed ter, hoc est, frequenter tibi scripsi; nec eadem aut de iisdem semper; sed de variis, nempè de iis, quæ faciunt ad moderanda cogitata, verba, & opera. Neque de vulgaribus rursum; sed de egregiis & eximiis: neque seuera tandem proposui semper, sed modo seuera, modò iucunda, modó etiam perfecta: cuiusmodi sunt, illa, quæ faciunt ad legis, Prophetarum, & Hagiographorum cognitionem. Feci hoc autem, vt disceres consilia, & legis scientiam, & vt notã tibi facerem veracium eloquiorum firmitatem; quo his respondere, rationémque reddere posses qui te miserunt, hoc est, qui publico muneri te

 præfece-

præfecerunt. Paucis nihil eorum prætermisi, quæ te vel meliorem, vel doctiorem reddere poterant.

22. *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta.*

CVM omnis violentia graui culpæ sit obnoxia, seueréque inhibita; tum ea maximè, quę cadit in pauperes. Primo quidem quia pro status sui conditione digniores sunt subsidio, quàm oppressione; deinde vero quia Deo præ ceteris sunt curæ, adeóque grauissimè illorum iniuriam vlcisci consueuit; postremo autem quia præter omnem rationem videtur illis vim facere, qui resistere omnino non possunt. Ne hoc ergo nomine vim facias pauperi, quia pauper est, siquidem hoc titulo meretur potius subleuationem, quàm oppressionem; neque egenum rursum in porta, hoc est, in iudicio, vel in loco vbi ius dici solet, iniustè premas. Est enim duplex opprimendi pauperes modus; alter fit per vim, qui apertam iniquitatis speciem præfert; alter per viam iuris, qui tectior, & aliquâ æquitatis specie coloratior, tametsi nullam habere videatur.

23. *Quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.*

MVltæ sunt causæ cur pauperes opprimendi, spoliandi, aut vexandi non sunt; verum vna illa sola ab hac iniquitate & crudelitate absterrere nos posset, quod Dominus causam illorum sit iudicaturus, animámq. & vitam illis adempturus, qui vitam eáque, quibus vita sustentatur, illis per iniustitiam ademerunt. Iusta profectò pœna: nempè vt ea mensura illis remetiatur, qua mensi fuerant. Æquè iustum est vt Deus eos defendat, qui præter illum nullum patronum habent, neque facile habere possunt.

24. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso.*

CVM quovis vitioso homine familiaritatem inire periculosum est; quippe cum omne omnino vitium veluti contagio quædam sua natura inficere & polluere soleat. At minimè omnium tutum est cum homine iracundo & furioso amicitiam contrahere. Nam cum furiosi leuissima de causa offendantur, incensique nemini pareant, periculum est ne ex eiusmodi amicitia magna quandoque incommoda oriantur.

25. *Ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.*

ET licet aliud nullum incommodũ aut discrimen esset, adhuc magnum illud est, quod periculum sit ne illa consuetudine & familiaritate ipsi quoque furiosi & impatientes paulatim euadamus; adeóq. animas nostras in laqueum coniiciamus, aut in publicum aliquod scandalum incidamus. Vita proinde & fuge iracundum, ne diligas semitas eius, quę sunt ab omni sapientia & prudentia admodum alienæ. Qui tamen virtutibus ita obfirmatus esset, vt deprauationis periculum nullum vrgeret aut metueret, posset is cum talibus versari, eosque ad mansuetudinem sensim inducere.

26. *Noli esse cum his qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis.*

SED neque cum iis quoque familiariter viuas, aut multum commercij habeas, qui stipulatâ manu temerè pro aliis spondent, aut vades pro alienis debitis se offerunt. Nam etsi fidem suam pro altero obstringere prohibitum non sit; attamen propter pericula & molestias, quæ inde oriuntur, citra necessitatem, magnámque deliberationem fieri illud non debet. Cum ij ergo, qui leui de causa id faciunt, homines sint plerumque leues & inquieti, consultius est ab eorũ consortio omnino abstinere, quàm illorum consuetudine familiariter vti.

27. *Si enim non habes vnde restituas, quid causæ est vt tollat operimentum de cubili tuo?*

AT multo magis cauere debes ne tute ipse pro alterius debito temere aliquando spondeas. Si enim id feceris, neque earum tamen facultatum fueris, vt æs alienum, pro quo fidem tuam creditori obligasti, exsoluere quiueris, quid aliud reliquum tibi est, quàm vt veniat creditor, & tollat lectum, in quo cubas, aut rem aliam, qua pro temporis ratione maximè indiges? Nam etsi istud fieri non deberet; attamen ea quorundam creditorum, aut fœneratorum est crudelitas, vt à lectis quoque & vestibus non abstineant. Quod si pro pecunia spondere vsque adeo periculosum est, quanto cum periculo coniunctum erit, pro aliorum salute & anima fidem suam obligare. Id quod faciunt pastores & quotquot aliorum curam in se accipiunt.

28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*

NE transferas terminos, quos posuerunt patres tui, hoc est, ne laudabiles maiorum leges, consuetudines, ritus, cerimonias aliáque eiusmodi transmutes, aut transgrediaris, etiamsi tibi sapiens videaris; & aliquid melius pro tempore occurrat. Neque enim sine causa latę, & tanto tempore obseruatæ sunt; estque omnis ad hęc mutatio & nouitas, in re præsertim grauí, periculosa & de errrore suspecta. Hoc documentum si nostro hoc æuo obseruatum fuisset, pacatiorem haberemus rempubl. Ecclesiasticam, quàm iam habemus.

29. *Vidisti virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit, nec erit ante ignobiles.*

SIquis vir est agilis, negotiisque expediendis idoneus, qualiacumque tandem illa fuerint, is Regibus Principibusque à ministeriis, negotiis, & consiliis erit, suamque operam illis præstabit; in barbarorum autem & abiectorum hominum seruitio ætatem nequaquam consumet, neque tanquam minister illis assistet.

A D

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM

SCHOLIVM.

1. *Melius est nomen, &c.* Præfertur hic integra fama opibus. Hæ enim sunt caducæ bonisque cum malis communes; illa immortalis bonisque propria: hæ rursum consentur inter bona vtilia; illa inter honesta: hæ denique casu multis obueniunt; illa paucis virtutes actusque heroicos tantum comparatur.

2. *Diues & pauper, &c.* Docemur hinc Deum non modò copiæ, sed inopiæ quoque auctorem esse. Vtrumque enim fecit Deus, pauperem videlicet & diuitem, idque non tantum secundum naturam; verum etiam secundũ fortunam. Dicuntur autẽ se mutuo occurrere, vel quia dissimilis sortis sunt, vel quia in eadem schola vnus ab inopia ascendit ad copiam; alter vero à copia descendit ad inopiam; vel certè quia se mutuo iuuare debent.

3. *Callidus*

3. *Callidus videt malum, &c.* Agit hic locus de prudentibus & prouidis, de simplicibus rursum & improuidis. Hi quod ea tantum spectent, quæ sunt ante oculos posita, in magna sæpe incomoda incidunt; illi quod in futurum prospiciant, quidque ex hoc vel illo opere vel conatu commodi vel incommodi prouenire possit, diligenter perpendant, non temere, sed pro rei qualitate refugiunt vel aggrediuntur. Istud in materia peccati studiosè obseruandum esset.

4. *Finis modestiæ, &c.* Describitur hic merces modestiæ veræque humanitatis, & timoris Domini præmium. Est autem illud triplex, nempe diuitiæ, gloria, & vita, quæ tria præ ceteris expeti ab omnibus solent. Hebræa sonant: Propter humilitatem & timorem Domini. Humilitas enim gignit timorem; timor autem ea, quæ dicta sunt, quæ noster quoque interpres insinuat, dum ait: Finem vel scopum submissionis esse timorem Domini, diuitias, gratiam & vitam.

5. *Arma & gladij, &c.* Docetur hoc loco multa peruersis hominibus impedimenta occurrere, dum se à peruersitate ad virtutem conuertere volunt; occurrunt enim illis spinę, & laquei, & arma. Quid autem singulaorum denotent ex Paraphrasi disce.

6. *Prouerbium est, &c.* Monentur hic parentes, vt liberos suos à prima statim ætate piè rectéque instituant, probitatíque & pietati assuefaciant: nam prima institutio per totam reliquam vitam sese diffundit. Hebræa sonant: *Imbue puerum iuxta viam suam*, hoc est, secundum normam præceptorum, quæ puerili ætati conueniunt; & vbi iam adoleuerit, non recedet ab ea. In Contextu Hebræo & LXX. desideratur illud *Prouerbium est*: sed & vox quoque *Adolescens* rectius transfertur ad notionem participij quàm nominis, vt sit sensus: adolescens, hoc est, ille, qui adoleuit, vel vel adolescit iuxta viam suam.

7. *Diues pauperibus, &c.* Hac sententia clarè docetur eos laborare debere, qui à diuitum seruitute, & fœneratorum oppressione immunes viuere volunt: siquidem solus labor est, qui paupertatem tollit.

8. *Qui seminat, &c.* Monemur per primum loci huius membrum vnumquemque messurum, quod seminauit. Eodem fere tendit, quod sequitur: per Virgam autem accipe aut principis in subditos furorem, vel auctoritatem, qua contra illos abutitur.

9. *Qui pronus est, &c.* Iterum hic commendatur studium eleemosynarum, cui magna quoque in vtraque vita promittitur remuneratio. Siqui-

dem egregia propensio animi ad opera caritatis res est Deo longè gratissima.

9. *Victoriam & honorem, &c.* Et hæc quoque sententia ex LXX. Editione est petita, exempla Hebræa eam non habent, nec emendata quoque Latina. Significatur hic autem tutius esse dare, quàm accipere.

10. *Eiice derisorem, &c.* Hoc loco illos derisores vocat, quos antè pestilentes appellauerat, quos iurgiorum & dissensionum auctores definit; adeoque ex hominum consortio proscribendos asserit. Quecumque autem hic dicuntur ea omnia in hæreticos conueniunt appositè. Hi enim precipuè sunt, qui sacra profanáque omnia deridents, magnásque turbas & seditiones in Ecclesia excitant.

11. *Qui diligit cordis munditiam, &c.* Docetur hic cordis munditiem labiorumque gratiam ad Regum amicitiam & beneuolentiam viam munire. Siquidem cordis synceritas, & animi candor orationis venustatem mirificè exornat, sicut fucus & simulatio è diuerso eandem obscurant vehementer.

12. *Oculi Domini custodiunt, &c.* Docetur hic paucis, Dominum ea approbare, quæ à viris bonis & sapientibus geruntur; contra verò preuaricatorum & iniquorum opera, eorundémque studia euertere, & improbare. Per Dei autem oculum, diuinam prouidentiam designat Sapiens.

13. *Dicit piger, &c.* Hic locus ignauorum hominum ingenium & affectionem frigidásque illorum excusationes describit. Caulantur hi enim periculum, vbi nullum est, & si quod est, illud supra modum exaggerant; quo hac ratione à labore & studio honesto aliquo prætextu sese eximant.

14. *Fouea profunda, &c.* Per similitudinem præaltæ foueæ ostendit quàm periculosa & perniciosa res sit commercium habere cum muliere adultera. Nam vt in profundam foueam delapsus præfocatur, aut læditur, magnaque semper cum difficultate inde educitur; ita qui cum aliena consuetudinem habet si non perimitur, grauiter tamen læditur, & difficulter sanatur. Per os autem designatur hic blandus sermo, aut osculum, aut lasciuus nutus. Vel aliquid aliud eiusmodi quæ omnia viam muniunt ad obscenum amorem, illicitamque Venerem ceteráque quæ certo quodam ordine inde consequuntur, nisi Deus forsan singulari quadam gratia successum impediat.

15. *Stultitia colligata est, &c.* Discimus hinc stultitiam, & vanitatem,

iuuenibus & pueris perquam familiarem esse, eámque nullâ aliâ re melius profligari, quàm verberibus, dum verba non prosunt.

16. *Qui calumniatur, &c.* Monemur per hæc, qui rem suam cum pauperum iniuria & oppressione augere volunt, illos in egestatem præcipites abire & huius rei complura adferri possent exempla, si opus id esset. Videmus namque fœneratores, qui pauperes præ ceteris grauant & opprimunt vna sæpe hora amittere, quidquid iniustè multis annis corraserant. Idem quoque accidit corruptis iudicibus & testibus sepissimè. Mysticè in hunc locum impingunt, qui piorum virtutibus detrahunt, quo ipsi ea ratione, sanctiores habeantur.

17. *Inclina aurem tuam, &c.* Hoc loco Hebræi constituunt tertiæ partis libri initium. Diuidunt enim totum opus in tres vel quattuor partes; hortatur autem filium, vt & auribus audiat verba sapientum, & totum cor ad sapientiam hauriendam adiungat.

18. *Quæ pulcra erit, &c.* Solent initio iuuenes à sapientum doctrina satis alieni esse. Quamobrem ne nondum gustatam statim abiiciat, animumque despondeat, monet filium doctrinam quam tradit ita duram & inamœnam prima fronte fore, vt postea suauissimos fructus datura sit.

19. *Vt sit in Domino, &c.* Hic assignatur alius sapientiæ perceptæ vsus & fructus. efficit enim vt homo, qui illam percepit, suis viribus, vel amicorum opibus non fidat, sed spem omnem in Deum reiiciat. Vt ergo fiduciam illam de Domino consequaris, ego tibi sapientiæ thesauros ostendam, tu autem vt aliis quoque illam impertias stude.

20. *Ecce descripsi eam, &c.* Variè hic locus exponitur. Hebræi interrogatiuè legunt ad hunc modum: Vtrum scripsi tibi ter? vel, vt alij exponunt, terna? nempe legem, prophetas & hagiographa? vel triplicis generis? nimirum seuera, iucunda, & perfecta? vel tria volumina, videlicet Prouerbia, Ecclesiasten, & Cantica? Alij scripsi tibi non vulgaria sed egregia primæque dignitatis dogmata. Alij, Scripsi ter, hoc est, non semel aut iterum tantum, sed eadem frequenter inculcaui; scripsi autem de consiliis de cogitationibus, & de diuinæ legis scientia. Beda, Scripsi tibi triplicia, nempe ea, quæ faciunt ad instruendum cogitationes, verba, & opera.

21. *Vt ostenderem, &c.* Ostendit hic quorsum frequentius illi scripserit, vel de variis & excellentibus illum monuerit; nimirum quò notam illi faceret eloquiorum veracium firmitatem & certitudinem; tum quo iis veritatem respondere posset à quo missus fuerat. Possent hæc quoque

referri

referri ad præcedentia, vt sit sensus: Ostendi tibi tria, videlicet scientiam, consilia, & veritatem, vel ea quæ faciunt ad Dei notitiam, vitæ integritatem, & scientiam politicam. Citra hanc enim non potest esse pacatus cum homine conuictus.

22. *Non facias violentiam, &c.* Præfatione partis huius tertiæ absoluta, redit iterum ad præceptorum & documentorum traditionem: commendat autem filio causam pauperum, seueréque illi iniungit, ne per vim, aut iniusto iudicio illum opprimat. Ceterum contritionem ad portam referre quoque licet ad portam domus, quasi dicat, cum ad domus tuæ portam opem vel eleemosynam petiturus veniet, caue illum vexes, aut asperis verbis abigas, aut fame eneces. rectius tamen refertur ad publicũ iudicium.

23. *Quia iudicabit, &c.* Exponitur hic grauis causa, cur pauperes opprimi, aut iniustè vexari non debeant: quia nimirum illorum iniuria redundat in Deum, qui eos defendet, illorumque oppressores in peccati pœnam puniet, vitaque naturæ, gratiæ, & gloriæ olim illos orbabit.

24. *Noli esse amicus, &c.* Quod hic speciatim de ira & furore dicitur, hoc generatim ad omne vitium, omnémque vitiosum referri potest, quia nullum est omnino, quod aliquatenus non inficiat, etsi aliud alio magis.

25. *Ne forte discas, &c.* Exponit causam cur cum iracundis & aliis vitiosis commercium habere non conueniat; quæ vna & quidem præcipua est, ne illis similes euadamus, adeoque animæ nostræ laqueum iniiciamus.

26. *Noli esse, &c.* Iam antè aliquoties monuit abstinendum esse à fideiussione, proque fide aliena stipulatione; hic autem monet non tantum ab ipso opere abstinendum; sed ab eorum quoque commercio, qui ea in re faciles. Quia tales plura plerumque promittunt, quàm præstare possint, & quidquid habent periculo exponunt.

27. *Si enim non habes, &c.* Per hæc redditur ratio cur temere pro altero, & præsertim pro peregrino spondendum non sit, simulque fœneratorum crudelitas & inhumanitas perstringitur, vt qui res vel maximè necessarias in pignus, vel solutionis partem extorquere soleant, verbi gratia, lectum, vel lecti stragulum vel aliquid aliud eiusmodi. Qui erga ab eiusmodi molestiis liber vult esse temerè pro nullo spondeat.

28. *Ne transgrediaris, &c.* Latè patet hæc transgressio, potest referri ad eos, qui agrorum limites transferunt, aut maiorum traditiones mutant, aut quascumque bonas & laudabiles ordinationes vel consuetudines antiquant, aut noua & perniciosa dogmata inducunt.

29. *Vidisti*

2. *Vidisti virum velocem, &c.* Commendat hic locus ministrorum sedulitatem, & indicatur præmium, quo potiri tales solent. Qui enim eiusmodi Regum aulis & consiliis adhibentur, monemurque per eundem laborem & industriam in rebus omnibus plurimum posse, magnáq. id in vtraque vita compensari.

PARAPHRASTICA CAPITIS VIGESIMI TERTII EXPLANATIO.

1. *Quando sederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam.*
2. *Et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam.*

ORRO autem si in ministerio sedulus & impiger, negotiisque celeriter prudentérque expediendis idoneus fueris, atque ob id magnatum & Principum mensæ adhibearis; iterum iterumque caende, ne per luxuriam, crapulam, vel temulentiam, vel per quamlibet immodestiam aut temeritatem totum illud deperdas, quod per curam & industriam nactus eras. Igitur vna cum Rege mensæ accumbens atque etiam quid ante te positum sit expende: nihil præpropere inconsiderate attingas; ne sis hic præceps, aut curiosus, aut immodicus, aut inconsideratus. Dapium vinique vim explora si potes, ne valetudinem, vel animi iudicio noceant. Quod si explorare non vales, & tamen id in potestate habueris, hoc est, ita comparatus sis vt appetitus illum refrænare queas, demerge cultrum vel spinas in guttur tuum, et, compesce gulam, cogitaque tantum tibi periculi imminere, si in illo vel poni mensuram excesseris, atque si spinarum ramos, vel cultellos in gutture volutares. Quare non est satis tutum mensas regias adire, multo vero minus illas accedere: quippe cum cibus vel panis fallax incautisque facili negotio imponat.

3. *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.*

ET quemadmodum diligenter attendere debes, cuius modi esculen poculenta proponuntur, caueréq. ne in his excedas; ita animad quoq. debes cuius modi verba proponuntur, aut quæstiones inter ce vel prandendum moueantur, curaréque nequid stultè, aut imprud respondeas; aut tale quid per crapulam effutias, quod cultrum in g tuum demergat, hoc est, mortis reum apud Regem te faciat. Solent viri principes de industria quosdam inebriare, quò hac ratione a illorum explorent, secretaq. quę in pectore abdita retinent, callidè el Multi enim effundunt per ebrietatem, quod sobrij ne grauissimè q torti fassi fuissent. Ad principis itaque mensam accubans, non solum sideres quid edas vel bibas, verum etiam quid dicas, facias, aut intent tus respondeas.

4. *Noli laborare vt diteris: sed prudentiæ tuæ pone modum.*

CVM opibus cogendis, & sapientiæ simul intentus esse com non queas, caue cum sapientiæ detrimento nimium labores, ut ples fias; aut certè ne ea contentione labores, vt ab intelligentiæ & s tiæ studio cesses, aut admodum remisse illi intendas. Quærenda sap primum, mox verò pecuniæ, non quidem ad vanam ostentationem ad necessariam vitę sustentationem. Ne ergò labores vt opulentus e sed prudentiæ illi, quæ opibus comparandis de industria vacat, nim sollicitudinem adfert, modum ponas.

5. *Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere: quia facient si pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.*

NE mentis tuæ oculos ad opes erigas, quas vel non habere, vel cu borem habere non potes. Solo enim desiderio, neque opes, neq læ aliæ res ad salutem aut vitæ vsum necessariæ obtineri possunt; sed est labore, studio, & industria, at neque illa quoque per se fat sunt, ve opus est singulari Dei fauore & gratia. Nam multi laborant, sed inca quia Deum propitium non habent. Sed neque nimis ardenter quoqu affectes, quia si nimis auidè & immoderatè illis inhias, assumptis p aquilarum more auolabunt in cælum, hoc est, ex oculis tuis quasi fu aut aquila volans euanescent. Fit enim frequenter, vt illi qui opes, n

curant, diuites euadant: alij contra, qui nimis ardenter illis inhiant, pauperes fiant. Denique vbi oculos semel clauseris, vbi illas inuenies? Nusquam sanè, quia mortuis nihil commune est cum opibus; omnia simul relinquunt, & deserunt, quæ in vita in vsu fuerant, solum virtutes & vitia comitantur illos.

6. *Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius.*

SI cibum capias apud hominem parcum, sordidum, illiberalem, & inuidum, neque desideres escas illius. Nam licet verbis & gestibus gratiam & beneuolentiam simulet, cibumque suum tibi proponat, & ad edendum inuitet; attamen cum te seriò edentem & bibentem videt, mox cruciatur, singulosque pæne morsus & haustus numerat.

7. *Quoniam in similitudinem arioli & coniectoris æstimat quod ignorat. Comede & bibe, dicet tibi: & mens eius non est tecum.*

NEC id solum, sed more quoque arioli & coniectoris de eo, quod ignorat, diuinat. Nam ex animo & stomacho alios metitur suo, hoc est ipse fictè simulatéque agit omnia, ita alios quoque (& eos præcipuos ad mensam vocauit) quidquid dicunt vel faciunt, simulatè facere vel dicere iudicat. Rursum vt ipse tanquam sordidus exiguam cibi potusque mensuram sibi præfigit præfinitque; ita alios quoque ea contentos esse debere existimat, quam proinde si inuitatus excesserit, rumpitur indignatione & ira. Et quamuis subinde dicat, ede, bibe, ex animo tamen id non dicit, quia mens eius non est tecum, neque cibum & potum, quem accipis obiurgificatur.

8. *Cibos quos comederas euomes, & perdes pulcros sermones tuos.*

VT primum autem rescitueris, quo animo in te exstiterit; quamque inuito & ingrato animo te pauerit, statim cibum & potum illius detestaberis optabisque quidquid sumpseras, hoc ipsum tanquam ingratam stomacho escam, per vomitum eiicere te posse; nec non tot pulcra verba, vel mensam eius laudando, vel gratias agendo, vel conuiuas venustâ & leporis oratione recreando, te perdidisse ex animo dolebis: non absimilis huic sordido & sordido hospiti est diabolus; nam licet is voluptates carnisque sectatoribus suis offerat, illorum saluti tamen inuidet.

9. *In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquij tui.*

NE salutarem doctrinam insipientum auribus instilles, quia eloquii doctrinam despicient, adeoque oleum & operam cum illis perdes: despiciunt autem salutarem doctrinam stulti & impij homines, quod eam non intelligũt, vel quod moribus & operibus illorũ aduersatur.

10. *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas.*

NE limites antiquorum transferas, neque pupillorum terminos loco moueas, neque in orphanorum agros, quo vim aut damnum aliquod illis inferas, introeas. Nam etsi nullius prædiis iniuria sit inferenda, non vlli omnino limites cum alterius iniuria transmutandi; attamen cum pupilli & orphani ad iniuriam propulsandam per se infirmi sint, & tutoris officium sæpe non faciant, summopere cauendum est, ne qua illis, aut illorum bonis iniuria irrogetur.

11. *Propinquus enim illorum fortis est: & ipse iudicabit contra te causam illorum.*

NEque tamen omni propinquo, tutore, & defensore destituuntur. Deus namque cuius fortitudo inuicta, & sapientia inexhausta est, propinqui tutorisque personam suscipit, causamque illorum potenter defendit, dicitur autem Deus pupillorum & orphanorum propinquus non quia prope est (est enim inter omnia, & extra omnia) sed quia meo consanguinei ablatorum assertor est; quia rursum peculiaris illorum redemptor est. Pupilli sunt, qui in Christum credunt, quorum peculium inuadunt hæretici; secundum illos Principes & magistratus sæculares, qui vel bona Ecclesiastica vel Ecclesiasticam iurisdictionem contra ius & fas inuadunt; qui proinde potentissimo iudici & pupillorum assertori graue aliquando rationem reddituri sunt.

12. *Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ.*

ADiunge ad doctrinam & eruditionem cor tuum, & aures tuas ad scientiæ & intelligentiæ verba admoue, impigreque & seriò in illis incumbe; neque aliorum iuuenum more studia à sapientia admodum aliena tractes, aureſque & cor ad ineptias accommodes.

13. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur.*

14. *Tu virga percuties eum: & animam eius de inferno liberabis.*

QUia pueri & iuuenes propter vehementiores animi motus, & exiguum bonarum & necessariarum rerum vsum, verbis parum admonentur; ne tu parens aut morum magister filium vel discipulum ita deposterè diligas, vt virgam & disciplinam ab eo abstrahas, nihil est quòd vt hinc incommodum aliquod metuas; non enim morietur, si illum cæcideris, hoc est, moderatè illum castigaueris: imo vero ex hac ita castigatione vitam consequetur. Liberabis enim animam eius à gehenno, in quem alioqui preceps abiisset, si castigatus non fuisset; neque magna probatione id eget. Constat namque innumeros ob castigationis vitium intempestiua morte abreptos in æternam damnationis foueam præcipites iisse.

15. *Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum.*

16. *Et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint recta labia tua.*

FIli mi, si cor tuum sapiens, sapientiæque deditum fuerit, non solum recreabitur inde cor tuum & animus tuus (siquidem mirabile gaudium oboritur in sapientis animo ex præsenti sapientia; quippe cum hic thesaurus omnes alios thesauros multum excedat) verum etiam vnà tecum lætabitur cor meum; vt qui primarius auctor huius tanti boni extiterim. Quod si per meam admonitionem & castigationem, quæ non ex odio sed sancto amore processerat, tantum profeceris, vt non modo sapiens, sed simul quoque eloquens euaseris; ita vt labia tua loquantur recta, hoc est, sanè, & eleganter, & quæ ad rem faciunt, non tantum cor meum lætabitur, sed præ immenso gaudio renes quoque mei exultabunt.

17. *Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die.*

CAue cor tuum peccatores æmuletur, eorumdemque studia, mores, & consuetudines sectetur. At multo magis caue ne illorum felicitati inuidum inuideas, aut ob quamcumque prosperitatem odio illos habeas, aut eum, quasi indignos promoueat, accuses. Tota autem die totaque nocte perste in timore & amore Domini; neque vt in illius iudicia inquiras animum inducas. Sunt enim imperscrutabilia, humanis mentis captum plurimum excedentia.

18. *Quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur.*

QVod si hoc obseruaueris, reuera in nouissimo habiturus est spem tam; eamque consecuturus es mercedem, quàm consequ[illegible] qui Deum ex animo timent; neque spes illa mercedisque præte[illegible] frustrabitur. At vero impiis post hanc vitam nihil fit reliquum nisi [illegible] deseruntur tunc namque ab omnibus, in quibus olim fidebant, nem[illegible] amicis, opibus, ceterisque omnibus.

19. *Audi fili mi, & esto sapiens, & dirige in via animum tuum.*

VT verè sapiens sis, sapiensque habearis, fili, tria nimirum tibi fu[illegible] cessaria; horum præcipuum est, vt sapientes de sapientia diffe[illegible] studiosè audias; alterum est, vt sapientiæ documenta ab illis hausta d[illegible] fideliqué memoriæ mandes; postremum est vt secundum leges à sa[illegible] sapiens, hoc est, sapientiam disce, & per viam, aut in via iustitiæ dirig[illegible] tuum, hoc est, da operam vt rectè incedas, & secundum legis præ[illegible] tum piè ambules.

20. *Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum qu[illegible] carnes ad vescendum conferunt.*

AT non sat est sapientes audire, eorumdémque præcepta disce[illegible] sapiens euadas, verum ea quoque studiosè cuitare debes quæ sa[illegible] tiæ aduersantur: inter quæ primas facilè obtinent luxus, crapula gul[illegible] ebrietas. Quamobrem noli esse in conuiuiis potatorum, neque in illo[illegible] consortio, qui helluantur carnes, aliasq. lautas opiparasque dapes, hec[illegible] ne illorum sis contubernalis, qui genio luxuique datâ operâ indulgen[illegible]

21. *Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.*

ET licet helluatio & perpotatio sapientiæ nihil obessent vt ob[illegible] luones, & somnolenti redigunturtandem ad extremam pauperta[illegible] quod est longè turpissimum. Oriuntur autem hæc vitia & incomm[illegible] ex se inuicem. Potatio enim & crapula generant ebrietatem, hæc [illegible]

[illegible] & somnolentiam, hæc otium & ignauiam, hæc inopiam & nudita-
[illegible], hæc tandem summum dedecus & infamiam; nihil enim turpius ho-
[illegible] nudo, robusto, & valido.

23. *Audi patrem tuum qui genuit te: & ne contemnas cum senuerit mater tua.*

Oli, fili, audire prauia & scelerata combibonum & helluonum con-
[illegible]lia: nam ne desit vnde diu comessari queant, solent se inuicem ad
[illegible], rapinas, cædes, aliaque id genus flagitia exhortari. Audi autem pa-
[illegible]tem, qui non modò te aluit & instituit, verum etiam genuit. Is
[illegible] nihil nisi sana & salutaria consilia & monita tibi suggeret; parentes
[illegible] si probi sunt, semper hortantur ad saniora & saluti viciniora, & à
[illegible]s & flagitiorum occasione absterrent. Neque solum patrem audias,
[illegible] honore habeas, verũ etiam matrem piè & religiosè obseruès; neque
[illegible]am, etsi per ætatem vel sexum aliquid risu dignum committat, illam
[illegible]mnas. Est enim graue peccatum parentum contemptus, in quod ta-
[illegible]ste incidunt filij immorigeri potationibusque & commessatio-
[illegible] dediti.

24. *Veritatem eme, & noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.*

Veritatem, sapientiam, doctrinam, & intelligentiam tibi compares
[illegible] nullis parcas sumtibus, nullis laboribus, nullis impensis: verum se-
[illegible] comparatam pretio noli vendere; sed gratis impertire, quibuscumq.
[illegible] illam impertiri visum fuerit, neque patiaris eam aliò abs te mi-
[illegible] quasi aliquid ea sit carius, aut præstantius, aut nobilius: excedit
[illegible]mnes thesauros pretiosos; neque quidquam cum ea comparari
[illegible]. Quod autem venditur id eo vilius habetur, quod pro eo exponitur
[illegible] nunquam venderetur. Noli ergo eam vendere, hoc est, num-
[illegible]ma ita desipias vt quidquam omnium ea pretiosius æstimes.

25. *Exultat gaudio pater iusti: qui sapientem genuit, lætabitur in eo.*

[illegible]ierem in modum exultat pater qui filium iustum genuit: sed &
[illegible]quoque, qui sapientem ex se genuit mirificè recreatur & se ob-
[illegible]. Nam & filiorum bonum suum reputant, & à maximis
[illegible] & miseriis liberantur, quas filij stulti & improbi parentibus pa-
[illegible] & magnam apud omnes laudem promerentur vt qui tam
[illegible]liberaliter liberos suos educauerint.

25. *Gaudeat*

25. *Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te.*

CVM itaque filii iusti, sapientes, & morigeri tantum gaudium, tantumq. lætitiam & oblectationem parentibus suis adferant, omnimodis da operam vt sis iustus, & sapiens, & obsequens, quo hac ratione parentes, qui tam multa, & tam grauia tui causa pertulerint, & tam multas curas & labores propter te exantlarint recreare, gaudioque afficere eóque modo & studio aliquod illis ἀντιδωρον præstare valeas.

26. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant.*

PRæbe, fili, mihi cor tuum, libentérque & ex animo audi legem & precepta mea, & oculi tui obseruent, non mulierem ad concupiscendam eam, neque aliàs sæculi vanitates, sed vias meas, hoc est, modos rationi secundum sapientiæ præcepta viuendi. Nam vt oculi corporis, nisi diligenter viam obseruent totum hominem lapsus & impactionis periculo exponunt; ita mentis quoque oculi, nisi vigiles sint, facile in errorem abducunt.

27. *Fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena.*

MOnui antè ne te luxui & crapulæ dederes, quod eæ res sapientiæ primum aduersentur, infirmioriqúe ætati admodum familiares sint. At non minus sapientiæ studioso cauendum est à libidine & impudicitia quam à crapula; siquidem mulier meretrix est instar profundæ foueæ, velut angustus puteus aliena vel adultera. Nam vt is qui in profundam foueam, aut angustũ puteum forte incidit, non facile indè incolumis emergit; ita qui meretricis vel adulteræ laqueis irretitus tenetur, haud facile inde se extricat.

28. *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiat.*

NEque sane facile est homini adolescenti eiusmodi laqueos inoffensus euadere; sed opus est magna cautione, custodia, & cura. Siquidem mulier meretrix quasi latro insidiatur in via, & quoscumque incautos inuenerit, eos non solũ animæ & corporis bonis exuit, sed omnino quoque interficit. Hoc solum autem à latronibus differt, quod hæc blandimentis verborumque lenocinijs efficit, quod latrones solent vi & armis. Habet aliud quoque cum latronibus commune: etenim vt latrones ita meretrix

tari consueuerunt, qui auro argentoque sunt onusti, quàm pauperi-
ta etiam meretrix præ ceteris acriùs illis insistit à Diabolo incitata,
maioribus virtutum ornamentis exultos nouit. Magnam cum me-
tibus affinitatem habet hæresis; nam & hæc quoque blanda, & pro-
ta est fouea, & simplicium animis miris modis insidiari est solita.

29. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui fouea? Cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum?*

30. *Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?*

Quo autem crapula & ebrietas non solum adducunt inopiam & nu-
tem, vt supra monuimus, verum quinque aut plura etiam alia in-
moda, eademque minimè vulgaria. Primo namque tam ipsi ebrioso
illius quoque parenti adducit væ, hoc est, animi corporisque dolo-
gemitum, suspiria, aliaq. eiusmodi, quæ ex morbis animiq. cruciatibus
gere solent, mox verò rixas, lites, atque discordias, & nonnumquam
cædes, vt experientia sæpe compertum est. Hinc prolapsiones in fo-
vel aquas; tum verò murmura & inanem garrulitatem. Quartò vul-
sa sine causa, hoc est, non pro salute patriæ, aut alia priuata vel publica
litate suscepta, sed temerè ex rixis orta. Quintò & postremò oculorum
fusionem, rubedinem, & lippitudinem. Solent enim ebriosorum ho-
um oculi crassis quibusdam caliginosisque humoribus perfundi, ma-
ne aperire: possunt hæc tamen, vt cetera etiam omnia, ad fletum &
tem alterius vitæ referri. Siquidem ebriosi non possidebunt regnum
Dei. Et quamuis, hæc mala ex aliis quoque peccatis nonnumquam
cipiant, præcipuè tamen ex crapula & ebrietate. Quare ad factam
prohibitionem, rectè subditur: Nonne apud eos, qui commorantur die
que versantur in vino? calicibusq. euacuandis ex professo dat operam?
Quamuis autem non omnibus potatoribus hæc omnia mala semper eue-
niant, plerumque tamen vnum aliquod, aut etiam plura ex iis euenium.

31. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius*

Ergo vini colorem curiosè obserues, quomodo videlicet in calice
vitro flauescat. Siquidem color flauus inuitat ad bibendum & de-
Quod si degustatum palato gratum fuerit, incontinens prouo-
dum. Potatio disponit ad ebrietatem, ebrietas autem inducit

ad mala, de quibus modò dicebatur. Quod autem de vini colore ha
tur, hoc de omni illo dictum accipiatur, quod alliciendi vim habet. C
etiam Christus Dominus mulieris aspectum prohibet, non quod
dum se malum sit mulierem intueri: sed quia periculum est ne eius
tus rapiat ad carnis concupiscentiam.

32. *Ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regu venena diffundet.*

VInum quod gratum est oculis, blandè ingreditur, viâque re
guttur dilabitur. Auidius enim hauritur, quod oculis gratum ap
adeóque gulam magis irritat. Verum ad finem mordet vt coluber,
star basilisci venenum suum diffundit, hoc est, præsentaneum vita
culum adfert. Vinum enim generosum crebrò & immoderatè sump
veluti lentum quoddam venenum totum corpus paulatim inficit
mortem disponit, rationem turbat, & ex homine belluam facit. Et qu
vini abusu hic traditur, hoc de omni alia illicita voluptate traditum
ligatur: habent enim fœdæ voluptates amarissimos exitus.

33. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.*

CEteris incommodis & malis, quæ ex temulentia oriuntur, hoc q
que accedit, quod non modò externi, sed interiores quoque sen
motus turbantur. Enimvero temulentorum oculis res non in propri
in extranea quadã specie obiiciuntur, idque non modò in somno, vb
bilia spectra phantasiæ se ingerunt, verum etiam in vigilia. Iudicant
nonnumquam duplum, quod est simplum & vice versâ. Quare ab
delusi in varios sæpe casus incidunt; cor itidem illorum multa vers
scena & absurda, cogitationésque à veritate & æquitate alienas pert
coniciunt quoque temulenti oculos in extraneas mulieres, cor
quomodo illis potiantur, volutant.

34. *Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernatore amisso*

VIno somnóque sopitus eris quasi nauis in medio mari. Hæc end
dis fluctibúsque agitata, hic illucque fertur, nescia quò tandem
let. Etenim vt illa magnis periculis est exposita, neque suum tamen
culum sentit; ita ebrius variis desideriis agitatur, multisque vitæ fam
periculis obiectatur, neque tamen incommodũ, in quo versatur, ac

Vt illi, qui in naui dormiunt, omnia moueri putant, se verò quiescere; ita delusi omnia agitari arbitrantur. Imo vero domum ipsam verò immotos consistere. Eris nihilominus vt gubernator, qui temulentiano amisso sopitus iacet, aut in mali summitate vel corbe somnit. Nam vt ille se ipsum & reliquos omnes vitæ periculo exponit; ita præ nimia ebrietate rationis vsu priuatus est, se omnesque vires suas discrimini obicit.

Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi. Quando euigilabo, & rursus vina reperiam?

Què cum multa mala miseros ebrios exerceant, tum illud minimè mirandum non est, quod sua ipsorum mala, quasi lethargo quodam non sentiant. Nam & deridentur, & contumelis appetuntur, & quam etiam vapulant: neque tamen vllo doloris sensu afficiuntur. Verberauerunt me, at non dolui nec ægrè tuli: traxerunt me, quid esset sensi; neque quis fecisset noui; neque me tam insum animaduerti. Quando tandem euigilabo, quo vina rursum compotoresque inueniam? hæc illi insanabiliter ægri atque ob ebrietatem infirmi.

AD PVT VIGESIMVM TERTIVM SCHOLIVM.

Pande federis, &c. Docetur hic filius, & quiuis alius priuatus, quomodo mensæ regiæ adhibitus, gerere se debeat. Monetur autem vt mensæ assidens accuratè perpendat, cuiusmodi sint apposita, hoc est, quæ in quæstionem vocata; ne quid stultè, aut temerè considerate, aut ad rem nihil faciens depromat; atque ita priorem gratiam amittat.

Pone cultrum, &c. Siquid salubre vel insalubre sit decernere non potes, appetitus ad hoc vel illud edulium te rapit, pone cultrum, hoc est, gulam potius coërceas, geniumque defraudes, ne morbi, aut absurditatis periculo te committas; vel alioquin te postea pœniteat.

3. *Ne desideres, &c.* Redditur causa, cur à regia mensa abstinen quia nimirum cibi regij sunt fallaces; quippe qui facile trahant ad lam, vel crapulam, vel mendacium. Nam metus, vel adulatio, vel al aliud eiusmodi sæpe in causa sunt, vt ea in Principum mensis depron quæ nulla veritate sunt nixa. Quod si regia mensa tantam exigit c nem, præparationem, & sobrietatem, quantam requiret mensa D vel Eucharistia? Cultrum gutturi admouere, vt quibusdam placet, nihil est, quam sibi vel alteri ex cibo vel potu mortis causam adferre

4. *Noli laborare vt diteris, &c.* Dehortatur hic ab immoderato di rum appetitu; idque cum ob alia tum ob id maximè, quòd studium e sapientiæ studio impedimentum adferat.

5. *Ne erigas, &c.* Videtur eos hic perstringere, qui cum nullam a tractent, nec vllum rursum laborem exerceant, opes tamen desideran affectant: idem ferè facientes, quod illi qui auium principem aquilam visu capere volunt. Siquidem vt aues non visu, aut desiderio capiu sed industria & arte; ita etiam opes. Quod autem ad cœlum quasi aues p natæ auolare dicantur, significat à Deo dari & auferri. Interim rarò d sine hominis industria, neque adimuntur absque aliqua illius culpa. dam ita exponunt: Numquid cum clauseris oculos tuos, hoc est, post tem inuenies illas? quasi dicat nequaquam.

6. *Ne comedas cum homine, &c.* Admonet apud hominem par & sordidum iucundum cibum non esse sumendum, etsi inuitet; qua vocet, inuitus tamen vocatum serio manducantem cernit, neque cibu salutem illi cedere optat, sed in fraudem & perniciem. Hebræi inu homines mali oculi appellant, quia oculus inuidorum proximi prosper te offenditur.

7. *Quia in similitudinem, &c.* Redditur ratio, sed satis obscura quare uidi missi sunt faciendi. Hebræi & LXX. Editiones aliter sonant, quàm stra vulgata. sensus autem loci huius in paraphrasi satis clarè exponitur.

8. *Cibos quos comederas, &c.* Aliam hic rationem exponit, cur ad inu rum malèque affectorum conuiuia accedere non expediat, quia nimi in nauseam & vomitum conuertuntur, vbi primum quo animo fre exhibita, quamque male in sermone opera fuerit collocata, refe fuerit.

9. *In auribus insipientum, &c.* Docet quibus auditoribus fidei do cœlestisque sapientiæ gaza committenda sit; non vtique porcis au ho

qui cõtemnunt, vel ruditate vel ingenij hebetudine non assequuntur intelligentibus fructúmque facturis.

Ne attingas parvulorum, &c. Admonet hic filium & reliquos omnes filios, ne quam vim, aut iniuriam orphanis aut pupillis, vel ipsorum inferant. Quandoquidem cum ipsi perinde ac viduæ & pauperes defendere sese non queant, peccati grauitas, quod contra illos committitur maior.

Propinquus enim eorum, &c. Per hæc redditur causa, cur orphani aut defendi non sint; simúlque illorum opinio refutatur, qui fallo sibi persuadent eiusmodi paruulos & imbecilles nullum patronum aut tutorem habere. Habent enim fortissimũ & potentissimum, nempe Deum ipsum, acerbè vindicabit iniuriam infantibus & pusillis illis illatam, & restituet in integrum.

Ingrediatur ad doctrinam, &c. Monet vt seriò & ex animo inquirat sapientiam & scientiam. Inculcat autem eadem crebro Sapiens, quia est illis cum iuuenibus & pueris, qui multis viis & rationibus à sapientia impediuntur; & ad disciplinam capessendam tardi & sæpe stant.

Noli subtrahere, &c. Quandoquidem pueri & iuuenes verbis ad officium adigi sæpe non possunt; hortatur hic parentes & præceptores vt virgam, & verbera, cum id opus videbitur, addant: moderatè tamen plus forsan obsunt quàm prosunt.

Tu virga percuties, &c. Exponit moderatæ castigationis fructum, id est liberatio à morte & inferno. Tu, inquit, liberabis animam eius ab inferno.

Fili, mi, si sapiens, &c. Ostendit per hæc castigationis legem, quam parentes præstant, & ipsi quoque si boni sunt, sequi solent, non prouocando, sed ex vero amore: quippe qui aliud nihil voluerit, quam (id est, hoc est, à stultitia ad sapientiam; à morte, ad vitam adducere. Quemadmodum de malo ad bonum translatione, magnũ gaudium nascitur, tum in eo, qui feliciter traductus & mutatus est; tùm in eo etiam, qui translationis extitit. Attingit autem triplicem gaudij sedem, nimirum animum, vel mentem, & renes. Per Cor, vt quibusdam placet, intelligitur vulgare gaudium; per Mentem vel Animum sincerum & candidum; per Renes eximium planéque incensum. Exigit autem Sapiens cor sapiens, & os eloquens, hæc duo namque idoneum

faciunt sapientem non modo ad dicendum, verum etiam ad docendu-
17. *Non æmuletur, &c.* Hortatur ne peccatorum studia sectetur
que illorum prosperitati inuideat: verum Deum totâ die præ oculis
beat, eumdemque reuerenter timeat, seruidéque amet.
18. *Quia habebis spem, &c.* Exponit causam cur Deum timere &
debeat; quia vtrumque timor nimirum & amor magna tandem mer
compensatur. Vocatur autem merces operis nouissimum, quia posse
absolutum dependi solet.
19. *Audi fili, &c.* Hortatur denuo filium vt attentè eos audiat
salutaria sapientiæ præcepta tradunt; tum vt eiusmodi præcepta sectet
seruet, moribusque exprimat.
20. *Noli esse in conuiuiis, &c.* Quandoquidem nihil æquè obstat ad
parandam sapientiam, atque luxus, gula, & temulentia; ad quæ omni
uenes proni feruntur. admonet hoc loco filium, ne sit locus illorum
genio de industria indulgent
21. *Quia vacantes, &c.* Redditur hic causa cur ab epulis & symp
abstinere debeat iuuenis, quia nimirum res hæc mentem homini ad
riam & inopiam tandem redigit.
22. *Audi patrem, &c.* Quia vero potatores praua consilia sibi mu
suggerere, parentumque monita parui facere solent, imo vero ap
contemnere, admonet hic filium vt parentes potius audiat & hono
quàm suos combibones. Audi, inquit, patrem, qui te aluit, & instru
genuit; neque senem contemnas matrem, id quod compotationibus
ditis est admodum familiare.
23. *Veritatem em, &c.* Hortatur vt veritatem, sapientiam, doctrin
& intelligentiam emat, hoc est, nullos sumptus, nullos labores aut vig
illius rei gratiâ detrectet, verum ne comparatam pretio vendat cum
lum exstet pretium, quod cum ea comparari possit.
24. *Exultat gaudio, &c.* Docet incredibile gaudium parentibus
accedere, quod filium iustum & sapientem se genuisse intelligant
mirum sane id est, cum ex tam multis natis tam pauci euadant, iusti
pientes; tam multi contra stulti & improbi.
25. *Gaudeat pater tuus, &c.* Cohærent hæc cum versu præcedente
enim sensus: Cum sapientia & iustitia aliisque virtutibus ornata fi
rum vita, tantam lætitiam adferat parentibus, modis omnibus da

consequaris, eáque ratione parentes, qui tantum laborem pro te ferunt, recrees gaudióque perfundas. Coniungit autem vtrumque parentem, quia alij magis afficiuntur erga patrem, alij erga matrem. Ponit autem matrem & genetricem emphaseos causa pro vna re: quidam tamen nomen ad nutricem transferunt, verum rectius ad eandem perdoceatur.

Præbe fili, &c. Disseruit ante contra crapulam & ebrietatem, hinc digreditur contra libidinem & impudicitiam, quæ Bacchus & Venus ægrè à se inuicem seiunguntur; nec minus periculum imminet ab luxuria, quàm à crapula. Petit autem sapientia vt sibi cor & oculi præbeantur, quia per oculos venenum influit in cor; per cor autem illum. Dare autem cor alicui aliud nihil est, quàm velle illum libenter eiusdemque præcepta cognoscere & facere; oculi autem præbendi sapientiæ, quando se auertunt à muliere compta, & sapientiæ vias ingrediuntur, dumque obseruant legem, quam illa præfinit.

Fouea enim profunda, &c. Subdit hic causam, quare toto corde totoque animo debeat esse attentus & intentus, ne in meretricis cassés incidat: nimirum mulier meretrix & adultera est instar profundæ foueæ, quæ vt antè dictum est, difficulter emergit, qui semel in eam prolapsus est, ex arcto quoque & profundo puteo. Atque hoc confirmant quotidianæ experimenta.

Insidiatur in via, &c. Hæc alia est ratio quare ab adulterarum & meretricum consortio & familiaritate, & ab omni cuiuscumque familiaritatis occasione abstinendũ sit; quia nimirum nusquã non more latronum omnibusque bonis insidias struit, laqueósque intentat vt incautos

Cui væ, &c. Enumerat plura hic incommoda, quæ ex vino & ebrietate oriri solent hominibus temulentiæ deditis.

Ne inuitaris vinum, &c. Cauendum hic monet ab obseruatione coloris, & odoris vini; quia hæ res multos adducunt ad largiorem vini potationem, atque ita tandem ad ebrietatem.

Non mordebit, &c. Admonet ne quis vini colore aut sapore illecebrosiore excedat, adeóque in graue aliquod incommodum incidat; quanto gratum palato existat, attamen citra modum sumptum vt colubet, neque secus animum & corpus inficit atque

33. *Oculi tui videant, &c.* Exponit hic quædam incommoda, quæ temulentia adferre solet. Turbat hæc namque totum hominem, impedit non modò sensum, sed legitimum quoque rationis vsum. Siquidem varia mira obiicit spectra, miras imagines & phantasias, quin in cor quoque multa obscena & peruersa phantasmata immittit, imò in quodvis tum nonnunquam illud impellit.

34. *Et eris sicut dormiens, &c.* Pergit temulentiæ mala describere: quæ hoc vnum etiam est, quod generet turbatum & inquietum hominem. Ebrius namque in lecto stertens in medius maris fluctibus se iactari circumagi sæpe credit.

35. *Et dices, Verberauerunt, &c.* Hæc non de quavis, sed de summa ebrietate agunt: summè enim temulentus existat oportet, qui verbera sentit.

PARAPHRASTICA CAPITIS VIGESIMI QVARTI EXPLANATIO.

1. *Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis.*

VIROS improbos & sceleratos neque imiteris, neque temporum illorum felicitati inuideas; neque in illorum familiaritatem insinuare studeas. Siquidem omnis omnino familiaritas malos inficit. Notum est enim protritum illud vulgi dictum: *Si cum claudo habitaueris, claudicare disces.*

2. *Quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.*

ACcedit quoque quod istiusmodi homines nihil boni meditentur, aliquid quandoque boni loquantur. Etenim cor eorum meditatur rapinas, aliáque quæ cum rapinis sunt coniuncta, vt sunt cædes, pauperum oppressiones, vis, vastitas, desolatio, & id genus alia. Et lingua illorum loquitur fraudes & imposturas, quibus proximum contra legem Dei circumueniunt. Et quia felicitas, qua videntur florere, per malas artes parata est, non erit stabilis, neque diuturna; sed cito euanescet. Qui in hac vita perseuerauerit, postea tamen vertetur in summam infelicitatem. Quare nulla est causa cur quis illis inuideat, aut æmulari eos studeat.

3.

3. *Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur.*

PER sapientiam ædificatur domus, non per rapinam, vel fraudem, vel imposturam; per prudentiam autem firmatur & præparatur; per scientiam tandem & fortitudinem bonis omnibus repletur. Est autem hic sermo non tam de domus structura vel fabrica, quàm de familia eiusdémque cura & administratione. Sed & eadé quoque sapientia in spiritalis domus, nempe animæ ædificatione & gubernatione est perquam necessaria.

4. *In doctrina replebuntur cellaria, vniuersa substantia pretiosa & pulcerrima.*

PER doctrinam porrò & scientiam interiora domus omni genere opum rerumque pretiosarum replentur. Nam citra scientiam sollertemque circa particularia intelligentiam, domui, & familiæ de rebus ad victum vel statum necessariis commodè prospici non potest, Interim sapientia & prudentia hinc non excluduntur, sic vt nec labor quoque & industria, & id genus alia.

5. *Vir sapiens, fortis est: & vir doctus, robustus & validus.*

VIR sapiens pollet viribus & robore, multúmque valet apud omnes potestate & auctoritate, vir itidem peritus & doctus robustus & validus habetur: nam etsi eiusmodi imbecillo forsan sit corpore, tamen quia iudicio & rerum vsu valet, non solum domi vel in repub. administranda multum potest; verum etiam foris & in bello. Nam res bellicæ multo felicius administrantur consilio & iudicio, quàm robore. Fortis ob id quoque non iniuriâ dicitur sapiens, quia in rebus aduersis non facile frangitur; neque tentationibus, aut animi perturbationibus tametsi magnis facile cedit.

6. *Quia cum dispositione initur bellum: & erit salus vbi multa consilia sunt.*

QVod autem viro sapienti rectè tribuatur bellica fortitudo, hoc indè quoque patet, quia communi peritorum iudicio (quod experientia confirmat) salus belligerantium ex multitudine consiliariorum, hoc est, ex sagaci prudentiqúe ducum consilio multo magis dependet, quam ex militum turba; maxime sine iudicio & ordine confligentium: opus est enim ea in re consilio & industria, etsi robur abesse non debeat. Vtrumq.

enim alterius ope nititur: interim consilium & iudicium primas hic tenent; neque hic tantum, sed in spiritali quoque bello; imò etiam in controuersiis & litibus, quæ in republica sæpe oboriuntur.

7. *Excelsa stulto sapientia, in porta non aperiet os suum.*

ET si verò sapientia verè sit excelsa: vtpotè è cœlo à Patre luminum descendens; attamen homini stulto & impio, qui rebus terrenis & caducis totus immersus est, videtur prorsus inaccessa: atque ita in suis illis voluptatibus & stultitiis persistens, non cõtendit vt illam aliquando assequatur. Quò etiam fit vt in porta, hoc est, in locis publicis, vbi ius olim dicebatur, os suum aperire non audeat; sed turpiter coram omnibus obmutescat, suámque infantiam & stultitiam palam prodat.

8. *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.*

CEterum non illi tantum inter stultos censendi sunt, qui mente capti, aut iudicio destituti sunt; sed illi quoque qui diuersas malefaciendi vias & artes excogitant, quiq. nouas subinde improbitatis rationes comminiscuntur. Sunt enim eiusmodi malarum & sceleratarum cogitationum magistri verè stulti: vtpotè à Deo, & salutis via, & rationis luce prorsus alieni. Sanè qui ex inscitia & infirmitate peccat, venia dignus videtur, qui autem ex malitia datâue operâ, omnem confusionẽ, pœnam & ignominiam promeretur.

9. *Cogitatio stulti peccatum est: & abominatio hominum detractor.*

NEque vero putandum est cogitationem stulti, quia stulti est, peccatum non esse. Est enim omnis omnino stulti stultitiæque cogitatio peccato obnoxia; vel quia stulta & secundum se insana est, vel ob id certè quia ad peccatum tendit. Nam si ad bonum honestum tenderet, neque stulta esset, neque peccatum esset, sed vel virtus vel virtutis alicuius actus. Vt autem stultus omnis eiusmodi sapientibus exosus est, quia inter tenebras & lucem nulla solet esse communicatio, nulla certa amicitia, vel animi coniunctio; ita omnis quoq. derisor atque detractor apud mortales omnes execrabilis est: nec mirum sanè, quo enim modo posset quispiam benè de eo loqui aut sentire, qui de omnibus loquitur malè? Imò verò quis talem tanquam fœdam apertamque pestem non execretur? Peccat stultorum cogitatio quoque, quia sæpe à scopo aberrat, suóque fine frustra,

ne frustratur, & apud Deum tandem non tantum malefacta peccato sunt obnoxia, sed mala quoque & improba cogitata.

10. *Si desperaueris lapsus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua.*

SI quam cladem passus remisso angustóque animo fueris, angusta diminutáque erit fortitudo tua; hoc est, si in rebus aduersis per impatientiam nimiámue animi consternationem concideris, animumque statim desponderis, planum mox facies exigua fortitudine te præditum esse. Siquidem deiectio illa ex animi vitio prouenit verius, quàm ex rei natura & difficultate; efficiésque eâ fugâ vt fortitudo, quam fortè habebas, magis magisque labefiat. Siquidem non fugiendo aut cedendo fortes simus, sed pugnando & resistendo. Adde quod non modò in propriis malis quadam animi magnitudine opus sit, verum etiam in profligandis vel mitigandis aliorum incommodis. Qui enim in iuuandis aliis tempore angustiæ & calamitatis remissus fuerit, fortitudinis, quàm Deus illi impertitus fuerat, iacturam faciet, aut aliquam certam diminutionem patietur, quia non rectè ea vsus fuerat.

11. *Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.*

ERipe eos, qui iniustè, vtpotè mortem non promeriti, abducuntur ad mortis supplicium. Nam etsi iudicum sit impedire, nequid eiusmodi contingat: attamen ad quosvis, qui opem ferre possunt, præceptum hoc spectat: *Deus enim mandauit vnicuique de proximo suo*; erue proindè quantum in te situm est, illos, qui rapiuntur ad iniustam necem, neque cesses eos liberare, qui iam ad mortem inclinant; hoc est, in eo statu versantur, vt, nisi opem tuleris, omnino morituri videantur. Quin illos quoque qui tendunt ad iniustam aliorum cædem pro viribus contineas atque impedias, quod si non feceris, mors tibi imputabitur.

12. *Si dixeris, Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua*

NEque est vt aliquis, à sancto illo & necessario caritatis officio per impotentiam aut ignorantiam se excusset; aut vires, quibus hunc vel illum à morte liberaret, sibi defuisse alleget. Nam licet hæc aliáque similia apud hominem locum habere queant, apud Deum tamen, qui intima cor-

dis penetrat, nihilque ignorat (vt qui omnium sit conditor & seruator, redditque vnicuique iuxta opera sua, & non secundum hominum æstimationē) longè aliud iudicabitur. Væ ergo illi, qui potest & non adiuuat, saltem eo modo, quo potest, & quantum potest. Quod si in corporeæ vitæ periculo ea diligentia adhibenda est, quantum in spiritalis vitæ discrimine adhibere conueniet?

13. *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo.*
14. *Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ: quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tua non peribit.*

SI ob id mel comedis, fili mi, quia bonum & salutare est corpori, & fauum mellis, quia suauis gratúsque est, gutturi, multo magis anhelare debes ad scientiæ & sapientiæ doctrinam: hæc enim vbi semel percepta fuerint, multo dulciora & suauiora sunt animæ, quàm mel aut fauus mellis ori. Nam etsi dum primo degustantur videantur amara & aspera, semel tamen probè hausta, amœnissimos suauissimosque de se fructus fundunt. Attamen prima illa acerbitas in causa est, vt pauci eam doctrinam inueniant; multo verò pauciores, qui perfectè percipiant; imò numquam perfectè hic percipitur. Quare numquam quoque perfectam oblectationem hic parit. Eapropter rectè quoque hoc loco subiungitur: *Quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tua non peribit.*

15. *Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.*
16. *Septies enim cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in malum.*

NE insidieris habitaculo iusti ô impie, neque curiosè in eius vitam vel actiones inquiras, neque quietem illius turbes, aut cubile, in quo quietem capere solet, diripias aut infestes. Nam etsi vt homo nonnumquam labatur & cespitet, in illius tamen domo, hoc est, pectore nulla inuenitur impietas, nullum mortiferum peccatum: sed quidam tantum leues lapsus, & næui potius, quàm maculæ aut tenebræ; ex quibus proindè Dei gratia, qua fortiter munitur, & ab omnibus grauioribus insidiis & tentationibus liberatur & præseruatur, familiariter adiutus, facili negotio exsurget, & id quidē cum lucro. Nam & cautior & humilior post eiusmodi lapsus euadet. At verò impij toti simul corruunt in malum, vnde vel num-

quam

quam exsurgunt, vel difficulter exsurgunt. Siquidem illorum lapsus est letalis, & propter animi obscurationem plerumque insanabilis.

17. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum.*
18. *Ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.*

VErumenimuerò licet impij tabernaculo tuo insidientur, & quietem tuam turbent, & in omnibus hostilem animum aduersum te ostendant & ob id Deo vindice in grauem aliquam calamitatem tandem incidant, caue tamen de illorum lapsu gaudeas, aut de illorum ruina cor tuum exultet. Quin potius quod ad eum statum deuenerint doleas; ne fortè videat Dominus & displiceat illi, adeóque iram suam ab illo auertat, & in te conuertat. Nam gaudere de alterius lapsu, in peccatum præsertim, graue est crimen; quippe cum omne peccatum sit contra Deum, grauissiméque eidem displiceat. Porro autem gaudere de inimici lapsu in pœnam, cladem vel miseriam, id pertinet ad inuidiam, sicut etiam dolere de illius felicitate; si tamen eiusmodi dolor vel gaudium referretur ad publicum bonum, aut Dei gloriam, aut iustitiæ amorem, & non ad priuatam iniuriam, non esset illicitum.

19. *Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios.*
20. *Quoniam non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum exstinguetur.*

NE contendas cùm improbis, sceleratisq. hominibus, quasi illos æquare vel superare velis: neque vllum cum iis commercium habeas, nec amicitiam vllam cum iis ineas, neque illorum prosperitati inuideas; quia felicitas illa non erit diuturna, nedum perpetua. Quandoquidem homines improbi nullam certam futurorum bonorum spem, neque vllam omnino mercedem in posterum repositam habent. Quinimo impiorum lucerna, hoc est, pompa, gloria, pignora, diuitiæ, adeóque vita ipsa exstinguetur, & in nihilum redigetur. Manent sanè impij post hanc quoque vitam; verum non in splendore, aut gloria, aut æstimatione; sed in pœna, tenebris, & ignominia.

21. *Time Dominum, fili mi, & Regem: & cum detractoribus non commiscearis.*
22. *Quoniam repente consurget perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit?*

TInie, fili mi, Dominum & Regem, qui vtriusque potentia est magna & sacrosancta. Dominus enim potestatem habet corporis & animæ, Rex autem mortis & vitæ. Quin ipse Rex quoque, sicut reliqui omnes legitimi Magistratus, Dei personam & locum sustinet; hic autem timor præcipué spectatur ex fida legum, preceptorum, & statutorum, quæ proponunt obseruatione. Ceterũ cum iis qui diuersum sectantur, aut Regis mandatis detrahunt, maléue de illis sentiunt, aut loquuntur, & alios præterea in illorum contemptum inducere contendunt, nullum omnino commercium aut consortium habeas; ne perditioni & contritioni, quæ repentè illos opprimet, fortè inuoluaris. Quis enim nouit quam cladem, pœnam, vel ruinam Deus vel Rex illis irrogare decreuerit?

23. *Hæc quoque sapientibus. Cognoscere personam in iudicio, non est bonum.*

QVin hæc ipsa quoque, quæ hinc consequuntur ad sapientiam pertinent, & à sapientibus profecta sunt. Et quamvis fortè à Salomone orta non sint, eodem tamen loco eodémque pretio habenda sunt, quo cetera quæ ab illo nata esse non dubitantur.

In legitimo iudicio faciem agnoscere, sententiámque non ex causæ æquitate, sed ex personæ qualitate ferre non est bonum, imò est apertè malum & iniquum; quin ab omni iustitia & æquitate prorsus alienum. Nam in dirimendis controuersiis non sunt spectanda merita personæ, sed causæ.

24. *Qui dicunt impio, iustus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.*
25. *Qui arguunt eum laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio.*

ILli porro Iudices προσωποληψίαν, personarúmque acceptionem manifestè admittunt, qui hominem impium & iniquum dicto vel facto, vel quovis alio modo iustum pronunciant; adeóque tales non diuinam tantum maledictionem sibi adsciscunt, verum communem quoq. mortalium omnium execrationem incurrunt. Sunt enim eiusmodi præ ceteris reipubl. perniciosissimi. Nam si illi qui iustitiam ex officio tueri, & administrare debent, iustitiam datâ operâ in personarum quarumdam fauorem &

gratiam

gratiam euertunt, nulla superest via, quâ iustitia suam stationem obtinere possit. Impingunt hic quoque non parum virorũ principum adulatores, solent hi enim calculo suo approbare & laudare quidquid illi dicunt, vel faciunt, etsi secundum se sit iniquissimum: verum non tantum nocent hi, quantum publicæ iustitiæ administri. Contra verò qui Deum & Regem veriti pro officij ratione improbos arguunt, iustámq. pœnam in illos decernunt, apud omnes laudantur & commendantur, & quod maius est, larga Dei benedictione cumulantur; vt qui tales præ aliis caros acceptosque habere soleat.

26. *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.*

QVI nullius personam suscipit, neque ad huius vel illius gratiam sententiam promit; sed recta iuriqúe & æquitati consentanea respondet (qualis est qui impium redarguit & condemnat, iustum autem iustificat atque absoluit) is omnibus, maximè verò viris principibus vsque adeò gratus acceptusque erit, vt non solum ad manus osculum admittatur, quod commune vulgoque receptum est; verum etiam ad oris suauium, quod summæ beneuolentiæ & amicitiæ est argumentum. Loci huius scopus est eiusmodi: Ille summopere ab omnibus coletur syncereque amabitur, quicumque inter iudicandum iustitiæ & æquitatis rationes studiosè obseruauerit.

27. *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domum tuam.*

AD œconomiæ verò rationem quod attinet, primò omnium ea ritè disponas & ordines, quæ foris in agro exercendo occurrunt; hæc enim eiusmodi sunt vt non quouis tempore fieri queant, sed certa tempora sibi deposcant. Siquidem aliud serendi, aliud metendi tempus est. Idem statuatur de reliquis. Postea vero da operam vt domum ædifices, familiámque instruas; hæc enim quovis tempore præstari possunt. Prius enim cogitandum est tibi de victu, aliisque ad vitæ vsum & sustentationem necessariis; quæ colliguntur ex agris, aliisque honestis artibus, quam de ducenda vxore, vel de ædificanda ampla domo, vel de instituenda familia. Quia hæc omnia exigunt sumptus iam paratos non parandos, etiamsi contra sæpe contingat.

28. *Ne sis*

28. *Ne sis testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis.*
29. *Ne dicas, Quomodo fecit mihi, sic faciam ei: reddam vnicuique secundum opus suum.*

ATribus linguæ vitiis, iisque minimè leuibus abstine, fili: primo caue, ne falsum testimonium contra proximum proferas; mox verò ne labiis tuis imposturam illi facies, promittendo nimirũ ore amicitiam, quam in pectore non tenes; vel illud pollicendo, quod præstare vel non potes, vel non lubet; postremò autem ne alterius malitiam vel improbitatem te imitaturum temerè iactes, comminando hæc scilicet vel alia similia: Vt fecit mihi, ego vicissim faciam illi; reddam illi iuxta opus suum. Oportet enim spectare non quid alius promeretur, sed quid lex permittat, aut publicæ vtilitati expediat. Si enim vnicuique priuatam iniuriam vlcisci liceret, omnia plena essent turbis & seditionibus. Hebræa ad hunc modum exponi possunt. Ne vmquã sis mendax testis, ne in amici quidem gratiam. Numquid adeo insanies vt labiis tuis quemquam allicias, vt falsum testimonium tui causa dicat? Quoque facilius id obtineas vicariam operam ei spondere audeas? oratione hac aut alia simili vsus; vt mihi seruiuit, ita vicissim illi seruiam; secundum opus suum reddam illi, referam par pari. Eiusmodi enim dicta & in bonis & malis locum habere solent.

30. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti.*
31. *Et ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.*

MAgnorum in omni re incommodorum causa est otium & desidia, maximè verò in re rustica. Siquidem agricultura præceteris studium & diligentiam, & assiduitatem exigit; atque hoc certa experientia compertum. Etenim non ita pridem antè, ait Sapiens, transiui per agrum pigri hominis; & vrticæ totum repleuerant; vel quia ignauus colonus deseruerat omnino incultum; vel quia nullum semen ei commiserat, vel quia à zizania non repurgauerat. Pari modo transiui iuxta vineam hominis stulti cordéque carentis, & ecce totam illius superficiem vrticæ & spinæ operuerant, & maceria illius, hoc est, seps ex lapidibus congesta diruta iacebat, ita vt omnibus feris pateret, nullósque propemodum fructus redderet.

32. *Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.*
33. *Vsque quo piger dormies? vsquequo de somno consurges? Parum, inquam dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conferes vt quiescas.*

HOC autem cum vidissem, rémque mecum accuratè expendissem, ex aliena stultitia didici sapientiam salutarémque disciplinam, & inter cetera quidem ignauiam extremæ inopiæ, multarúmque miseriarum causam esse. Quare intra me aiebam, vsque quo ignaue dormis? quando tandem aliquando è somno euigilabis?

34. *Et veniet tibi, quasi cursor, egestas tua, & mendicitas quasi vir armatus.*

ENimvero dum tutè dormitas, oculisque somnolentis nutas, dumque manus otiosus conferis, & te ipsum ad somnum componis, en egestas veluti cursor repente te inuadit, & validè tanquam vir armatus te opprimit, ita vt illi resistere nequaquam valeas. Neque enim aliud quàm extrema inopia ex otio & somnolentia sequi solet, idque non modò in rebus externis & temporaris, verum etiam in spiritalibus; imo vero ignauia in spiritalibus est maxime periculosa. Eiusmodi itaque exititit doctrina & sapientia, quam sapiens ex neglecto incultoque pigri hominis agro hausit.

AD CAPVT VIGESIMVM QVARTVM SCHOLIVM.

1. *NE æmuleris, &c.* Idem iam antè quoque admonuerat, & consultò: nam omnis cum improbis familiaritas ad malum trahit, & inficit.

2. *Quia rapinas, &c.* Reddit rationem cur illorum consortium sit vitandum; quia nimirum toti feruntur ad furta, rapinas, fraudes, impostures, aliáque eiusmodi.

3. *Sapientia ædificatur domus, &c* Pertinent hæc ad præcedentia. Significatur hic namque domum non firmari per furta vel fraudes; sed per sapientiam, & iustitiam, per prudentiam rursum & fortitudinem.

4. *In doctrina, &c.* Et hæc quoque cum præcedentibus sunt connexa.

Indicatur namque scientiam & iudustriam domus penetralia rerum omnium ad vitæ cultum necessariarum copia cumulatè replere.

5. *Vir sapiens fortis, &c.* Docetur hic prudentiam non solum vsu habere in re domestica cõstituenda, aut in republica administranda, verum etiam foris & in bello.

6. *Quia cum dispositione, &c.* Exponitur hic causa cur sapiens plus præstare possit in bello, quàm fortis corpore; quia videlicet belli successus magis pendet ex prudenti ordinatione, sagaciq. consilio & iudicio, quàm ex vi, aut corporis robore.

7. *Excelsa stulto, &c* Stultus iudicat sapientiam inaccessam, quia ipse est terræ, rebusque terrenis penitus addictus, & à cælesti sapientia prorsus alienus. Et quia se omni diuinæ humanæque sapientiæ expertem nouit, in portis, vbi olim ius dicebatur, os suum aperire non audet. Hebræa sonant: Excelsæ stulto sapientiæ, quia licet vna sit sapientia, sunt tamen multa illius munia, multæ partes, multa officia.

8. *Qui cogitat mala, &c.* Docetur hic virum malis artibus instructum, stultum malarúmve cogitationum magistrum rectè appellari: quia secundum Deum nihil sanum sapit.

9. *Cogitatio stulti, &c.* Iam antè multa dixerat in laudem sapientis & sapientiæ; hoc & duobus præcedentibus versiculis perstringit stultos & stultitiam. Docuit enim os inter sapientes aperire non audere, sapientiam inaccessam iudicare, malarum cogitationum magistros esse. Hic autem admonet omnem stultorum cogitationem peccato affinem esse, quia nimirum omnis talis ad peccatum inuitat, & inclinat. Addit porro hominem deriforem & obtrectatorem apud omnes execrabilem esse; vt qui de omnibus malè loquatur, omnesque præ se contemnat, atque derideat.

10. *Si desperaueris, &c.* Docet qui in rebus aduersis animo concidunt, re ipsa ostendere parui se roboris esse; id quod apertè cum vitio coniunctum est. Sunt autem qui locum hunc ad opera misericordiæ referant, vt sit sensus: si necessitatis tempore in iuuando proximo remissus fueris, in pœnam peccati fortitudo tua interibit.

11. *Erue eos, &c.* Hortatur vt opem iis ferat, qui versantur in mortis periculo; posterius membrum secundum Contextum Hebræum ad eos referri potest, qui ad cædem patrandam festinant, vt sit sensus: Cessabísne eos impedire, qui ad insontem perimendum festinant?

12. *Si dixeris, &c.* Occurrit friuolæ quorumdam excusationi. Nam qui

licet eo dignus esses, attamen quia vltro te non vocatus ingeris indignum te reddis, verum exspecta, dum tibi dicatur, Amice ascende huc: satius est namque ex humili ad sublimem locum vocari & inuitari, quàm de sublimi ad humilem deiici. Quod si apud Regem terrenũ ea opus est modestia & humilitate, quantò magis apud Regem cælestem. Insigniter contra hoc documentum committunt, qui sublimem locum in Ecclesia ambiunt, non solum propter periculum ambitionis, verum etiam quia pro aliorum salute animam suam obstringunt.

8. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito: ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum.*

NON de auditis, sed de iis quæ oculi tui viderunt, testimonium perhibe. Siquidem quæ ex aliorum relatione discuntur, plerumque sunt incerta, quę autem coram cernuntur, haud facile fallunt: atque huc tendunt, quæ apud Lxx. leguntur. Ceterum Contextus Hebræus hæc cum præcedenti versiculo connectit, ad hunc modum: *Melius est vt tibi dicatur ascende huc, quàm vt humilieris coram principe, quem viderunt oculi tui.*

Ne temerè, aut indeliberatè litem cum quopiam suscipias, aut contentionem ingrediaris, ne fortè per iram vel indignationem aliquid dicas aut facias, propter quod aduersarius, cum quo litigas, pudore te afficiat, ignominiosumque reddat, adeóque facti tui serò te pœniteat. Ira namque, nil moderatum aut maturum suadet. Hæc verius secundum Contextum Hebræum, quàm secundum vulgatam nostram Editionem. Nam cum hæc clausulam illam, *Quæ viderunt oculi tui*, versiculi huius caput constituat, hunc fermè sensum exigit.

Occultum proximi flagitium ira percitus in publicum temerè ne proferas, etiamsi oculi tui illud viderint, ne forsan talem illi notam adspergas, quàm postea nulla arte eluere queas, atque ita graui apud Deum noxæ te obstringas, & apud eum, quem iniquè infamasti, vitæ periculo te exponas. At multo verò minus per iram illud crimen aduersario obiicere debes, quod vano tantum rumore accepisti, quia multo maius periculum est auditum flagitium alicui per probrum obiectare, quàm visum certóque compertum.

9. *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reuelas.*
10. *Ne fortè insultet tibi cum audierit, & exprobrare non cesset.*

SI quam grauem causam habes, illam pertracta cum amico tuo, túmque rei statum illi aperias. Interim ne cuilibet fidas, aut secre consilium tuum patefacias, sed fido & arcani tenaci; ignotò autem de fide suspecto, quod tacitum vis, ne pandas, ne forte quod secreto commiseras, postea non citra probrum in faciem tibi obiiciat, adeóque delebilem notam aliquam incurras. Vel, & fortè rectius, si in controuersiam aliquam cum amico incidisti, illam si fieri potest, priuatim cum illo transigas, neque ad publicum tribunal venire sinas, quo hac ratione secretum amici delictum tegatur, tectúmque silentio inuoluatur. Difficile namque publicè litigare, neque famam tamen proximi lædere: si secus feceris, male apud conscios audies, vt qui neque tuæ, neque proximi quoque famæ rationem habueris.

Gratia & amicitia liberant, quas tibi serua, ne exprobrabilis fias.

FAuor & amicitia, maximè verò diuina, hominem à seruili timore & peccati seruitute, & aliis præterea multis malis atque miseriis liberum reddunt; adeóque studiosè curare debes ne per inscitiam aut ignauiam hæc amittas, iustámque propter iacturam ignominiæ notam incurras.

11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.*

QVod sunt mala aurea in lecticis affabrè incisa, hoc est verbũ opportuno tempore depromptum. Nam vt rerum venustè celatarum, auróque & argento & pretiosis vnionibus expolitarum conspectus est perjucundus, oculisque pergratus; ita verbum eo loco, tempore, & modo quibus oportet in medium prolatum, & ipsum dicentem commendat, & audientes quoque maiorem in modum recreat & oblectat.

12. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem.*

SApiens qui opportunè admonet & corrigit aurem obsequentem, hoc est, virum humilitate & obedientia ornatum, est veluti inauris aurea vel monile fulgentibus gemmis & margaritis expolitum, vtpote quod pretio dignus. Quin ille quoque qui bene monenti modestè obsequitur,

insontium salutem propugnare negligunt, se non posse, aut non audere, aut aliquid aliud eiusmodi dicere solent; quos Deus, qui cordium cognitor & animarum scrutator est, in suo foro nullo modo excusatos habebit.

13. *Comede, fili, mel, &c.* Apta similitudine inuitat ad sapientiæ studium; nam quod gutturi est mel, hoc sapientia actu iam percepta est animæ, siquidem primo incipientibus apparet dura & aspera. Sensus autem loci huius est: Si ob id comedis mel, quia suaue, quanto magis discere & comparare debes sapientiam, quæ multis partibus suauior & diuturnior est, durat hæc namque in vtraque vita.

14. *Quam cum inueneris, &c.* Per hæc indicat sapientiam difficulter reperiri, verumtamen semel inuentam multos mirificos fructus fundere, spémque de se conceptam numquam fallere. Nomine autem sapientiæ complectitur hic omnem virtutem homini ad salutem necessariam.

15. *Ne insidieris, &c.* Hortatur impios, ne iustos infestent aut bona illorum diripiant, aut quietem eorumdem perturbent, aut in vitam illorum inquirant; nam cum Deo sint curæ, ab omnibus periculis & infestationibus immunes tandem euadunt.

16. *Septies cadit iustus, &c.* Per hæc redditur ratio cur in viri iusti vitam, mores, & actiones curiosius inquirendum non sit. Quia licet vt homo nonnumquam prolabatur, aut aliqua aduersitate prematur, haud multum tamen in sordibus illis iacet, verum per diuinam gratiam excitatus tempestiuè resurgit. Impij autem in malum culpæ & pœnæ ita ruunt, vt vix vnquam inde postea resurgant.

17. *Cum ceciderit, &c.* Docet non gaudendum de casu vel infortunio inimici. Nam cum sub Domini potestate sit; Domini iudicio & vindictæ est relinquendus, magisque dolendum de illius peccato, quàm de nostro incommodo. Leguntur sanè quidam de hostium interitu lætati, verùm hoc non ob priuatam iniuriam, sed propter Dei gloriam, iustitiæ amorem, piorum liberationem, aliáque eiusmodi.

19. *Ne contendas, &c.* Inhibetur hic ne quis cum malignis & sceleratis hominibus contendat, aut societatem cum illis ineat, aut illorum studia sectetur, quia tota illorum felicitas est momentanea, & cum euidenti salutis periculo coniuncta.

21. *Tibi Dominum fili, &c.* Tria hic filio commendat, nempe vt Deum timeat, Regem obseruet, nullúmque cum obtrectatoribus commercium habeat. Sunt enim eiusmodi reipubl. perniciosissimi. Nam & diuinis humanisque

manisque legibus detrahunt, & easdem euertere & permutare satagunt propter quod etiam veluti reipubl. pestes apertique Dei hostes subitò extinguuntur.

22. *Quoniam repente, &c.* Redditur ratio cur cum delatoribus, aut Dei decreta mutantibus commercium habere non expediat, quia nimirum periculum est ne simul cum illis in interitum & perditionem inopinatè incidamus. Et hæc quoque ad sapientiam pertinent, vel à sapientibus deprompta sunt. Videtur autem insinuare Salomonem hic finem dicendi fecisse, quod tamen non sit verisimile.

23. *Cognoscere personam, &c.* Iam ante quoque, nempe Cap. XVIII. admonuit, in legitimo iudicio non personæ qualitatem, sed causæ merita & æquitatem spectanda esse.

24. *Qui dicunt impio, &c.* Cohærent hæc cum proximè expositis. Nam si cuiuscumque personę qualitatem magis spectare, quàm causæ æquitatem peccatum est, quanto magis peccatum erit spectare personam impij, iudiciumque propter illius impietatem peruertere?

26. *Labia deosculabitur, &c.* Pertinet ad proximè præcedentia. Recta autem verba ille respondet, qui iustè iudicat, nihilque in huius vel illius fauorem contra æquitatem pronunciat. Verum ad eum modum se gerit, vt labia illius instar osculi habeantur dulcia.

27. *Præpara foris, &c.* Monet hic illa prius ordinanda esse, quæ foris exstant, quàm ædificanda sit domus, aut familia instituenda, aut vxor ducenda. Nomine autem agriculturæ complectitur omnem honestum laborem artémque licitam.

28. *Ne sis testis, &c.* Prohibet hic tria, quæ iustitiam & Christianam caritatem valde lædunt; sunt autem illa: falsum vel mendax testimonium, deceptio vel impostura per verborum blandimenta concinnata, & vindictæ interminatio.

30. *Per agrum hominis, &c.* Ante egerat de agro diligenter excolendo & exercendo antequam vxor duceretur, familiáq. institueretur: hic illos iam perstringit, qui propter ignauiam agrorum culturam negligunt, agrosque ipsos vrticis & spinis obduci sinunt. Similis quædam clades acciderat vineæ; nam & totam illius superficiem vrticæ & spinæ obsederant, macerióque illius diruta prostratáque iacebat; paucis, tota ita affecta erat, vt nihil fructuum funderet.

32. *Quod cum vidissem, &c.* Docemur & monemur hic virum sapientem etiam

tem etiam ex malis sapientiæ occasionem venari, & ex aliena quoque stultitia vel negligentia proficere. Id quod sequentia magis declarant.

33. *Parum dormies, &c.* Hi versiculi iam antè sunt expositi, nempe Cap. VI. repetuntur hic autem non importunè. Nam quod ager & vinea inculta reperta sint, illud non aliunde, quàm ex somnolentia & ignauia prouenerat, & quia Sapiens id non ignorabat, ex malis ab alterius ignauia natis diligentiæ occasionem capiendam insinuat.

PARAPHRASTICA CAPITIS VIGESIMI QVINCTI EXPLANATIO.

1. *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Iuda.*

HOC loco haud obscurè innuitur non omnes Salomonis Parabolas ab ipso Salomone eo ordine & serie fuisse digestas & descriptas, quo nunc leguntur & in Biblico corpore habentur. Neque enim rectè satis diceretur viros vel ministros Ezechiæ Regis Iuda sequentes collegisse vel descripsisse, descriptásque & collectas Regi obtulisse, si ipsemet Salomon hoc præstitisset: attamen quia omnes Salomonis esse perhibentur, omnes eiusdem veritatis & auctoritatis existunt.

2. *Gloria Dei est celare verbum, & gloria Regum inuestigare sermonem.*

ARcana Dei mysteria celare, nec curiosius quàm par est in illius opera inquirere, neque multis quoque verbis de quacumque re illius velle informari, id ad illius gloriam pertinet. Verum ad regiam maiestatem facit illius potentiam & gloriam manifestare, quo hostibus sit terrori: tum aliorum quoque secreta consilia & machinationes explorata habere, nihilque eorum ignorare, quæ domi forisque fiunt, quo hac ratione controuersias rectius iudicare, regnumque suum felicius administrare valeat. Non idem ergo Deo & Regi gloriosum est. Deus factorum iudiciorumq. suorum rationes rectè tegit, cum non habeat superiorem; Rex autem conuenienter eas manifestat, quò omnibus de æquitate illius constet. Deo ausum honorificum & legitimum est nihil inquirere, cum sciat omnia; ad

Regem autem ſpectat multa inueſtigare, quo rectius & quietius gubernet & iudicet. Rex denique quod in hac tantum vita iudicium exerceat, comperta vitia hic punire & emendare debet; Deus autē quod in vtroq. ſæculo iudicet, multa inculpatè hic diſsimulat, quę alibi grauiter punit & flagellat.

3. *Cælum ſurſum, & terra deorſum, & cor Regum inſcrutabile.*

VT cœli altitudo, & terræ profunditas facilè deprehendi non poſſunt, ita nec cor quoque Regis. Rurſum vt ea quæ intra cæli ambitum & terræ viſcera continentur, cognoſci nequeunt; ita nec illa quoque, quæ intra cor Regis latent, niſi ipſe forſan ea patefacere voluerit. Quare non eſt vt quis multum, quo illa inueſtiget, ſeſe occupet aut laboret. Eſt enim talis inueſtigatio inutilis iis præſertim, qui grauioribus negotiis occupati tenentur, vt ſunt Reges & Principes aliiq̃ue magiſtratus. Non eſt ergo regium ea ſectari, quæ ſunt ſurſum vel deorſum, ſed regni ſui ſtatum explorare, rectęque exploratum adminiſtrare.

4. *Auſer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſsimum.*
5. *Auſer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.*

SIcut cum ſcoria aurifabri opera ab auro vel argento auferitur; aut cum vas argenteum vel aureum rubigine obductum defricatur, mundum terſumq̃ue tandem prodit poculum; ita cum impietas & iniuſtitia à regno proſcribuntur, regni ſtatus floridus, fortunatusq̃ue redditur, ipſęque adeo regius thronus per iuſtitiam & æquitatem, aliasq̃ue virtutes ſtabilitur & confirmatur.

6. *Ne glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum ne ſteteris.*
7. *Melius eſt enim vt dicatur tibi, Aſcende huc: quàm vt humilieris coram principe.*

ANte omnia ab omni ambitione inaniq̃ue oſtentatione, & iis vitiis, quæ præ ceteris in Regum & Principum aulis dominari aſſolent, te contineas. Quamobrem caue vllam omnino magnificentiam in equis, aut curribus, aut veſtiū ſplendore, aut cultu corporis, aut vlla alia re corā Rege oſtentes. Siquidem tales oſtentatores viris principibus, qui parem non facilè ferunt, ſolent eſſe ſuſpecti, multumq̃. ingrati. Sed neque de opibus, vel ſcientia, vel prudentia, vel vlla alia re cum aliorum præſertim contemptu te iactes, neque in loco, qui magnatibus debetur, te conſtituas. Nam licet

mauri aureæ haud absimilis est. Siquidem res hæc rara est & sapientũ tantum propria. Hi enim soli ferè sunt, qui increpantes & admonentes cum patientia & gratiarum actione audiunt & suscipiunt.

13 *Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit eum, animam ipsius requiescere facit.*

VT messoribus messis tempore frigus niuis, hoc est, frigida aura, vel potus gelidus est pergratus, animósque & corpora eorum æstu tabentes mirificè recreat; ita fidus diligensque legatus, qui legatione confectá prosperè reuertitur, domini sui animam, quæ præ desiderio & exspectatione iam languere & pœnè deficere incipiebat, admirabiliter erigit, magnóque gaudio afficit, ipsumque adeo antè turbatum & inquietum quietum pacatúmque reddit. Curent proinde Principum magnatumque legati vt munere suo ritè perfuncti tempestiuè ad dominum suum reuertantur. Maximè autem sint hic diligentes, qui pro Christo legatione funguntur.

14 *Nubes & ventus, & pluuiæ non sequentes, vir gloriosus & promissa non complens.*

VT autem fidi legati rectè comparantur auræ vel aquæ siti æstuque refrigeranti; ita è diuerso perfidi, quales sunt qui magna promittunt, magnáque de se iactant & interim nihil præstant, aptè assimilantur vento & nubibus pluuiam quidem promittentibus, nullam autem fundentibus; verum hominum agrorúmque spem miserè fallentibus & eludentibus. Commodè autem vanitas illa & iactantia comparatur vento & nubibus: nam & ventus res inanis & inconstans est, & nubes res alta, & inflata, & citò euanida. Transferri haud incommodè possunt hæc ad concionatores & doctores, qui benè docent, sed malè viuunt.

15 *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam.*

PAtientia & longanimitate sedatur Principis indignatio, dum enim non statim ad vindictam, vel ad ferendam in reos sententiam prorumpit, dumque inducias tantisper concedit donec ira nonnihil deferuescat, incendium paulatim restinguitur, & animi commotio concidit. Quin subditorum quoque tolerantia in rebus aduersis multum ad sedandam eandem commotionem facit. Cum enim illos tametsi grauiter punitos pa-

tientes animaduertunt, Principes mouentur ad commiserationem, iráque sedatâ sententiam de longiore punitione mutant, primatum autem inter ea obtinet lingua blanda & mollis. Vix vlla enim ira est tanta, aut tam dura, quam mollis sermo, humilisque deprecatio culpæ mitigare non solet. Exempla huius rei præter quotidiana experimenta suppetunt plura.

16. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.*

SI mel inueneris comede, quantum sat est, ne si fortè obsaturatus fueris, modúmve excesseris deruo euomas illud, hoc est, in rebus omnibus, maxime vero in iis, quæ sensum oblectant, serua modum. Nam vt mel si copiosius, quàm par est, ingeratur, vertitur in nauseam; ita quodvis aliud sensum oblectare natum. Imò in aliis quoque rebus id locum habet. Nam in studio sapientiæ quoque modum ponere oportet. Certum est enim, qui plus vult sapere, quam necessum est, aut altius scrutari, quàm conuenit, aut ingenij vires ferunt, eum in errores & varia incommoda incidere. Qui enim scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.

17. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te.*

QVid quod per excessum non modò peccetur in cibo aut potu, aliisque similibus, verum etiam in amicitia & familiaritate. Quamobrem rarius in domum proximi infer pedem tuum, ne si nimis frequenter illum inuisas, odio te habere incipiat. Per domus autem frequentationem, nimiam familiaritatem designat. Quod si in rebus profanis nimia frequentia est ingrata, & interdũ quoque periculosa, periculosior vtique erit in sacris.

18. *Iaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.*

QVI contra proximum suum falsum profert testimonium, in re præsertim graui, perinde illum lædit, ac si malleo vel claua caput illius contunderet, aut gladio iugulum illius præcideret, aut sagitta cor illius transfigeret. Nam vt quodvis horum mortem adfert; ita falsum testimonium proximi vitæ, famæ, vel fortunæ interitum intentat: graue proinde damnum adfert proximo mendax testis.

19. *Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ.*
20. *Et amittit pallium in die frigoris.*

AMicus fucatus & infidelis tempore calamitatis, vel gratis alioqui necessitatis id fere est amico suo, quod dens prutridus comesturo, vel pes labans ambulaturo. Nam vt dens & pes corrupti, cum edendum vel ambulandum est, Dominum suum destituunt, partesque suas deserunt: ita spes quam amicus de amico conceperat, tempore angustiæ fallit. Quin spes quoque præuaricatoris, hominisque qui in hominem sperat potius, quàm in Deum, æquè firma & vtilis est vrgente necessitate, atque pes vel dens confractus. Denique qui homini infido fidit, similis est illi, qui hiemis aut frigoris tempore pallium abiicit. Nam vt is eo tempore veste destituitur, quò maximè illa indiget; ita ille præsidio se destitutum comperit, quando magnoperè illud exspectat.

Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.

VT stultè facit operámque perdit, qui acetum nitro affundit; quia affusione illa vim purgandi, qua pollet, illi adimit. Rursum vt insulsè facit, qui hyberno tempore sibi vel alteri vestem tollit: ex vno namque malo geminum facit, ita ineptè planéque absurdè facit, qui homini mæsto læta carmina accinit. Siquidem cantando tristitiam illius incendit & auget verius quàm minuit. Flendum est enim cum flentibus & non ridendum. Idem ferè absurdum committit, qui cordi depraua to & in malitia obstinato, salutaria Scripturæ monita proponit, quia per hæc non emendatur, sed sæpe obstinatior redditur.

Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.

RES mala & noxia est mæror atque tristitia. Nam præter alia incommoda, non secus hominem exedit, & tandem omnino absumit, atque tinea vestem, aut teredo absumere solet lignum.

21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere.*
22. *Prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.*

SI esurierit inimicus tuus pane illum ciba, si sitiuerit aquam illi propina, hoc est, omnia, quæ ad vitæ vsum & sustentationem necessaria sunt illi subministra. Quod si hoc feceris non solum mercedem apud Deum,

& laudem apud homines promereberis, verum etiam carbones ignis super caput eius coaceruabis, hoc est, ex inimico amicum efficies. Siquidem per eiusmodi beneficia caritate illum accendis. Est enim admodum durus, qui beneficiis subinde collatis non emollitur. Hoc autem præceptũ magis spectat ad nouam quàm ad veterem legem. Christi enim Lex est: *Benefacite his, qui oderunt vos.* Rursum: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*

23. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.*

MAgnum & perniciosum vitium est detractio, quod tamen sola vultus seueritate si non sanari, coërceri certè potest. Certum est enim si nulli sint, qui susurrones audiant, nullos quoque forè, qui aliis detrahant. Nam vt Boreas dispellit nubes, quas Notus coëgerat; ita qui obtrectatori tristem iratumq. vultum ostendit, compescit detractionis studium, estque modus ille compescendi valde honestus & modestus, siquidem citra vllam apertam alterius reprehensionem oblocutori silentium imponit.

24. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi.*

HÆC sententia iam ante exposita est, & per se quoque satis plana est; insinuat autem animi pacem & tranquillitatem omnibus vitæ huius voluptatibus meritò anteferri. Quid enim prodest vxor formosa, aut opulenta, aut domus ampla, aut supellex ornata, aut lauta mensa, si propter vxoris rixas, aut aliam quamcumq. infestationem maritus nullam habeat requiem, nullam pacem, nullam animi tranquillitatem.

25. *Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua.*

VT aquæ frigidæ gratæ sunt homini lasso aridáq. siti æstuanti, ita nuncius ad regionem longè positam missus, réque propter quam missus fuerat prosperè confectâ denuò reuersus domino suo est gratissimus.

26. *Fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadens coram impio.*

IVstus, qui coram impio cadit, hoc est, qui impij tyrannidem, aut fauoris & gratiæ illius iacturam metuens puram doctrinam, orthodoxámq; veritatem vel non docet, aut liberè profiteri non audet, similis est fonti pedibus turbato, aut venæ viuentis aquæ obstructæ. Turbatur quoque doctrinæ fons, venáque vitæ obstruitur, quando iustus vi impeditur ne veri-

ne veritatem concionetur, vt cum in exilium vel carcerem mittitur, vel alio modò ab officio coërcetur vtriusque expositionis innumera exempla subministrant præsentia tempora.

27. *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.*

VT multum mellis non est salubre corpori, nec gratum palato: immodicè enim sumptum vertitur in choleram, & nauseam; sic arcana Dei consilia, rerumque cælestium maiestatem nimis accuratè scrutari, non cedit in gloriam aut vtilitatem, sed in detrimentum & ignominiam. Rursum vt moderatus mellis vsus corpori est salutaris, & gustui suauis, ita sobriè in verba Scripturarum inquirere, eáque examini subiicere, sua vtilitate non caret, verum diuinam gloriam & maiestatem, quæ abdita in iis latet, nimis anxiè nimisque accuratè inuestigare neque bonum neque gloriosum est, imò vero multorum sæpe errorum seminarium est.

28. *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

VIR qui iræ impetum, linguæque procacitatem cohibere, vel non potest, vel non vult, similis est vrbi patenti, murisque denudatæ. Nam vt in hanc ingreditur & rursum egreditur, quicumque voluerit; ita animi impotens quidvis citra vllum omnino delectum admittit & emittit. At verò qui linguam, & iram, & reliquos immoderatos animi motus cohibet, rectè comparatur ciuitati clausæ, rectéque institutæ.

AD CAPVT VIGESIMVM QVINCTVM SCHOLIVM.

1. HÆ *quoque parabolæ, &c.* Docetur hic Parabolas hasce Salomonis quidem esse, ab eo tamen in ordinem redactas non esse sed ab alio. Quis autē is fuerit id nondū certò compertū est.

2. *Gloria Dei est, &c.* Docet hic in diuinorum operum & iudiciorum rationes neque curiosè inquirendū, neque secreta illius temerè vulganda esse; regiam vero potentiam & maiestatem manifestare, & in hostium

terrorem amplificare, rationi dissentaneum non esse. Inter Deum igitur & Regem plura intercedunt. Deus nihil inquirit, cùm sciat omnia; Rex autem, quod multa ignoret, multa inuestigare cōpellitur, alioquin iniudicando facilè erraret. Deus rursum vt operum suorum rationem reddat non est necesse, cum suprenus omnium sit iudex; Rex autem, quo palam de illius æquitate constet, factorum suorum rationem reddat oportet. Deus denique vtrobique iudicat, cum sit iudex viuorum & mortuorum; Rex autem in hac tantum vita, quippe cum potestas illius ad alteram se non extendat.

3. *Cælum sursum, &c.* Docet tria non facilè inuestigari: nempe cæli altitudinem, terræ profunditatem, & cor Regis: aut certè per comparationem ostendit, vt cælum & terrā ita cor quoque Regis inuestigari haud facile posse: & licet possit, paruam tamen vtilitatē ea in re positam esse. Tum Regum non esse curiosè quæ sunt in cælo vel terræ centro perquirere, sed regni sui negotia cognoscere & tractare.

4. *Aufer rubiginem, &c.* Et hæc quoque per comparationem accipienda sunt in hunc modum: Vt aurum vel argentum vel aliud metallum rubigine ablatâ nitescit, idoneamque aurifabro ad fundendum vas purum materiam subministrat; ita impietate & iniustitiâ à regno sublatâ, Regis solium firmatur, floridumque efficitur. Rectè autem impij comparantur scoriæ. Nam vt ignis scoriam absumit, aurum autem purum reddit; ita afflictio & persecutio expiat & perficit iustos, impios autem absumit & perdit. Rursum vt scoria inficit metallum, ita impij iustorum cœtum. Monentur hic autem Principes ne impios in regno suo hærere sinant. Verum hoc tempore mundi scoria, nempe adulatores scurræ, potores, aliique eiusmodi in aulis Regum sunt primi: auro autem & argento mystico, hoc est, bonis doctisque viris vix vllus ibi est locus.

6. *Ne gloriosus appareas, &c.* Affinis est hic locus illi Christi Seruatoris documento: *Cum inuitatus fueris, &c.* Vterque autem ab ambitione & inanni ostentatione auocare, ad modestiam autem & animi submissionem prouocare contendit.

8. *Quæ viderunt oculi tui, &c.* Hæc clausula in Contextu Hebræo cohæret cum versu præcedenti: *Melius est vt dicatur tibi, Ascende huc, quam vt humilietur coram principe, quem viderunt oculi tui.* Noster Interpres LXX. secutus, initium facit sequentis. Reddunt autem hunc sensum: Quæ viderunt oculi tui de iis pronuncia, non de auditis.

Ne pro-

Ne proferas, &c. Monemur hic ne occultum proximi crimen per iram in lucem efferamus, etiamsi illud oculis nostris viderimus; multò vero minus si auditu tantum perceperimus; verum si emendationis spes est, secretò secundum Christi legem peccantem admonere licet. Occultum autem crimen, nisi publica vtilitas aliud efflagitet, numquam diuulgare fas est, per iurgium autem & intempestiuè numquam omnino.

9. *Causam tuam tracta, &c.* Docemur hic in arduis negotiis amicos in consilium adhibendos, sed fidos secretique tenaces tantum: extraneis enim & ignotis non facilè fidendum est. Hebræa autem innuunt controuersias, quæ cum amico incidunt, priuatim componēdas, ad iudicis autem tribunal non esse adducendas, quò hac ratione secretum proximi illæsum teneatur.

10. *Gratia & amicitia, &c.* Hæc ex Lxx. sunt petita. Significant autem Dei hominumque fauorem ab inani timore, peccatique seruitute liberare, adeóque conandum ne cum probro earum rerum iacturam faciamus.

11. *Mala aurea, &c.* Exponitur hic quàm grata soleant esse verba opportunè in medium prolata. Etenim vt quivis pretiosus ornatus thecis ita insertus vt non totus lateat, sed aliquam sui speciem spectantibus obiiciat, vel gemma operi cœlato inclusa spectatu solent esse perlucunda; ita verbum quoque eo, quo par est, modo & tempore depromptum.

12. *Inauris aurea, &c.* Comparat prudentem admonitorem, (qualis est qui ea ratione admonet, vt admonitum obsequentem sibi reddat) inauri aureæ vel monili obryzi. Hebræa sonant: Sapiens qui increpat aurem obedientem præstat in u i aureæ. Quod ad membrorū oppositionem spectat, inauris aurea respondet auri obsequenti; monile autem aureum sapienti prudenter admonenti.

13. *Sicut frigus niuis, &c.* Monentur hoc loco legati & nuncij, vt sint fideles, seduli, & diligentes: cum propter alia multa, tum maximè propter auxium suspensumque legantium animum. Mysticè, bonus & fidus legatus fuit Christus, boni itidem & fidi legati fuerunt Apostoli ceterique omnes, qui functionem Apostolicam fideliter obeunt, aut aliquando obiierunt, plura de hoc argumento proposita sunt Cap. XVII.

14. *Nubes & ventus, &c.* Comparat hic magna promittentes, nihil autem præstantes nubibus pluuiam quidem pollicentibus, in fumū autem abeuntibus. Monemur per hæc vero, ne id quandoque promittamus, quod præstare vel non volumus, vel non possumus.

15. *Patien-*

15. *Patientia lenietur, &c.* Monentur hic muneris sui, cum subditi, tum ipsi quoque Principes, hi ne temerè in vindictam prosiliant, illi ne principibus iræ occasionem offerant, iratosque blandis verbis placare studeant.

16. *Mel inuenisti, comede, &c.* Docet per hæc in omnibus rebus modum seruandum esse. Nam etsi mel dulce palatóq. gratum sit plusculum tamen sumptum vertitur in bilem. Idem statuatur de ceteris voluptatem adferre natis.

17. *Subtrahe pedem tuum, &c.* Cohæret cum versu præcedenti. Docetur hic namque nimiam familiaritatem & frequentiam contemptũ & odium tandem progignere.

18. *Iaculum & gladius, &c.* Comparat hic falsum testimonium malleo, & gladio, & sagittæ, quæ omnia sunt instrumenta letifera variis modis mortem adferentia. Nam falsum quoque testimonium natum est non vni alicui bono, sed omnibus bonis, quæ in hominis vsum veniunt, detrimentum adferre.

19. *Dens putridus, &c.* Confert amicum infidum cum dente confracto & pede infirmo. Nam vt vtrumque dum vsus postulat, deserit, ita perfidus quoque amicus. Idem illis accidit, qui Deo misso, spem suam in hominem reiiciunt: est enim omnis homo suâ naturâ mendax & inconstans.

Acetum in nitro, &c. Docetur hic vt insulsè facit, qui nitrum aceto perfundit, quia affusione illa nitri vires eleuat non auget; ita quiddam quoque ineptum designare, qui mæsto læta carmina accinit, quippe cum eiusmodi carmen mæstitiam illius augeat magis, quàm subleuet. Si autem cum quibusdam statuatur acetum nitri vires augere, per cor malum accipere oportebit cor vitiis contaminatum. Tale namque blanda oratione exacerbatur verius, quam sanatur.

Sicut tinea vestimentum, &c. Confert internam animi mæstitiam cum tinea & teredine: quia vt hæc consumunt vestes & ligna; ita illa, si fuerit magna & diuturna exedit cor. Rursum vt tinea in veste, & teredo in ligno nascitur & nutritur, ita tristitia in animo. Cęterum hic versus in Contextu non habetur Hebræo, sed tantum apud Lxx.

21. *Si esurierit inimicus, &c.* Hæc sententia est magis Euangelica quàm Mosaica, quamvis alibi quoque similia legantur in veteri Testamento. Interim sensus talis, Congregat prunas super caput inimici, non ita clarè apparet nisi dicamus idem esse prunas infundere, quod caritatis igne inflammare.

23. *Ventus Aquilo, &c.* Comparatur hoc loco vultus seuerus & subiracundus aquilonari vento. Nam vt hic dissipat nubes, ita ille obtrectatoris susurrationes. Monemur per hæc autem ne faciles aures delatoribus præbeamus. Lxx. legunt: *Ventus Boreas suscitat nubes.* Nam licet Boreas ab Aquilone nubes dispellat, in Austro tamen cogit, sicut è diuerso Notus hic cogit, in Austro autem dispellit.

24. *Melius est sedere, &c.* Hæc sententia Cap. XXI. Versu IX. iam exposita est. Significatur per hanc autem pacem domesticam ceteris omnibus voluptatibus præstare.

25. *Aqua frigida, &c.* Confertur hic nuncius bonus ex loco remotè posito allatus cum aqua frigida. Nam vt hæc est grata sitienti, ita ille eiusmodi nuntium auidè exspectanti. Versu XIII. huius Capitis simile quid legitur.

26. *Fons turbatus, &c.* Subintelligitur hic particula similitudinis Sicut, vel alia similis; idem autem vtroque membro significatur, nempe rem indignam esse, videre iustum ab impio prostratum, vel ita consternatum, vt illum reprehendere, aut veritatem liberè profiteri non audeat. Quadrant in eos, qui veritatis sermonem perplexè, vel non libere propter offensionis metum prædicant: id quod hoc tempore sæpissimè accidit.

27. *Sicut qui mel, &c.* Sumptâ comparatione ab immodico mellis vsu, ostendit neque bonum, neque salutare esse nimis accuratè inquirere in eas res, quæ sensum omnem, omnemque mentis captum excedunt, aut etiam in intimos Scripturarum sensus.

28. *Sicut vrbs patens, &c.* Assimilat hominem, qui animi sui impetum coercere non potest, vrbi apertæ muróque destitutæ. Nam vt hæc nullo negotio ab hoste capitur, ita suis ille verbis subindè irretitur, miseréque decipitur. Simile quid legitur Cap. XXI.

PARAPHRASTICA CAPITIS VIGESIMI SEXTI EXPLANATIO.

1. *Quomodò nix in æstate, & pluuiæ in messe: sic indecens est stulto gloria.*

VT nix in æstate, & pluuia in messe sunt importuna & insolita (quia tempora illa calorem & siccitatem, non autem niuem vel pluuiam exigunt) ita viro stulto & improbo nullo modo conuenit gloria. Siquidem gloria est præmium virtutis & excellentiæ, quæ in homine stulto & improbo non reperiuntur. Sapiens enim vtrumque pro eodem accipit. Verum hoc tempore maior opum & nobilitatis habetur ratio, quàm virtutis & sapientiæ; quo etiam fit vt sursum deorsumq; passim ferantur omnia.

2. *Sicut auis ad alta transuolans, & passer quolibet vadens: sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet.*

QVemadmodum passeris & hirundinis, & cuiusvis alterius auis est, non fixum semper tenere locum; sed de loco ad locum migrare, & quoquoversum volitare, & tandem ad nidum suum reuerti, ita maledictum temerè prolatum, hoc est, iniustè in aliquem detortum, non peruenit ad eum, ad quem destinabatur, aut si fortè ad eum peruenerit, firmam tamen sedem apud eum non capit, verum ad eum, vnde profectum fuerat, denuo reuertitur. Ne illos itaque metuamus, qui iniuste blasphemant, aut maledicunt, aut derident, aut conuitiantur.

3. *Flagellum equo, & chamus asino, & virga in dorso imprudentium.*

VI flagellum adhibendum est equo & chamus asino, quo officium faciant, promptéque ministerium suum præstent; ita virga admouenda est fatui dorso. Nam cum sensu magis quàm ratione valeat, virga tamquam iumentum ad officium compelli, & intra recti limites contineri debet: per equum autem & asinum non solum superbi, ignaui, & luxuriosi, sed omnes omnino vitiosi designantur.

4. *Ne responde stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.*
5. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.*

NE stulto, qui te fortè maledictis, aut conuitiis, aut calumniis appetit, iuxta stultitiam suam respondeas; hoc est, ne maledicta, aut conuitia, aut calumnias, quas in te stomachosè congerit, in illum vicissim regeras, alioqui similis ei videberis. Oportet enim stultorum orationem veluti responsione indignam contemnere: attamen si quando illi respondendum videatur, ne se solum sapere existimet, aut ne aliis suâ stultitiâ noceat, responde illi cordatè & sapienter, hoc est, eiusmodi verbis, quæ illius stultitiam palam ostendant. Pro temporum igitur, locorum, rerum, & personarum ratione stulto modò respondendum est, modò rursum eidem respondendum non est.

6. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.*

QVI serium aliquod negotium, aut rem alioqui ponderosam homini stulto transigendam, tractandam, vel denunciandam committit; haud absimilis est illi, qui pedes illi præcidit, quem negotiorum causa aliquo mittit. Nam vt homo truncus pedibus ambulare nequit; ita stultus quoque prudenter negotiari non valet, adeóque vterque de iusti iniquitate bibet, hoc est, detrimenta, quæ per claudi vel stulti impotentiam vel stultitiam acciderunt, hauriet. Truncat sibi ipsi quoque pedes, qui stulto legationem committit, quia negotiorum progressum manifestò impedit.

7. *Quomodò pulcras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola.*

VT venustæ tibiæ non conueniunt claudo, vt qui ob claudicationis vitium venustè iis vti non queat; ita parabola stulto non conuenit. Nam propter suam stultitiam opportuno loco & tempore, ea vti non valet. Rursum vt pulcræ tibiæ vix vllum ornamentum adferunt claudo; ita parœmiæ, vel qualiscumque alia doctrina nullam vel certè perexiguam stulto auctoritatem conciliat. Denique vt claudus, licet venustas habeat tibias semper tamen claudicat, inæqualitérque ambulat; ita stultus quamvis in ore illius sapiens aliquod dictum nonnumquam resideat, semper tamen cespitat & inæqualiter ambulat quia facta dictis non exæquat.

8. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuit insipienti honorem.*

SIcut qui gemmam, vel quemvis preciosum lapidem in vulgarium lapidum aceruum mittit, operam perdit, palámq. sese stolidum ostendit; ita ille etiam, qui viro stulto & insipienti honorem tribuit. Honor namque, vt paulo ante indicatum est, non debetur hominibus stultis & insanis, sed sapientia & virtute præditis. Quare eiusmodi honor perit & obscuratur, sicut gemma inter vulgares silices vel saxa [illegible]iecta.

9. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti: sic parabola in ore stultorum.*

VT se habet spina in manu hominis tem[illegible]nti; ita parabola vel parœmia in ore stulti. Nam vt ebrius, quod plena rationis luce destituatur, spina se ipsum & alios vulnerat; ita eruditæ & graues sententiæ, & sacræ quoque literæ, dum à stultis & indoctis hominibus tractantur, plus plerumque incommodi sibi & aliis adferunt quàm commodi. Rursum vt temulentus, dum rosam decerpere molitur, non absque aliorum risu sæpe apprehendit spinam; ita stultus inopinatè sententiam aliquam fundens, maximè si ad rem præsentem parum aut nihil faciat, se ipsum pungit; quia stultitiam suam aperit, & aliis risum mouet.

10. *Iudicium determinat causas: & qui imponit stulto silentium, iras mitigat.*

VT iustum & æquum iudicium è medio tollit lites & controuersias, quæ inter homines nasci solent; ita vir prudens, qui sano maturóque iudicio stulto silentium imponit, rixas quas stultus iam concitauerat, vel certè, nisi silentium illi impositum fuisset, concitaturus erat, compescit. Contextus Hæbræus aliam sententiam offert, nempè hanc: Magnus format omnia, dátque mercedem stulto & transgressori; hoc est, Dominus, qui est super omnia, creat & pascit omnes, iustos nimirum & iniustos; sapientes rursum & insipientes: hoc enim mercedis vocabulo denotatur. solent quidam namque mercedis loco diurnum tantum cibum percipere. Nata est autem hæc sententiarum dissimilitudo ex diuersa lectione. Aliud enim legit noster interpres, aliud habent exemplaria, quæ nunc exstant, Hebræa.

11. *Sicut*

11. *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam.*

HOmo stultus & sceleratus, qui per Dei gratiam à sua stultitia, peccatorúmque sordibus semel liberatus denuo in eandem stultitiam, peccatorúmque sordes recidit, similis est cani resorbenti sordes, quas per vomitum eiecerat. Enimverò vt res fœdissima, & ab omni honestate alienissima est, per vomitum reiecta resumere; ita fœdissimum & ab omni gratitudine, quàm Deo debemus, alienissimum est quoque peccata per pœnitentiam semel deleta, denuo repetere, vel fidem semel receptam deserere.

12. *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens.*

VIdistíne quandoque hominem sapientem in oculis suis? hoc est, talem qui cum esset stultus, sibi tamen sapere videbatur, & quidem plus ceteris? crede mihi maiorem spem esse de homine stulto, hoc est, rudi & indocto, quàm de illo. Nam qui se rudes, vel parum alioqui versatos agnoscunt, aliorum admonitiones facilè admittunt; imò doctiores consilij causâ vltrò adeunt, erudiríque cupiunt, verum qui superbia inflati se prudentes, ceterisque doctiores esse persuasum habent, omnes docere, à nemine autem discere, aut admoneri volunt: & sic perstant in sua inscitia & errore, cuius rei illustre exemplum subministrant ætatis huius sectarij.

13. *Dicit piger, Leo est in via, & leæna in itineribus.*

NIhil fœdius homine pigro & ignauo: nam cùm nullum honestum opus exerceat, nullique vtilis existat; sed præ mera desidia sordescat, nauseámque omnibus moueat, adhuc tamen pigritiam suam honesto titulo excusare non dubitat. Etenim ad opus aliquod inuitatus vel prouocatus, dicit, Leo est in via, leæna vel pardus est in platea; quæ oratio huc tendit: libenter & ex animo hoc vel illud opus facerem, verum citra præsentaneum vitæ periculum non valeo. At non ita illi qui per caritatem ad Christum tendunt. Nihil enim tam difficile est, quod illos à via illa absterreat, aut amoueat. *Quis*, inquiunt, *separabit nos à caritate, quæ est in Christo Iesu? An tribulatio? An angustia, &c.*

14. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.*

NEque existimes pigrum, quando propter leonis, aut pardi metum ad externum opus non exit, domi honestè se occupare, perque domum sedulò discurrere ac prudenter, quæ fieri debeant, familiæ præfinire. Nam domi quoque vel nihil omnino agit, vel nihil honestũ agit. Etenim vsque adeo ignauiæ & otio deditus est, vt ne ipsum quidem otium quietè ferat: vt qui in ipso quietis loco, hoc est, strato quietè non agat, sed modò in hanc, modò in illam partem se voluat, neque aliis tamen egredientibus, aliis ingredientibus loco se mouet; verum in lecto vt ostium in cardine solet, identidem se versat.

15. *Abscondit piger manus super ascella sua, & laborat si ad os suum eas conuerterit.*

PAucis adeo per otium & ignauiam deiectus prostratusque iacet piger, vt ea quoque grauatim faciat, quæ sunt maximè communia, & ad humanæ vitæ vsum apprimè necessaria: cuiusmodi sunt è lecto surgere, veste se induere, manus & faciem abluere, ad mensam accedere, cibum sumere. Nam & manum, quam ad laborem & vitæ opera extendere debebat, in sinu, vel sub axilla abscondit, & laborat magnáque molestia afficitur, si eam ad os, hoc est, ad capiendum cibum, aliáque eiusmodi extendere compellatur.

16. *Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.*

ET quod his omnibus peius & intolerabilius est, cum non modò sit piger & ignauus, sed omnium quoque rerum prorsus ignarus (siquidem ignauiam necessariò comitatur ignoratio, scientia namque exigit laborem & industriam) adhuc tamen septem sapientibus graues sententias depromentibus se sapientiorem esse persuasum habet. Eius ordinis sunt, qui dicere solent, quorsum scholas frequento, aut sacras conciones visito, cum sacra & profana omnia melius intelligam, quàm doctor vel concionator ipse; vel quorsum vigiliis aut studiis caput rumpo, aut cerebrum offendo, cum otio plus valeam consequi, quàm iste vel ille laborioso negotio, paucissimique etiam ex magnatibus & nobilibus eruditi existant?

17. Sicut

17. *Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.*

SIcut absurdè & inconsultè agit, qui canem mordacem auribus vellicat & ad iram prouocat (canis enim quod aurium vellicationem non ferat, contra vellicantem insurgit & latrat, & si potest vel audet mordet) ita quoque, qui obiter aliquò transiens, videt duos inter se rixantes, aut concertantes, impatientia motus contra alterutrum vel vtrumque insurgit. Siquidem nihil hinc reportat nisi malam gratiam, & interdum quoque vulnera & plagas; verum moderatè & prudenter intercedere, partésque controuertentes in concordiam reducere, illud non est inhibitum, sed licitum & honestum.

18. *Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem.*
19. *Ita vir qui fraudulenter nocet amico suo, & cùm fuerit deprehensus dicit, Ludens feci.*

SIcut qui sagittam vel iaculum clanculum mittit, ad occidendum quempiam duplici nomine noxius perniciosusque existit. Nam & occultè id facit, quò post mortem illatam factum inficiari possit, & repentè prætérque omnem exspectationem perimit; ita ille quoque qui amicum suum nihil mali cogitantem fraude circumvenit, trifariam peccat: nam & amicum lædit, & clanculum lædit, & in fraude deprehensus adhuc amicus haberi quærit. Allegat enim se non serio sed ioco fecisse, quidquid fecisse deprehensus est; adeoque sicariis, latronibus, & incendiariis omnibus deterior existit. Siquidem hos quoque Hebræus Contextus ceteris adiicit, habet enim: Sicut qui emittit scintillas, sagittas, & mortem, &c.

20. *Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis: & susurrone subtracto, iurgia conquiescunt.*

RES mala & perniciosa est mala lingua, maximè verò delationibus & susurrationibus dedita, magnáque infert reipubl. damna & detrimenta, quæ & rempubl. non prius vexare desinent, quàm malæ delatoriæque linguæ è medio submotæ fuerint. Nam vt ignis dum ligna ipsi subtrahuntur exstinguitur, per lignum autem adiectum incenditur & inflammatur: ita per fallas delationes & detractiones discordiæ, lites, & iurgia, etiam inter amicissimos excitantur & fouentur: per harum autem proscriptionem

ptionem & amotionē antè excitatæ consopiuntur & profligantur. Quamobrem reipublicæ, regnis, & principatibus optimè consulunt, qui adulatoribus vel delatoribus nullum locum concedunt.

21. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas.*

SIcut carbo aptus est ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo rixosus & iracundus idoneus est ad suscitandam litem. Nam vt ligna incendunt, fouent, & augent ignem; ita ira incendit lites & rixas. Profligatis itaque vel placatis iracundis simul profligantur, & consopiuntur rixæ & contentiones: causâ namque è medio sublatâ effectus, qui naturaliter indè fluebat, tollitur quoque.

22. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima ventris.*

SVsurronis oratio videtur blanda, lenis, & simplex, interim mirè sauciat & vulnerat. Penetrat namque vsque ad ima cordis & pectoris, hoc est, certam perniciem adeóque interitum ipsum adferunt.

23. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.*

LAbia quæ odio ardent, fastúque tument, ac cordis prauitatem tegere atque dissimulare norunt, similia sunt vasi fictili quod argento impuro obductum est. Primo namque vt vile impurúmq. argentum, vili impuræque conuenit materiæ, ita praua impuráque labia prauo impuróque conueniunt cordi: mox vero vt argentum tametsi immundum opus testaceum tegit, & nonnihil quoque exornat, etiamsi parum interim valoris illi adiungat; ita labia superba cor malum tegere quidem possunt, bonum tamen illud facere non possunt. Postremò autem vt vas fictile licet argento ornatum, tandem retegitur & confringitur; ita cor prauum licet labia tumentia ad tempus illud tegunt, suo tamen tempore aperitur, palámque confunditur.

24. *Labiis suis intelligitur inimicus, cùm in corde tractauerit dolos.*

DOli & imposturæ, quas inimicus in pectore versat, ex illius verbis & oratione deprehendi vtcumque possunt. Nam licet aliud in pectore verset, aliud in lingua promptum habeat, adeóque simulator existat: attamen

men animi virus ita dissimulare non potest, quin aliquò modo illud prodat. Quandoquidem ipsa blandimenta, quibus vtitur reddunt ipsum suspectum. Solent enim qui decipere volunt blandiri & adulari.

25. *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.*

EA propter qui voce submissa, gratioséque te alloquetur, ne temere illi credas: quandoquidem septem nequitias, hoc est, multa mala aduersum te in corde suo meditatur, debesque eò magis illum formidare, quò magis blanditur & adulatur. Præsertim vero si aliquando inimicus fuit & ex animo in gratiam non rediit.

26. *Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in consilio.*

QVI tegit odium, quod in pectore fouet, in proximi perniciem & fraudem, non euadet impunis. Siquidē malitia eius tandem aliquando in iudicum cœtu patefiet, patefactáque iusta, vt par est, pœna plectetur. Nulla enim simulatio est diuturna, nedum perpetua, ne apud homines quidem, vt multa exempla probant. Et licet hic maximè perpetuò lateat, in vltimo tamen iudicio omnibus reuelabitur, æternóque supplicio, si per pœnitentiam deleta non fuerit, multabitur.

27. *Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.*

QVI alteri aperit foueam, aut iniustas struit insidias, incautus incidet in illas, & qui lapidem in alterum deuoluere studet, obteretur ab illo. Recidet enim in caput illius, idque iusto Dei iudicio. Qui enim alterum iniustè opprimere nititur, promeretur vt ipse iustè opprimatur. Sunt hæc cognata illis Dauidis Regis: *Incidit in foueam quam fecit*. Item: *Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.*

28. *Lingua fallax non amat veritatem: & os lubricum operatur ruinas.*

LIngua mendax non amat veritatem, vt quæ per illam redarguatur, mendacium enim maiorem aduersarium nullum habet, quàm veritatem. Et os lubricum & blandū, cuiusmodi est, quod blanda oratione simplices rerúmque rudes decipit, & à via veritatis in errorem abducit, operatur ruinas. Nam & se ipsum & alios euertit, & in plurima mala deiicit.

Hebræa duplicem ſenſum admittunt, eumque contrarium. Alter eſt: linguæ mendacis exoſum habet eum, quem lingua mendaci contem flagellat. Alter eſt: Vir humilis cordeque contritus, odit linguam men cem; os autem blandum euertit eum, quem blandè alloquitur. Alij: verax & blandum linguæ mendacis ruinam facit, ſiquidem vnum con rium alterum euertere natum eſt.

AD CAPVT VIGESIMVM SEXTVM SCHOLIVM.

1. *Quomodo nix in æſtate, &c.* Docetur hic hominem ſtultum & improbum non decere honorem & gloriam, vt quæ virtutum & ſapientiæ ſint præmia; at hæc interim indecentia hoc tempore latè regnat, ſed non abſque inſigni Eccleſiæ & reipubl. detrimento.

2. *Sicut auis, &c.* Agit contra temerariam nullâque ratione nitentem maledictionem: docet autem eiusmodi non eſſe metuendam, quod eò reuertatur, vnde profecta fuerat.

3. *Flagellum equo, &c.* Comparat hominem ſtultum equo & aſino; nam cum ſtulti non tam rationem, quàm belluarum more naturæ impetum ſectentur, vt belluæ tractandi ſunt.

4. *Ne reſponde ſtulto, &c.* Etſi duo hi verſiculi oppoſita præcipere videantur, attamen non præcipiunt, ſed pro temporis vel loci qualitate, modò hoc modò illud ſectandum admonent.

6. *Claudus pedibus, &c.* Damnat hic locus illorum imprudentiam, qui res graues ſecretumque depoſcentes homini ſtulto & improbo committunt. Nam & ignominia ſe ipſos afficiunt, & magnum nihilominus incommodum ſibi accerſunt; quia peccatum, quod ſtultus deſignauit, ipſimet luere compelluntur. O quot claudos, ô quot ſtultos Epiſcopi hoc tempore mittunt ad legationem pro Chriſto obeundam, quorum iniquitatem, & peccata ipſi olim bibent.

7. *Quomodo pulcras, &c.* Committitur hic ſtultus parabolas eructans cum claudo venuſtè tibiato. Nam vt venuſtæ tibiæ nullum huic afferunt vſum aut ornamentum, quia ambulare non poteſt; ita doctrina vel ſermo parabolicus nihil quidquam confert, vt qui commodè iis vti non valeat.

8. *Sicut*

8. *Sicut qui lapidem mittit, &c.* Docetur hic æquè absurdè eum facere, qui stulto vel improbo tribuit honorem, atque illum qui gemmam, vel alium lapidem pretiosum coniicit in aceruum Mercurij, aut in fundam. Siquidem lapis in funda ita ponitur, vt inde statim eiiciatur, nec vnquam amplius repetatur, aut simpliciter perdatur. Sunt qui vocem Hebræam *Purpuram* interpretantur & tunc sensus est: Vt communem lapidem purpuræ inuoluere ineptum est, quia vulgaris lapis non est dignus tam pretioso inuolucro; ita ineptum est stultum honore cumulare.

9. *Quomodo si spina, &c.* Docet idem esse sermonem sapientem in ore stulti, quod spina in manu ebrij, quia vtrumque lædit & confundit habentem.

10. *Iudicium determinat, &c.* Locus hic aliter legitur in vulgata Editione, aliter in Contextu Hebræo, aliter apud Lxx. secundum nostram Editionem sensus est: Vt publicum iudicium finit lites & controuersias; ita vir prudens stulto silentium imponens submouet lites, quas stultus iam excitauerat, vel excitare poterat. Secundum Lxx. Omnis stultorum caro, hoc est, omnes omnino stulti multum fluctuant, cogitationibus variis & animi motibus agitantur: sunt enim in omnibus ferè inconstantes. Secundum Hebræos: Magnus ille, qui creat omnia, nutrit & conseruat, largitúrque omnibus, quod pro meritorum ratione, aut pro naturæ cuiusque conditione vnicuique debetur.

11. *Sicut canis qui, &c.* Hic confirmatur quod ante aliquoties indicatum est, nempe familiare esse sapienti stulti nomine designare quemvis improbum & sceleratum hominem. Docetur hic autem fædum & execrabile esse, ad demissam semel vitæ turpitudinẽ, vel hæresin, vel aliam quamcumque peccandi consuetudinem denuò reuerti.

12. *Vidisti hominem, &c.* Agitur hic de eo hominum genere, qui cùm sapientes non sint, se tamen sapientes esse, imo vero ceteris sapientiores esse existimant. Docet autem maiorem spem esse de verè stulto & improbo, suam tamen stultitiam & improbitatem agnoscentè, quàm de illo, qui in oculis suis sapiens est, quia hic morbum suum non agnoscit, ille agnoscit & improbat.

13. *Dicit piger, &c.* Hic locus Cap. XXII. Vers. XIV. expositus est. Sensus autem est clarus. Indicatur namque pigrum, dum ad opus aliquot honestum euocatur, ne frustra piger habeatur, ibi periculum vitæ allegare, vbi nullum est omnino.

14. *Sicut ostium, &c.* Exposuerat quid pigrum domi detineret; nunc subdit quid domi agat. Etenim versat sese in lecto, vt ostium in cardine. Conuenit non solum in insigniter ignauos; verum in eos quoque, qui magna proponunt, & nihil exsequuntur, aut seriò aggrediuntur.

15. *Abscondit piger, &c.* Hæc iam ante quoque, nempe Cap. XIX. vers. XXIV. elucidata sunt, & insigne ignauiæ argumentum proponunt. Nihil enim indignius quàm ea propter ignauiam detrectare, quæ ad vitam maximè sunt necessaria, maximèque communia & facilia.

19. *Sapientior sibi piger, &c.* Hæc exponunt summam quorumdam ignauorum hominum arrogantiam. Quid enim stultius & arrogantius, quàm hominem ignauum, qui nec studet, nec studuit vnquam, se sapientibus omnibus sapientiorem esse existimare? Conuenit in Iudæos & hæreticos, qui putant se omnia scire, cum re ipsa nihil sciant; tum in eos rursum, qui se propter literas caput rumpere nolle asserunt.

17. *Sicut qui apprehendit, &c.* Monemur hic nullum temere irritandum. Sicut canem auribus vellicare, aliud nihil est quàm citra causam ad iram illum prouocare, sed & ille quoque, qui sese tanquam sequestrum in alienam litem vltrò ingerit, communiter alterius partis odium sibi adsciscit, atque ita in rixandi necessitatem citra necessitatem sese coniicit.

18. *Sicut noxius, &c.* Comparantur hic ficti simulatique amici cum latronibus & sicariis. Nec iniuriâ: est enim res indignissima amicitiam verbis & signis simulare, in animo autem hostilia versari. Hebræa sonant: Sicut se abscondit, qui scintillas spargit, nempè incendiarius, & qui sagittas emittit, latro vel sicarius, hoc est, omnis ille, qui alteri mortem intentat, aut mortis tela in alium destinat; sic vir qui defraudat amicum, deprehensus autem dicit: Nonne ego ludebam?

20. *Cum defecerint ligna, &c.* Comparatur hic mala lingua igni. Nam vt hic omnia incendit & absumit; ita ille iurgiis & dissidiis omnia confundit, & in vastitatem redigit. Siquidem bella, quæ excitat, suâ naturâ vaquam mors & interitus.

21. *Sicut carbones, &c.* Tendunt hæc eodem, quò præcedentia: vnum hoc interest, quod ibi illud tribuebatur delatori & susurroni, quod hic homini rixoso & iracundo.

22. *Verba susurronis, &c.* Capite XIIX. similis sententia exposita est; perstringit

perstringit autem mala, quæ ex simulata susurratoris oratione nasci solent. Nam etsi hæc videatur blanda, mortifero tamen veneno est plena.

23. *Quomodo si argento, &c.* Comparat hic vas fictile argento impuro circumfusum & ornatum labiis odio quidem ardentibus, cordis tamen nequitiam callidè tegentibus & dissimulantibus. Paucis, totus hic locus agit de vitiis linguæ, callidisque maledicis hominibus, cuiusmodi sunt, qui vitium internum externo oris velamine tegere norunt.

24. *Labiis suis intelligitur, &c.* Locus hic, qui contra impostores agit, pro Hebraicæ vocis latitudine geminum sensum admittit. Alter est: Ex inimici oratione venenum, quod intra se fouet, cognosci potest. Alter est: Aliud in corde tenet inimicus, aliud in lingua promptum habet. Præ se fert enim amicitiam, cum intra se tamen odium foueat; & hunc sensum confirmant, quæ sequuntur. Subdit enim: Cum submiserit vocem, hoc est, cum humili oratione se tibi submittit, ne illi fidas.

26. *Qui operit odium fraudulenter, &c.* Cohæret hic locus cum præcedente. Docet namque omnem imposturam, omnemque dolum & fraudem tandem ad lucem venire, grauiterque plecti; adeóque se ipsos fallere qui ob id liberius peccant, quod scelera sua lucem non visura credant.

27. *Qui fodit foueam, &c.* Hunc versum quotidiana experimenta probant, plerumque enim improbi homines cadunt in laqueos, quos iustis iniustè pararant, simile quid legitur Ecclesiastici X. & Psal. VII. & alibi.

28. *Lingua fallax, &c.* Docet linguam mendacem non amare veritatem, vt quæ mendacio aduersatur. Sed neque illos quoque amare, quos iniuste flagellauit: siquidem nouit se illis exosum esse. Hebræa sonant: Lingua mendax odio habet contritum. vel è diuerso: Vir contritus & humilis linguam odit mendacem; os itidem blandum, cuiusmodi est, quod homines conterere, & à via recta auertere solet.

PARAPHRASTICA CAPITIS VIGESIMI SEPTIMI EXPLANATIO.

1. *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.*

NE glorieris, neque te iactes de crastina luce, aut futura felicitate, prosperitate, vel actione. Siquidem nescis quid in crastinum vel in proximũ diem futurum sit, cum nemo mortalium certò sciat in crastinúmne vsque victurus sit. Multi multa hodie proponunt, qui cras in tumulum inferuntur. Eapropter valdè inconsultè faciunt, & periculosè viuunt, qui vitæ emendationem vel pœnitentiam in crastinum, vel futurum tempus reiiciunt.

2. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.*

ET vt nemo gloriari vel iactare se debet de crastino vel tempore futuro: sic nemo quoque gloriari debet de se ipso, aut de vlla omnino propria virtute, aut excellentia. Nam præterquam quod propria laus de falsitate & superbia meritó suspecta habetur, est quoque stultorum proprium se ipsos laudare. Si tamen publica vtilitas, vel priuata innocentia aliud interdum postularet, non esset à virtute alienum se ipsum commendare: Quemadmodum Apostolus Paulus propter falsos fratres coactus est illud facere. Interim consultius est ita viuere, vt non sit opus se ipsum laudare.

3. *Graue est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior.*

GRaue & ponderosum est saxum, res molesta & onerosa rursum est arena; at vtroque grauior & molestior est hominis stulti & improbi ira. Siquidem hæc mentem & animum; illa corpus tantum molestant. Ira præterea stulti, quod ratione careat, est omnino impetuosa & belluina, neque sedari facile potest, quod rationem nullam admittat, nec audiat. At sapientum ira est rationi consentanea & moderata, faciléque placatur. Furunt autem stulti & improbi præcipuè, cum de sua stultitia & improbitate seriò admonentur.

4. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?*

EST autem ira stulti ob id quoque deterior & intolerabilior, quia nullam adiunctam habet misericordiam. Statim namque insani furor erumpit in cædem, vel vindictam, vel aliam absurditatem: adeoque furoris illius vim concitatique spiritus impetum ferre perdifficile est. Hæc fere offert nostra Editio, verum Hebraica inter iram, & furorem, & inuidiam comparatione factâ, inuidiam ira & furore multis partibus deteriorem asserit; habet autem in hunc modum: Crudelitas est in ira, & impetus quasi exundantium aquarum in furore, ast coram inuidia quis consisteret? quasi dicat nemo omnium: vtráque enim passione longè immanior est inuidia. Nam licet furor & ira sunt impetuosa, cito tamen transeunt & euanescunt; inuidia autem finem nescit. Quotidie enim magis magisque crescit. Furor adhæc & ira sunt aperta, atque ita incommoda, quæ indè oriuntur, vitari possunt; inuidia autem latet, adeóque inuidi insidiæ & tela haud facile caueri possunt. Ira denique & furor blandis verbis & beneficiis mitigatur; inuidia autem beneficiis incenditur: mitto hic inuidiam sibi ipsi, quàm aliis longè molestiorem esse. Symbolicè ira contra Ecclesiam tribuitur synagogæ, furor tyrannis, inuidia hæreticis.

5. *Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus.*

QVàm magnum & molestum malum est inuidia, tam magnum & salutare bonum est caritas. Hæc enim omnia, etiam illa quæ alioqui videntur molesta, vt sunt correptio, castigatio, aliáque eiusmodi reddit iucunda; illa contra omnia vertit in bilem & amaritudinem. Rursum licet stulti ira sit mala & crudelis, non ita tamen sapientis & amantis. Nam licèt correptio & castigatio ex ira & animi commotione nasci videantur, attamen melior & salubrior est manifesta correptio amici, imò etiam inimici, quàm amor absconditus, cuiusmodi is est, qui se non prodit, quando prodere se debet, hoc est, qui amicum non corripit vel admonet, quando correptione vel admonitione opus est. Quidam per Amorem absconditum accipiunt turpem & obscenum, qui vtique peior est manifesta correptione.

6. *Meliora*

6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.*

VT manifesta amici correptio salubrior est amore occulto; ita vulnera diligentis sunt meliora magisque fida, quàm blanda oscula odio habentis. Nam licet tam oscula quàm vulnera sint aperta, causæ tamen vtriusque sunt occultæ. Vulnera enim procedunt ex occulto amore, blanda autem oscula ex occulto odio. Tendunt hæc namque ad deceptionem, illa autem ad vitæ emendationem. Quare etiam hæc vocantur amica, illa fraudulenta. Per vulnera autem non designatur hic corporis offensio, sed acris tantum reprehensio; sicut per oscula quoque non oris suauia, sed verborum blandimenta & lenocinia.

7. *Anima saturata calcabit fauum: & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.*

ANima ventérque obsaturatus etiam fauum mellis, hoc est, quemvis dulcem gratumque palato cibum fastidit: at anima ventérque esuriens etiam amarum gustuique ingratum dulce iudicat. Atque hinc prouenit vt pauperibus bene omnia sapiant. Sunt hi enim semper vacui & famelici, diuitibus è diuerso vix quidquam numquam rectè sapit; vt qui semper sint pleni & saturi. Modus proinde non solum in cibo & potu, sed in ceteris quoque omnibus seruandus est.

8. *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.*

VT auis relicto nido huc illuc vagatur, quo sibi suisque pullis escam quærat; ita vir prudens domo, vxore, liberis, amicisque ad tempus desertis, incertis nonnumquam sedibus oberrat, quo ea quæ ad vitæ vsum sunt necessaria, sibi suæque familiæ comparet. Interim vt auis iuxta nidum hærens tutior & liberior est à periculis, quàm si vagetur, maiorémque pullorum curam habet nidum fouens, quàm de loco ad locum transmigrans; ita pater familias quoque qui sortè sua contentus domi manet & laborat, tutior & ab animi corporisque periculis immunior est, quam si de ciuitate ad ciuitatem, vel de regno ad regnum negotiorum causa peregrinetur. Sed & minori quoque periculo vxorem, & liberos, reliquamque familiam exponit, domi victum quærens, quàm peregrè subindè degens, externisque negotiis operam dans. Quod diligenter notent pastores, qui relicto grege ouiumque cura posthabita Principum aulas sectantur.

9. *Vnguento*

9. *Vnguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis anima dulcoratur.*

VT cor recreatur vnguentis variisque odoribus; ita mens oblectatur sano & ex amico pectore profecto consilio: imò non minus recreare & refocillare solent eiusmodi amica consilia, quàm si è propria pharetra essent deprompta. Nam in dubiis & perplexis rebus lucem ad ferunt. Siquidem propria consilia, tametsi bona, & apertum beneuolentiæ argumentum offerant, sapientibus suspecta sunt. Parandi itaque & fouendi sunt fidi amici, quorum consiliis si opus id fuerit iuuemur & consolemur.

10. *Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris: & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Melior est vicinus iuxta, quàm frater procul.*

VErumenimvero vbi fidum amicum nactus fueris, ne leui de causa illum deseras. Siquidem magnus thesaurus est fidus amicus, quippe qui necessitate vrgente sæpe sit promptior & fidelior, quàm sanguinis necessitudine coniunctus. Notum est enim illud Poetæ: *Fratrum quoque gratia rara est*. Sed neque patris quoque tui amicum facilé abs te alienes aut dimittas. Nam qui tot annos patri tuo fidelis exstitit, probabile sit ingenium apud te non mutaturum, nisi grauem occasionem illi dederis. Ceterum in die afflictionis, hoc est, cum aduersa fortuna te premit, ne subsidij causa fratris tui domum ingrediaris, frustra namque opem illius implorabis: vel quia inuitus erit, vel quia forsan procul aberit. Ita proinde age cum amicis tuis maximè verò cum vicinis, vt necessitatis tempore non sit necessum fratres interpellare. melior namque, vtilior, & opportunior est vicinus iuxta, hoc est, loco & animi affectione coniunctus, quàm frater animo & corpore procul positus; atque hoc quotidiana experimenta probant.

11. *Stude sapientiæ, fili mi, & lætifica cor meum, vt possim exprobranti respondere sermonem.*

FIli mi, stude sapientiæ, quò & domi bene sit cordi meo, & foris à calumniis, & maledicorum probris atque conuitiis me tueri queam. Quandoquidem si sapiens fueris, neglecti paterni officij iustè intimulari à nemine potero: sed neque tu quoque paternæ disciplinæ neglectæ iure

accusari poteris, & firmum præterea senectutis præsidium in te habebo. Solent namque sapientes filij parentum senio confectorum causas suscipere, publiceque defendere.

12. *Astutus videns malum, absconditus est: paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia.*

VIR prudentia & iudicio valens mala, quæ ex aliquo opere, dicto vel facto nasci fortassis poterant, animo pertractans se abscondit, hoc est, ab illo se continet, & abstinet: at homo simplex, rudis, rerumque imperitus citra delectum quiduis aggreditur, vnde in magna damna magnasque difficultates sæpe sese coniicit. Siquidem considerat illud tantum quod præ manibus est, in futurum autem mentis oculum non transmittit. Est enim de illorum numero, qui nec sapiunt, neque nouissima prouident.

13. *Tolle vestimentum eius qui spopondit pro extraneo, & pro alienis aufer ei pignus.*

QVO rebus tuis cautum prospectumque sit, tolle vestimentum eius, qui pro alieno (siue is Iudæus sit, siue paganus, siue hæreticus) vel homine alias ignoto spopondit, & tolle rursum pignus ab eo, qui pro extraneo fideiussit. Alias enim periculum est ne rerum tuarum iacturam facias. Nam qui Deo pactam fidem non seruat, multo minus hominibus eam seruabit.

14. *Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit.*

QVI nocte summóue mane consurgit, quò magna voce modóque inusitato amicum suum laudet, is exprobranti non est absimilis. Nam res alioqui bonæ & honestæ, si debito modo & tempore non tractantur, non sunt gratæ, neque laude dignæ: diei autem exordium non hominibus cælesti numini gratias agere, Deumq. laudare & decantare, ac deinde erga bene meritos beneuolum & gratum sese ostendere, denique summo mane amicum adire, stentoreáque voce eumdem salutare, fucatum verius quàm syncerum animum arguit. Fucatorum autem officia sunt suspecta, & inter maledictiones potius quàm inter benedictiones habenda.

15. Tetu

15. *Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur.*

ASsidua tecti perstillatio brumali tempore, & mulier rixosa æquè sunt molesta. Nam vt is, cuius tectum pluuiæ & tempestati patet, nec domi, neque foris commodè manere potest (nam & domi & foris offenditur à pluuia & tempestate) ita ille, qui litigiosam nactus est vxorem, propter continuas vxoris rixas, neque domi commodè manere potest, neque tamen abesse tutum est, ne improba mulier totam familiam perturbet atque euertat.

16. *Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dexteræ suæ vocabit.*

NEque malo huic maritus validum remedium adhibebit, si illam in angulo, aut ergastulo aut alio simili loco incluserit. Nam vt ventus sisti, manuve contineri non potest, neque vnguentum pretiosum inter digitos ita concludi, vt non effluat, suoque sese odore non prodat; ita improba mulier concludi & coërceri eâ arte non potest, vt eius clamores & furiæ ad vicinos non penetrent, & licet vicini turbas, quas excitat, non audiant, familia tamen & maritus velit nolit audire compellitur.

17. *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.*

QVid ergo superest? Aliud nihil quàm patientia animique tolerantia. Nam vt ferrum ferrum acuit; ita rixa rixam incendit: obiurgatio namque apud obstinatè improbos iram & indignationem familiarius parit, quàm morum emendationem. Vel contra morositas illius dissimulanda est, vel mollibus certè blandisque verbis illi occurrendum. Idemque in ceteris acri bile laborantibus obseruandum est. Increpatione namque magis exasperantur eiusmodi quàm incensi corriguntur. Quod si in bonam partem sententiam hanc accipias, vt accipere licet, significat mutua studia studiorumque collationem sese adiuuare. Sapiens namque sapientem reddit sapientiorem, & studiosus studiosum studiosiorem. Idem statuatur de ceteris similibus.

18 *Qui seruat ficum, comedet fructus eius: & qui custos est domini sui glorificabitur.*

VT is qui ficum à frigore, vento, aliisque incommodis diligenter custodit, dignus est qui fructuum illius suauitate perfruatur; ita ille qui

dominum suum non deserit, sed tuetur & obseruat, eiusdémque præcepta magni facit, dignus est, qui vicissim ab illo honoretur, præmiisque afficiatur. Id quod apud Deum numquam fallit. Nemo enim gratis illi seruit, sed pro vno mille reddit. Quin idem quoque probi domini obseruare solent.

19. *Quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.*

QVemadmodum facies faciem in aquis exprimit, ea nimirum quæ apparet in aqua illam quæ est extra aquam, & hæc illi quasi ex æquo respondet; sic hominum corda & ingenia à sapientibus & prudentibus ex facie deprehenduntur. Rursum vt aqua limpida & clara quasi speculum repræsentat faciem, quæ eminet extra aquam; ita cor hominis vel interior homo repræsentat sibi se ipsum. Est enim illud homini pro speculo in quo se ipsum cognoscere potest. denique vt aqua fallit simplices, qui eam intuentur (offert enim faciem, quam non continet) sic cor hominis amicitiam, quàm non habet, præ se ferens, fallit hominem incautum. Alij alio modo hunc locum exponunt, sed prima expositio est commodior.

20. *Infernus & perditio numquam implentur, similiter & oculi hominum insatiabiles.*

VT infernus multitudine hinc excedentium, & ad inferos migrantium numquam impletur, neque vnquam angustior redditur, neque saturatur (semper enim clamat, Adfer adfer) ita corporis quoque & mentis oculus videndo & appetendo numquam exsatiatur. Numquam enim hic tam multa videt, neque ille tam multa cognoscit, quin plura semper videre & cognoscere cupiat: sed & sitis quoque & cupiditas habendi & possidendi caduca & fluxa fortunæ bona (quæ per oculorum cupiditatem designatur) numquam satiatur aut expletur. Nam

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Insinuatur autem per hunc locum, auaritiam non minus vitandam & detestandam esse, quàm mortem & perditionem ipsam.

21. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis.*

QVomodo conflatorium probat, & à scoria repurgat argentum, & fornax explorat & emundat aurum; ita homo probatur & exploratur ore lau-

ore laudantium. Nam vt ignis aurum probum esse demonstrat; ita vir candidus, qui ex animo aliquem laudat, laude dignum, adeóque à flagitiis & vitiis saltem grauioribus alienum esse eum, quem laudat, palam declarat. Rursum vt ignis inter verum & adulterinum aurum secernit, & quale sit ostendit; ita laus qualis sit is, qui laudatur, planum facit. Nam si is qui laudatur, propter eiusmodi laudem insolescit, & in superbiam se erigit, signum est hominem illum adulterinũ aurum vel argentum esse, hoc est, laude dignum non videri; sin autem laudatus confunditur, inuitéque sese laudari audit, indicium fit virum bonum laudéque adeo dignum esse.

Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam.

VT mortalium corda sunt diuersa, ita diuersa quoque sectantur studia. Etenim cor iniquum & iniustum intentum est ad malum; cor autem rectum sanam inquirit scientiam, earúmque rerum, quæ ad salutem sunt necessaria, cognitionem.

22. *Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius.*

NIhil fere tam sordidum aut immundum comperitur, quod arte, studio & labore repurgari, & perfici non queat: at stultus à sua stultitia nullo instrumento, nullâ arte, aut industriâ, hoc est, nullâ admonitione aut castigatione liberari potest. Etenim stultitia ita adhæret illi, tamque indiuulsè eidem insita est, vt inde auelli non queat, etiamsi in mortario in medio hordei vel tritici illum contundas, & quasi in farinam vel puluerem redigas. Tales fere stulti sunt Hebræi & hæretici. Nam hi difficillimè præcteris à suis erroribus curantur.

24. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.*
25. *Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione & generationem.*

INter œconomiæ reique familiaris ritè administrandæ partes exstat quoque agricultura, gregúmque & pecudum, & armentorum diligens cura: estque eadem ars antiquissima, vtpote ab Abele inchoata, & perpetua serie ad Abrahamum, Moysen, Dauidem, reliquósque Prophetas & Patriarchas propagata, & à multis magnis viris adeò commendata, vt Pastoris nomen etiam ad Reges, & Principes, & animarum curatores sit

translatum; imo vero Christus ipse pastoris nomine se designat, ait enim: *Ego sum pastor bonus.* Quamobrem diligenter agnosce & considera vultum pecoris tui, tuumque cor & animum ad greges tuos adiunge, neque omnia mercenariis committe, sed tu ipse quoque gregem lustra & numera, habitumque illius obserua, & reliqua quæ huc pertinent, cura. Quia aliæ opes magis sunt incertæ minusque iustæ & naturales, quàm eæ quæ proueniunt ex gregibus. hæ enim continua quadam propagatione sunt quodammodo perpetuæ: ceteræ autem casibus & periculis sunt expositæ. Diligenter proinde dum vires adsunt, & facultas finit, pecus cura, quia non habebis diuturnam id faciendi potestatem: nam & senectus paulatim obrepit, & alia impedimenta subinde occurrunt. Quod si in curando pecore diligens fueris, præter commoda, quæ inde percipies, ingentem quoque laudem hinc consequeris. Iam si tantam curam pecora exigunt, quantam exiget homo ratione præditus?

25. *Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta sunt fœna de montibus.*

26. *Agni ad vestimentum tuum: & hœdi, agri pretium.*

27. *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.*

NEque dixeris, non esse tibi vnde gregẽ pascas, licet maximè illud cupias, neque vt pascere queas, id sat tamen esse ad aiendam familiam, siquidem neutra harum querelarum fundamento nititur. Nam & pascua nusquam non sunt obuia, & fœnum in tempus, quo pascua desunt, ex montibus colligitur. Quod autem ad victum & amictum attinet, agni & oues subministrant lanam in vestem; hædi autem & hirci pretium ad emendum agrum, vel ad conducendos famulos, qui agrum excolant; capræ vero lac & caseum in familiæ vsum suppeditant: nihil est ergo vt vel aulam, vel negotiationem cum auaris mercatoribus sectetis. Nullam facit hic locus mentionem carnium, aut ferici, aut aliorum similium, sed tantum lanæ, lactis, & casei: olim namq. frugalius viuebatur, quàm hoc tempore.

AD CA

AD CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM SCHOLIVM.

1. *Ne glorieris, &c.* Salubris doctrina, qua admonemur, ne de re incerta certam sententiam proferamus, aut certum vitæ spatium nobis polliceamur, cum singulis momẽtis simus incerti.

2. *Laudet te alienus, &c.* Cognatus est hic versus cum præcedente. Vt enim ille vetebat gloriationem de crastino; ita hic præsens gloriationem vetat de se ipso. Se ipsum laudare, nisi necessitas aliud postulet, & stultum & stultorum proprium est.

3. *Graue est saxum, &c.* Docet hic iram stulti rebus omnibus grauibus grauiorem esse, idque non ipsi solum, sed aliis quoque. Nam cum iudicio & ratione careat, est impetuosa planéque intolerabilis.

4. *Ira non habet misericordiam, &c.* Videntur hæc ipsa quoque de ira stulti accipienda. Siquidem ira prudentis non caret omni misericordia, nec furor illius statim erumpit in vindictam. Contextus Hebræus assignat tria, nempe iram, furorem, inuidiam, quam ceteris peiorem definit.

5. *Melior est manifesta, &c.* Exponit quàm magnum & solidum bonum sit caritas. Hæc vna enim est quæ omnia etiam illa, quæ amara alioqui videntur, reddit dulcia. Quid enim iuuenibus præsertim ingratius est correptione? attamen dum intelligunt ex amore & caritate hoc fieri, in bonam partem accipiunt, gratiasque agunt. Contra quid blandius osculo? verumtamẽ si hostile esse deprehensum fuerit, statim vertitur in absynthiũ.

6. *Meliora sunt vulnera, &c.* Hic locus est planè affinis præcedenti. Commiscentur autem hic duo inter se valdè dissimilia; vulnera nimirum & oscula, amicus rursum & inimicus, doceturque potiora esse vulnera, acrémque reprehensionem diligentis, quàm oscula odientis & amicitiam interim simulantis.

7. *Anima saturata, &c.* Hanc sententiam probant experimenta quotidiana, & confirmat vulgatum illud dictum: *Optimum condimentum est fames.* Certum est enim cuiusque rei saturitatem generare nauseam & fastidium, Sensu sublimiori, carnis voluptatibus ad satietatem vsque affluentibus omnia cælestia desipiunt? contra verò cælestium considerationi addictis terrena nauseam ingerunt.

8. *Sicut*

8. *Sicut auis, &c.* Comparat virum, qui victus necessarij comparandi causa vxorem, liberos, reliquàmque familiam deserit, auibus quæ nido deserto escam pro se suisque pullis foris quærunt: vtrobique fit desertio, vtroque ad loca deserta reditio, vtrobique tandem nonnulla periculi aditio. Certum est namque aues tutiores esse intra nidum vel iuxta nidum, quàm procul à nido, & patremfamilias itidem domi, quàm foris securius viuere.

9. *Vnguento & variis, &c.* Comparat salubria sanaque amici consilia gratis odoribus. Etenim vt cor, imo verò totus homo recreatur suauibus odoribus; ita animo hæsitans salubribus consiliis.

10. *Amicum tuum, &c.* Cohærent hæc cum præcedentibus. Nam si tanti momenti est bonus amicus, vt animum non minus oblectet, quàm pretiosum vnguentum, ergo non temere est deserendus: siue tu ipse illum comparaueris, siue à parente hæreditaueris. Præsertim quod fidi amici necessitatis tempore non minus præstare soleant, quàm germani fratres. Inter omnes autem amicos præcipuè colendi, amandi, & conseruandi sunt vicini; hi enim semper adsunt, & in omni necessitate maximè prompti sunt, si boni sunt.

11. *Stude sapientiæ, &c.* Sumptâ patris personâ hortatur filium ad sapientiæ studium; tum quo ex filij sapientia solidam animi lætitiam capiat, tum maximè quo se à malæ institutionis probro defendere queat: siquidem improbitas & insipientia filiorum parentibus tribui solet.

12. *Astutus videns malum, &c.* Hæc sententia Cap. XXII. Vers. III. exposita est. Astutus autem ponitur hic pro prudenti & sagaci, paruulus autem pro rudi rerúmque imperito.

13. *Tolle vestimentum, &c.* Et hic quoque versus sæpius iam antè explicatus est, & ex Paraphrasi manifestus est.

14. *Qui benedicit proximo suo, &c.* Docetur hic omnia suo loco & tempore fieri debere; quippe cum omne intempestiuum secundum se soleat esse ingratum. Per vocem autem magnam eum accipimus, qui ore non mente amicus est, qualis inter alios est, qui multa promittit, & parum præstat. Nocte autem aut summo mane surgere, idem est quod intempestiuè adire, nec seruare modum quando opus, & quantum oportet.

15. *Tecta perstillantia, &c.* Prima versiculi huius pars enuclata est Cap. XIX. Vers. XIII. secunda reddit rationem cur mulier rixosa maléque morata res sit molestissima, quia videlicet nullo ingenio aut arte coërceri, aut ab insano clamore prohiberi potest.

27. *Ferro ferrum acuitur, &c.* Cohærer cum præcedenti. Nam cum improba mulier coërceri facile non queat, dandus est locus iræ. Siquidem illa vxatione ira magis incenditur quàm mitigatur.

28. *Qui seruat ficum, &c.* Confert hic ficum cum probo homine. Vterque enim probè excultus, fidéque custoditus suauem pœnéque assiduum habet fructum.

29. *Quomodo in aquis, &c.* Docetur hic vt aqua stagnans & lucida spectantium vultum ad viuum fere exprimit; ita exterioris hominis mores eiusdémque dicta & facta, ceteráque quæ oculos incurrunt, internum hominem repræsentare. Sed & ipsemet homo ex iis, quæ foris gerunt, de interioribus statuere potest. Quidam exponunt: Vt vna aqua, vel vnum speculum diuersorum hominum imaginem exhibet & exprimit, ita diuersorum hominum diuersa sunt corda, quæ omnia tamen in vno typo conueniunt.

30. *Infernus & perditio, &c.* Confert oculum humanum cum interno, quod ad inexplebilitatem, vel insaturabilitatem attinet. Scopus autem loci hujus est auaritiam summopere esse vitandam.

31. *Quomodo probatur, &c.* Simile quid legitur Cap. XVII. Vers. III. Probatur autem duplici via deprehendi posse, sitne quispiam laude dignus aut secus. Nam qui laudatur à viro prudenti & probo laude dignus censetur; similiter qui se palàm laudari inuitè audit; at qui in ore laudatus existit, aut à viro improbo laudatur, laude indignus meritò habetur.

32. *Ne inique, &c.* Hic Vers. ex LXX. Editione petitus est, nullámque cum hac litem habet. Vt enim corda sunt diuersa, ita diuersa quoque sectantur studia.

33. *Si contuderis stultum, &c.* Docetur omnia quidem à sordibus purgari posse, alia interim alis facilius vel difficilius: homines autem stultos arte aut industria à sua stultitia liberari facile posse.

34. *Diligenter agnosce, &c.* Hic locus, vt & proximè consequens quoq. de stulta pecuaria, & de fructibus, & vtilitatibus, quæ ex illa prouenirent. Nam apud veteres inter omnes artes & curas agricultura arsque pastoralis primatum obtinebant.

35. *Operta sunt prata, &c.* Explicatur per hæc vitæ pastoralis facilitas, & vtilitas, atque felicitas. Nam & æstate pascua nusquam non sunt obuia, in tempus hybernũ suppeditant montes. Ipsi autem greges & familiæ ad vitæ vsum necessaria omnia, & id quidé cumulatè.

PARAPHRASTICA CAPITIS VIGESIMI OCTAVI EXPLANATIO.

1. *Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.*

IMpij, quod malè sibi conscij sint, præ ceteris sunt timidi & meti losi. Metuunt enim semper ne diuina vindicta illos obruat, aut aliqu aliud incommodum in peccati pœnam sibi accidat. Iusti autem, qu nullius grauioris peccati conscientia premantur, instar leonum intre imperterritiq. sunt, deque diuina prouidetia & auxilio fortiter confidu

2. *Propter peccata terræ multi principes eius, & propter hominis sapienti & horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit.*

POpuli prouincialiumque peccata & præuaricationes in causa sunt, iidem Principes non diu in imperio persistant, sed alij alis subin succedant, id quod in magnum cedit plebis damnum, communitatis detrimentum; singuli namque nouis exactionibus & grauaminibus s ditos onerant. Eadem populi peccata promerentur quoque, vt plure mul regnent, quod æquè calamitosum est subditis, atque alterum ill Singuli enim suis commodis potiri, regalique luxu viuere volunt; id qu citra ingentes sumptus fieri nequit. At verò propter Principes, corúm qui ipsis à consilio sunt, sapientiam & intelligentiam, & eorum rur quæ in regno fiunt, notitiam, prolongatur eius imperium. Siquidem d hæc efficiunt vt vitia corrigantur, & virtutes iusta præmia sortiantur.

3. *Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi in quo paratur fames.*

HOmo pauper, qui vi, aut calumniis, aut alia via pauperem oppri similis est impetuosæ pluuiæ aut vehementiori imbri. Nam vt plu impetuosiores terræ fructus non recreant neque vegetat, vt naturaliter berent, sed lædunt & obruunt, ideóque famem & egestatem pariunt pauper pauperi non condolens, nec opem illi ferens, vt ratio dictabat, c tra rei naturam operatur. Solent enim eiusdem sortis homines sibi mu

operam præstare, seseque mutuo iuuare. Aduertant hæc prælati, qui cum ipsi sint miseri peccatores, seuerissimos tamen iudices peccatoribus sese exhibent: tum pauperes quoque Principes, qui pauperes subditos vsque ad ossa sæpe excoriant.

4. *Qui derelinquunt legem, laudant impium, qui custodiunt, succendunturcontra eum.*

VIri impij legisque præuaricatores laudant impios legisque transgressores tanquam sibi similes (simile enim simili gaudet) at fidi legis custodes legis præuaricatoribus succensent zeloque iustitiæ incensi, contra eos tanquam contra Dei hostes insurgunt. Interest itaque multum reipubl. bonosne an malos habeat administros & duces: hi enim hortantur in legis præuaricationem, quod cedit in magnum reipubl. detrimentum; illi contra ad legis obseruationem. Hæc autem obseruatio mirificos parit fructus.

5. *Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.*

MAli rursum & improbi viri, neque cogitant, neque curant, neque intelligunt iudicium, sed neque æquum & bonum quidquam faciunt: at qui Dominum inquirunt, eidemque placere ex animo student, illi luce diuina perfusi, facile & quæ facere, & quæ vitare debeant intelligunt. Mali rursum peccatis occæcati futurum iudicium, alteriusque sæculi supplicia & præmia flocci faciunt, raroque eiusmodi res perpendunt; iusti autem hæc omnia diligenter animo pertractant, vitamque ad eum modum instituunt, vt coram horrendo illo tribunali securè apparere queant.

6. *Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quàm diues in prauis itineribus.*

MElior præstantiorque est pauper in vitæ integritate & perfectione ambulans, legisque præceptum studiosè obseruans, quàm diues ipse perditéque viuens, viamque peccatorum consectans: siquidem opes & virtutes nulla est comparatio. Sunt enim hæ illis multis partibus præstantiores, mortalium tamen vulgus magis suspicit & admiratur opes quàm virtutes

7. *Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem commessatores pascit, confundit patrem suum.*

QVI legem diuinæque sapientiæ præcepta obseruat, verè sapiens e[st] sendus est: qui autem alit homines edaces & otiosos (cuiusmod[i] parasiti, adulatores, ludiones, aliique id genus complures) geniód[e] dulget, ad eum statum, & paupertatem tandem redigetur, vt se[ipsum] suosque parentes magno pudore afficiat.

8. *Qui coacerua t diuitias vsuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.*

QVI congregant opes vsuris & fœnore, hoc est, per fas & nefas [omnes] lásque vias & artes, non in proprium vsum congregant eas. N[on] enim pacatè quietéque iis vnquam vtentur: verum aut morte inten[ta] stina abrepti, vel à iudice per legitimam sententiam spoliati, vel alia[s] denudati homini in pauperes liberali illas relinquent. Siquidem no[n] stabile, quod per malas artes comparatur, maximè verò quod per vsu[ras]. Sunt enim illæ Deo hominibusque apprime ingratæ & exosæ.

9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

QVI Dei legem audire, eidémque parere detrectat, angustiis pre[ssus] à Deo vicissim non audietur, & hoc quidem iustissimè. Nihil en[im] æquius quàm eum clamantem non audire, qui Deum inuitantem audi[re] eiusdemque præcepta obseruare non voluit.

10. *Qui decipit iustos in via mala, in interitu suo corruet, & simplices possidebunt bona eius.*

QVI dolo vel fraude iustos à via recta abducit ad viam malam & p[er]quam & quod in se situm est, in præcipitium & foueam eos dei[cit] ille in illud ipsum præcipitium incautus corruet, malúmque, quod alis [fe]cerat, ipse sentiet. At simplices doliqúe & fraudis expertes non so[lum] à malis & insidiis, quas improbi illis parabant, liberabuntur; verum e[tiam] per Dei misericordiam & benignitatem bona illa, quæ Deum diligen[ti]bus præparata sunt, quietè possidebunt, omniáque ex animi sententia [illi] succedent.

11. Sapiens sibi videtur vir dives, pauper autem prudens scrutabitur eum.

VIR opibus valens videtur sibi sapiens, ceterisque non diuitiis tantum, sed prudentia quoque & sapientia præstãs. Siquidem opes parit sapientiæ opinionem & arrogantiam, idque cùm aliorum contemptu. Ista autem huius est, quia diuites magistratibus præficiuntur, adeóque honorantur, & interdum quoque consuluntur, hæc autem omnia suæ tribuunt sapientiæ. Prudens verò tametsi pauper, non statim miratur diuitem tanquam sapientem: verum explorat illius dicta & scrutatur que veræne sapientiæ sint consentanea, an secus.

12. In exultatione iustorum multa gloria est: regnantibus impiis ruinæ hominum.

Sic ob felicem rerum successum exultante, simul reliqui quoque exultant. Lætantur namque iusta præmia virtuti obtingere: verum vbi impij exultantur & regnant, ibi boni omnes mærent & lugent; & si commoditates sunt, è medio se submouent. Nam impij nihil nisi subditorum ruinas moliuntur. omnia enim miscentur & confunduntur, vbi impij & improbi rerum potiuntur; sicut è diuerso omnia florent, vbi iusti regnant.

13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.

HIS magna est confessionis, magnáque eiusdem vtilitas & necessitas: quippe cum citra illam salus non obtingat. Qui scelera sua abscondit, inquit Sapiens, neque peccatorum remissionem, nec vllum prosperum successum sortietur: qui autem ea confessus fuerit, confessáque non reliquerit, misericordiam, scelerúmque admissorum condonationem consequetur. Est itaque fuitque semper confessio ad salutem necessaria, salutem, quæ fit Deo, hoc autem tempore ea quoque exigitur, quæ fit coram sacerdote, si tamen facultas adest, & letalis peccati labes vrget. Quod si ita de causa tegeret, hoc est, ideo clam peccaret, ne alios prauo exemplo offenderet, prudenter ille faceret, non quidem peccando, sed malum vitando.

14. Beatus homo qui semper est pauidus, qui verò mentis est duræ, corruet in malum.

BEatus ille qui salubri Dei timore concussus, vindictámque veritus ſ
ſtinet à peccato, aut ſi per infirmitatem in illud incidit, comm
tempestiuè confitetur, perque veram pœnitentiam exstinguit. Por
tem qui mentis est duræ & obstinatæ, peccatumque peccato citra ho
rem accumulat, ille tandem in malum, hoc est, in æternam condemna
nem, vel certè in graue aliquod incommodum incidet. Pugnat hic le
vt qui maximè contra inanem illam hæreticorum fiduciam, & de spe
fide iactantiam.

15. Leo rugiens, & vrsus esuriens, Princeps impius super populum paupe

MIsera populi illius est conditio, qui sub tyrannis vel impiis prin
bus degit. Neque enim aliud est Princeps impius & egenus, q
vel leo rugiens, vel vrsus esuriens: vtrumque autem animal est fa
immane, & crudele, præsertim cum fame torquetur: neque enim co
tum est animantis sanguine, sed deuorat omnia vsque ad ossa ipsa. Se
miserrimus quoque & periculosissimus Principum est status, qui paupe
subditos, quorum patres & pastores esse debebāt, ita tractant, exhaun
& depascuntur, vt rugientibus leonibus, vrsisque esurientibus simili
sint quàm hominibus. Vocantur autem leones rugientes propter cr
lia edicta & mandata, quæ subindè proponunt; vrsi autem esuri
propter immanis auaritiæ ingluuiem, insatiabilemque habendi sit
famem.

16. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui aut odit auaritiam, longi fient dies eius.

DVces & Principes, qui Principum officium erga suos subditos ign
rant, vel cognitum exercere detrectant, ferarum belluarum more
uientes, multos passim ex suis per vim & calumniam opprimunt, suis
bonis iniustè exuunt; adeóque immatura morte, vel à suis in hostium p
testate deserti, vel etiam trucidati, è medio tolluntur. At verò qui subd
suos opibus & virtutibus augent potius quàm spoliant, & ab omni a
ritia alienos se conseruant, illi longæuam vitam ducunt. Nam & fidel
à suis defenduntur & custodiuntur, & Deus quoque quasi certam b
operis animique candidi mercedem productam illis vitam largitur.

17. H

17. *Hominem qui calumniatur animæ sanguinem, si vsque ad lacum fuerit nemo sustinet.*

QVI sanguinem animæ calumniatur, hoc est, qui per cædem aliena bona occupat, sanguinémque, qui sedes est animæ, iniustè effundit, cùm ad sepulcrum confugerit, aut ad lacum aut quemvis alium locum sese receperit, cladem non euadet; quia nemo opem illi ferre quò minus capiatur, impediet: quin omnes potius, quod scelerationè indignus videatur ad mortem vsque illum persequentur.

18. *Qui ambulat simpliciter, saluus erit, qui peruersis gradiur viis, concidet semel.*

QVI perfectam innocentémque vitam ducit, neminem lædens, nec quemquam concutiens seruabitur; qui autem peruersa via incedens, modò hoc, modò in illud flagitium prolabitur, aut modò hunc modò illum molestat vel etiam trucidat, ille licet florere videatur, & supplicium impunè euadat, tandem tamen in illud incidet, si non in hoc sæculo, in futuro.

19. *Qui operatur terram suam satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate.*

QVI terram suam diligenter exercet & excolit, ille pane saturabitur, cibisque omnibus ad vitæ cultum necessariis affluet: qui autem hominésque otio deditos sectatur, magna premetur fame & egestate. Nam eum est namque vt ille non habeat, quod manducet, qui omnem laborem necessariumque laborem detrectat, adeóque fame & inedia pereat. Id locum etiam non minus in spiritalibus quàm in temporariis.

20. *Vir fidelis multum laudabitur: qui autem festinat ditari, non erit innocens.*

VIR fidelis & in contractibus iustus apud homines commendabitur, ditisque benedictione cumulatus, largas opes consequetur: qui fas & nefas festinat ditescere, non erit impunis. Nam & apud homines male audiet, & apud Deum iustas aliquando iniustitiæ suæ pœnas luet. Quemadmodum ergo otium modis omnibus sit vitandum, non ita tamen laboribus est insudandum, vt propter illas quamcumque iniquitatem sectari.

21. *Qui*

21. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non benefacit, iste & pro buccella panis deserit veritatem.*

MAlum & turpe & iniquum est agnoscere faciem in iudicio, hoc est personam personæ citra iustam causam præferre. Nam etsi personarum acceptio vbique noceat turpisque existat, maximè tamen in eo loco vbi ex instituto de iustitia agitur, hoc est, in legitimo iudicio. Imò vero hoc προσωποληψίας vitium ita occæcat & peruertit hominem, vt pro parua buccella, reque minimi momenti veritatem vendat ac deserat. Quamuis etiam munus magnum sit cum veritate tamen ipsa comparatum res est nullius pænè ponderis.

22. *Vir qui festinat ditari, & aliis inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei.*

VIR auarus qui opportunè & inportunè ad opes properat, gemini plerumque morbo laborat, auaritia nimirũ & inuidia. Nam & per fas & nefas tendit ad opes, & ægrè patitur suæ professionis alium aliquid lucrari. Vellet enim, si fieri posset, solus totum lucrum intercipere. Eiusmodi autem iniustum & inuidum hominem duplex egestas opprimet, altera rerum caducarum in hac vita, saltem secundum meritum, altera in futuro sæculo si tamen ante mortem non resipuerit. Opprimet autem egestas illum incautum & imprudentem; quia auaritia & inuidia excæcatus futura non considerat.

23. *Qui corripit hominem, gratiam posteà inueniet apud eum magis, quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit.*

QVI corripit hominem à recta veritatis via aberrantem, vel à diuina lege recedentẽ, maiorem apud Deum & illum ipsum quoque, quem increpat, init gratiam, quàm ille qui per linguæ blandimenta in errorem ducit, adulandóque & blandiendo decipit. Adulator enim semper obest. Qui autem vitia arguit, licet interdum molestus sit, apud morigeros tamen semper prodest.

24. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum: particeps homicidæ est.*

GRauiter hallucinantur, grauique periculo sese exponunt, qui sibi persuadent parentes expilare aut nullum, aut exiguum peccatum e-

ſe. Nam qui clanculum per furtum vel fraudem patri vel matri aliquid abſtrahit, & peccatum id eſſe inficiatur, ille homini exterminatori & latroni affinis videtur; quia tales eiusmodi perditis hominibus adiungunt, parentésque ad eam inopiam paulatim redigunt, vt fame eiusmodi moriantur, adeóque non immeritò paricidis comparantur.

25. *Qui ſe iactat & dilatat, iurgia concitat, qui verò ſperat in Domino, ſanabitur.*

QVI animo elato ſe iactat, is lites plerumque excitat miſcétque contentiones. Nam cum magnis deſideriis æſtuet, eáque quovis modo implere ſtudeat, multorum animos offendat, & diſcordiarum ſeminarium oportet. Qui autem ſorte ſua contentus, ſpem omnem in Deum reiicit, nemini ſua diripit, imò mori potius, quàm aliena deſiderat, huic nihil neceſſariorum vnquam deerit; quin potius omni ad victum & amictum neceſſariarum copia abundabit, & ab omnibus mortem vel cladem inferre nata ſunt Deo ſalutem eius propulſare immunis erit.

26. *Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt, qui autem graditur ſapienter, ipſe laudabitur.*

QVI ſui ſolius cordis conſiliis & cogitationibus confidit, nullúmque alium in conſilium adhibet, ſed in omnibus ſtudiis & actionibus ſuarum iudicium & ſenſum ſectatur, ille & ſtultus eſt, & propter ſtultitiam in multa mala & incommoda incidet: at qui ea ſapientia vtitur, vt in omnibus ſapientes vel ſapientiam ipſam ducem habeat, ille, ſi malum incidat, cuſtodietur & ſeruabitur, vel ſi in aliquod incommodum forſan inciderit, citò inde per Dei ſapientiam & gratiam eruetur. Ipſe autem ſapienter ambulat, qui ſapientiæ præcepta diligenter obſeruat.

27. *Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.*

QVI in pauperes beneficus & liberalis eſt, adeo non egebit, vt larga quoque Dei benedictione, magnisque opibus ſit potiturus. Contra pauperem deprecantem, opemque & ſubſidium miſerè implorantem deſpicit, oculúmque & aurem ab illius intuitu & clamoribus auertendus replebitur, magnamque penuriam patietur. Nam licet hic

cet hic necessariis non destituatur, in altera certè vita cum diuite E[illegible] aquæ guttam implorabit, neque tamen impetrabit.

28. *Cum surrexerint impij, abscondentur homines: cum illi perierint, multiplicabuntur iusti.*

CVM impij surgunt, & ad magistratus & dignitates euehuntur, piíque homines, quos odio prosequuntur, quorúmque vitæ & fa[illegible]nis improbi magistratus insidiantur, sese abscondunt, & ne vel in [illegible]rem deiciantur, vel in exilium pellantur, è medio sese subducunt: [illegible] cum impij exauctorantur, æquíque & iusti magistratus in illorum [illegible] sufficiuntur, tum demum iusti crescunt, florent, & multiplicantur: qui ante latebant in lucem prodeunt & qui in vinculis tenebantur, [illegible] exire permittuntur & qui in exilium pulsi erant, reuocantur, m[illegible]nique illorum exemplo & institutione ad iustitiam prouocantur & [illegible] ducuntur. Magni proinde refert bonos habere duces & magistratus.

A D

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM

SCHOLIVM.

1. *Fugit impius, &c.* Docetur impios tanquam malè sibi con[illegible] vbique trepidare; iustos contra, quod bona conscientia [illegible]tur, vbique intrepidos esse.

2. *Propter peccata terræ, &c.* Monet crebram Principum mutation[illegible] eorumdémque multiplicationem ex populi peccatis præcipuè prouen[illegible] Vtrumque enim cedit in manifestam populi pœnam, & cladem, co[illegible] vero plebis pietatem in causa esse, vt iidem diu præsint, & feliciter præ[illegible] Illud *Propter eorum, quæ dicuntur, scientiam* variè exponitur. Qu[illegible] referunt ad consilia, quæ dantur, alij ad notitiam rerum, quæ in re[illegible] fiunt, alij ad leges & statuta, quæ feruntur, vel iam lata sunt.

3. *Vir pauper, &c.* Confert virum pauperem alios pauperes oppri[illegible]tem cum impetuoso imbre. Nam vt pluuia spargitur, vt segetes cete[illegible] humi nascentia recreet & vegetet, non vt latè omnia conculcet atque [illegible] tristet, vti vehementior imber solet; ita pauper quoque pauperi c[illegible]

eandem ferre deberet, tanquam suæ conditionis sortisque homi-
non autem eundem spoliare, aut opprimere.

Qui derelinquunt legem, &c. Hæc sententia docet, quod quotidie ex-
tempe simile simili gaudere. Improbus enim amat improbum,
que periurum, bonus rursum bonum, & iustus iustum; sicut è
dissimiles se mutuo vel non ferunt vel ægrè ferunt. Neque enim
fert impium neque impius iustum.

Vi mali non cogitant, &c. Aliud hic inter iustum & impium discri-
signat. Mali enim nec cogitant, nec amant, nec cognoscunt iudi-
neque vllam futurorum rationem habent: at iusti, qui Dominum
runt, semper ad iustum & æquum oculum intentum habent.

Melior est pauper, &c. Eadem ferè leguntur Cap. XIX. Vers. I. nec
scura sententia. Plus enim valent apud Deum virosque prudentes,
res, quàm opes.

Qui custodit legem, &c. Docet qui legem parentúmque præcepta ser-
sapientem esse: eum contra, qui comessationibus vacat, parentes con-
e, eosdémque ad extremam miseriam & pauperratem redigere.

Qui congerunt divitias, &c. Monet qui per vsuras & fœnera opes co-
eiusmodi opes non relicturos, verum eos qui in pauperes liberales
unt. Res est enim teterrima quæstus vsurarius, adeóque digna quæ tali
modo castigetur.

Qui declinat aures, &c. Et horum quoque pœna iusta est. Nihil enim
quàm illum clamantem repellere, qui Dei legem audire non
Dei autem legem repellunt, vel non audiunt, qui illam vel illius
contemnunt, vel iisdem quoque non credunt.

Qui decipit iustos, &c. Interitum hic illis interminatur qui iustos à
via in errorem vel cladem abducunt. Conuenit in hæreti-
ex instituto seducendis orthodoxis dant operam.

Sapiens, &c. Opes hominibus stultis, & improbis conciliant arro-
cum aliorum contemptu coniunctam. Caussa huius est, quia di-
ceris honorantur, & ad magistratus promouentur: vtrumque
sapientiæ, cum tamen eiusmodi honor non defe-
sapientiæ, sed opulentiæ. Pertinet huc illud Ecclesiastici
locuus est, & omnes tacuerunt: pauper locuus est, & dicunt
&c.

Gubernatione, &c. Loci huius scopus est, in bonorum guberna-

torum institutione rempubl. florere; in malorum autem promoto cere, turbisque & miseriis repleri.

13. *Qui abscondit scelera, &c.* Commendatur hic confessio tanq efficax ad obtinendam peccatorum remissionem medium: perst hic locus eos quoque, qui peccata homini non imputari nugantur, dem habuerit.

14. *Beatus homo, &c.* Redditur hic ratio cur peccatum confes sit inducendum: ea autem est timor vindictæ diuinæ. Videri tamen q locum hunc ad castum timorem rectius referri, quàm ad pœnarum incommodorum formidinem: sicut mens dura quoque ad timoris h vacuitatem.

15. *Leo rugiens, &c.* Confert hic impium inopemque Principem leone rugiente & vrso esuriente. Nam vt hi fame impulsi sunt sæuiss ita impij & inopes Principes in suos subditos sunt crudelissimi. Atque vitium si anteà vnquam, hoc certè tempore sæuit maximè.

16. *Dux indigens, &c.* Explicatur hic qua ratione miseri sunt, qui tyrannis viuunt, tum qui sint illi Principes, qui proximè cum leonib vrsis comparabantur: nempe illi, qui gubernandi prudentia carent, suum erga subditos officium intelligunt. Loci autem huius scopus Regnum subditorũ fide & benevolentia potius niti, quàm vi aut pecu

17. *Hominem qui calumniatur, &c.* Docet in quantis vitæ periculis sentur quantóque odio grauentur, qui alienæ vitæ propter auaritiam fidiantur. Per sanguinem autem animæ designat vitam; hæc enim co stit in sanguine. Quare homicidæ Viri sanguinum appellari solent.

18. *Qui ambulat simpliciter, &c.* Docetur hic eos, qui in vitæ integri ambulant, saluos futuros; contra verò qui peruersam viam ingredi tur, tandem perituros.

19. *Qui operatur, &c.* Similis locus exstat Cap. XII. Vers. XI. Con nit autem in vtramque terram, & vtramque rursum famem & egestate elementalem nimirum & mysticam.

20. *Vir fidelis, &c.* Significatur hic homines fidos institiæque dei diuina benedictione potiri, opulentósque & fortunatos euadere, il verò qui malis artibus ditescere festinant, pœnam non euasuros: opo proindè in omnibus medium seruare. Nam vt ignauia est mala; ita m anxietas & sollicitudo non est bona.

21. *Qui cognoscit, &c.* Hic locus Cap. XXIV. expositus est, repeti

magisque inculcatur, quia προσωποληψία reipublicæ priuatisque hominis est perniciosissima. Cadit autem hoc vitium non in quos vis iudices, sed in viles & abiectos, cuiusmodi sunt, qui pro panis buccella animam suam vendunt, veritatémque peruertunt.

Vir qui festinat, &c. Impinguntur hic auaro duo vitia; iniustitia nimirum & inuidia. Nam & per fas & nefas tendit ad opes, & ægrè patitur alienum lucrari. Vocat autem inuidum Virum mali oculi, quia felicem alterius successum inuitè cernit.

Qui corripit hominem, &c. Loci huius scopus est, vtiliorem esse temporariam correptionem, etiamsi initio minus sit grata, quàm intempestiuam adulationem.

Qui subtrahit aliquid, &c. Comparat eos homicidis, qui parentes solum expilant, eámque expilationem peccatum esse negant. Contra Hebræus habet, tales esse socios hominum dissipantium & exterminantium, sed in idem pœnè redit.

Qui se iactat, &c. Agit hic locus contra eos, qui superbia elati, insatiáque habendi siti concitati, cœlum terræ miscent, omniáque iurgiis & contentionibus implent, qui proinde ad magnam tandem miseriam & egestatem rediguntur; sicut qui ab alienis abstinent, diuina benedictione locupletantur, æternæque vitæ præmia ad finem consequuntur.

Qui confidit in corde suo, &c. Qui sua consilia suasque cogitationes certam actionum suarum regulam sectatur, hoc loco appellatur stultus: cum eiusmodi regula sit incertissima, & in varia abeat principia. Discimus hinc ergo Deo potius diuinæque sapientiæ fidendum, quàm propriis cogitationibus priuatisque consiliis.

Qui dat pauperi, &c. Commendatur hoc versu eleemosynarum largitio. Promittitur autè illis rerum omnium affluentia qui strenuè illud faciunt: è diuerso extrema inopia, qui negligunt, vel pauperes cum contemptu abiciunt.

Cum surrexerint impij, &c. Assignatur hic discrimen status rerum, quod in magistratum euehuntur, submotis iustis & pijs, & dum iudicantur. Etenim cum impij regnant, iusti latent, magis magisque decrescunt: impij autem florent; contra verò cum iusti claui iudicij numero, & meritò crescunt, iniusti autem lucem fugiunt.

PARAPHRASTICA CAPITIS VIGESIMI NONI EXPLANATIO.

1. *Vir qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur.*

VIR qui frequenter increpatur, suíque officij admonetur, nec tamen emendatur, sed dura ceruice obstinatóque animo omnibus increpationibus resistit, & in suis sceleribus & flagitiis pertinaci voluntate persistit, subita ruina & clade obteretur, insanabili vulnere sauciabitur. Etenim quousque peccator quispiam admonitionem patienter admittit, etiamsi non statim emenderur, salutis spes superest: verum cum eò malorum deuenit vt nullam amplius ferat reprehensionem, de illius pœnitentia nulla vel certè exigua spes restat. Est autem hic sermo non de iis tantum increpationibus, quas homo homini adhibet, sed de quoque per quas Deus hominem peccatorem ad pœnitentiam sanandam mentem variis modis prouocat.

2. *In multiplicatione iustorum lætabitur vulgus: cum impij sumpserint principatum, gemet populus.*

CVM iusti regnant & crescunt, pius rectéque institutus populus lætatur: quia quò plures sunt iusti, qui præsunt, eò in ciuitate maior pax, tranquillitas & prosperitas (hanc autè communis comitatur lætitia). Contra verò cum impij dominatum obtinent, populus gemit, quippe gravis oneribus grauatur, vexatur, & ab omnibus bonis operibus impeditus, neque habet apud quem sua onera suasque querelas tutò deponat.

3. *Vir qui amat sapientiam, lætificat patrem suum, qui autem nutrit scorta, perdet substantiam.*

MVltum interest inter eum, qui amat sapientiam, & eum qui amat scorta. Nam qui amat sapientiam is scorta non amat (nihil enim alienius à sapientia, quàm scortatio) suámque substantiam adeo non dilapidat, vt eandem quoque augeat, & suos præterea parentes mirifice creet: parentes namque admirabile gaudium ex liberorum sapientia nasci

quæ eorundem vita concipiunt: qui autem scorta amat & fouet, non solum sapientiæ hostem se ostendit, verum propriæ quoque substantiæ, imò quoque vitæ & animæ. Siquidem scortatio non solum opes exhaurit, animæ quoque & corporis vires, vt quotidiana experientia probat. Nemo peius nutrire vel amare scorta, quàm scortum: illud enim vaniedicat libidinem, hoc non item. Ad hæc plura quoque insumunt quàm scortum.

4. *Rex iustus erigit terram, vir auarus destruet eam.*

Nil pernicioſius, nihil moleſtius, nihil oneroſius Principe auaro & multo (raro namq. iniuſtitia ab auaritia ſeiungitur.) Nam vtæqui Principes per iuſtitiæ culturam ditionem ſuam, etiamſi prius afflictam, erigunt, cultámque & florentem reddunt (vt qui & bonas vrbes, & vitia plectant, & præmia meritis perſoluant) ita è diuerſo auari munera diligunt, opésque & pecunias quærunt, regnum ſubditos iniquis legibus iniuſtisque exactionibus miſerè opprimunt, & euertunt: ſed & ſacra quoque Deoque conſecrata & dedicata ſacrilegio inuadunt, & ad ſuum fiſcum trahunt, & multis præterea aliis & iniquitatibus ſe polluunt.

5. *Homo qui blandis fictisque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſsibus eius.*

Qui blandis fictisque ſermonibus amico blanditur & adulatur, aliud facere videtur quàm quod pedibus eius laqueum tendit, laqueum eiusdem & ruinam moliatur. Nam vt aues fiſtula allectæ, eſca pertrahuntur in rete & in mortem; ita incauti fallacibus adulatorum simulatorum amicorum blanditiis capti in magnam ſæpe perniciem & eadem præcipites trahuntur. Conuenit in dæmonem & ministros eius hæreticos.

6. *Peccatum virum iniquum inuoluet laqueus, & iuſtus laudabit atque gaudebit.*

Iniqui & impij non ſecus ſuis conſtringuntur peccatis, atque inextricabilibus quibusdam laqueis. Nam etſi ſcelerum pœnam non ſentiant, in altero tamen ſæculo promeritum ſupplicium numquam euadent, denique illi iuſto Dei iudicio in laqueos, quos inſontibus parauerant,

uerant, frequenter incidunt, adeóque iustis iustam lætitiæ laudisque
sam offerunt. Laudant enim Deum & celebrant propter exercitia
stitiam iustámque vindictam malis irrogatam: gaudent adhæc se
queis & periculis in quibus versabantur liberatos, eadémque in hoc
suorum caput conuersa.

7. *Nouit iustus causam pauperum, impius ignorat scientiam.*

IVstus pauperum causam cognoscit, cognitámque sibi commen
habet; iniustus autem & impius eam quasi nihil ad se pertinente
gligit, efficitque vt pauper ius suum obtinere non possit, id quod
est peccatum: quia non tantum iustitia hac iniuria & negligentia
tur, sed pauper quoque ad extremam sæpe miseriam & desperatione
digitur, & Deus tandem qui pauperum patrocinium suscipere solet
iorem in modum offenditur. Quamvis enim pauperis persona in re
respici non debeat, ita vt aliquid propter commiserationem illi adi
tur, quod iure ad illum non pertinet, eius tamen causa non debet ne
sed diligenter tractari & examinari, vt qui propter inopiam potente
tronos conducere non queat, neque iudices muneribus corrupere fo

8. *Homines pestilentes dissipant ciuitatem, sapientes verò auertunt furorem.*

NON tantum reipubl. felicitas, sed Ecclesiæ quoque pax & tra
litas in bonorum gubernatorum prudentia, pietate, & iustitia
cipuè consistit. Nam vt homines pestilentes, sacráque & profana
deridentes, ciuitatem dissipant, & in laqueos inextricabiles eandem
iiciunt; ita viri sapientes iustitiæque amantes, cladem diuinumque
rem ab illa auertunt, florentémque & fortunatam suis consilis suáque
ministratione reddunt.

9. *Vir sapiens si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem.*

SI sapiens cum virò stulto iudicio contenderit, siue serio agat, siue
hoc est, siue verbis seriis indignationem suam ostendat, siue ra
illius irrideat, nulliusque ponderis esse demonstret, numquam in
requiem. Semper enim stultus & improbus antagonista excipiet
tatiq. & iustitiæ sese opponet, atque ideo non verbis cum eo certan
sed vel verberibus, vel certè ab illius commercio omnino abstinen

10. *Viri sanguinum oderunt simplicem: iusti autem quærunt animam eius.*

VIri sanguinarij perditæque vitæ sicarij, integros inculpatæque vitæ homines tanquam sibi contrarios, morumque suorum hostes oderunt: iusti autem æquique iudices dant operam vt tales defendant, & ab impiorum iniuria vindicent. Hoc enim munus inculpatorum iudicum est proprium, nempè legibus pœnisque à scelere prohibere sceleratos, insonsque ab iniuria asserere.

11. *Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt & reseruat in posterum.*

STultus & improbus cum alibi sæpe, tum maximè in iudicio totum suum spiritum, totámque iram & furorem suum simul effundit, nec ira tantum, sed totum reliquum quod in pectore habet: at sapiens vt iram suam moderari nouit; ita non omnia simul depromit, sed multa in aliud tempus reseruat & reiicit. Nec enim omnia vnò loco aut tempore dicenda aut exponenda sunt.

12. *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.*

QValis est Princeps, tales habere solet ministros. Quamobrem si ita comparatus est, vt veritatem ex animo diligat, fucúmque & mendacium odio habeat serios veracesque ministros possidebit, sin autem verbis oblectatur vanis & mendacibus, omnes ministros futiles atque mendaces habiturus est. Nam ministri ad dominorum mores & ingenia componere se solent. Quare si aduertant eos nugis, obtrectationibus, & adulationibus capi, nugantur, obloquuntur & adulantur: sin autem veritatis & grauitatis studio teneri, veritati & grauitati dant operam.

13. *Pauper & creditor obuiauerunt sibi: vtriusque illuminator est Dominus.*

NON vnius conditionis, status, & ordinis Deus fecit omnes, sed dissimilis; omnes tamen si sibi non defuerint, lucémque cœlestem ad vbiro oblatam non repulerint, illuminare, seruare & iustificare paratus est. Nam & diues & pauper, sanus & æger, nobilis & ignobilis, vsurarum & soluens, debitor & creditor sibi inuicem occurrunt, & quod ad Deum attinet, similes sunt, eodémque apud ipsum gradu sunt:

omnes namque ſaluare vult & ſeruare quoque paratus eſt, ſi tamen ipſi quoque velint, ſtrenuéque id quod in ſe eſt, præſtiterint.

14. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.

MVltum valent fortes milites, valida propugnacula, amplus commeatus, aliáque eiusmodi ad regni munitionem: at multo plus possunt iustitia & æquitas, iustáque pauperum defensio. Regis enim thronus, qui pauperes in veritate iudicat, hoc est, qui iusto iudicio eorum causam defendit, firmatur in æternum, hoc est, longo temporis spatio in hac vita, & in altero sæculo in omne æuum. Magnam proinde mercedem promerentur & consequuntur, qui iustam pauperum defensionem suscipiunt, maximè vero Reges & Principes. Nam ad hos pauperibus non patet aditus, vt qui iis rebus destituantur, per quas eiusmodi aditus parari solet.

15. Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.

DVÆ inter ceteras sunt viæ, quibus pueri & ceteri in minori ætate adhuc constituti, perducuntur ad sapientiam: Virga nimirum & correctio. Hæc fit verbis; illa constat verberibus, quia dum verba parum prosunt, adhibenda sunt verbera pueris præsertim & iuuenibus de quibus hic sermo est. Quin adulti quoque pueriliter viuentes, si verba non prosunt, verberibus ad officium compellendi sunt. Virga proinde & correptio puero tribuit sapientiam: puer autem qui suæ relinquitur voluntati, hoc est, qui nec verbis, nec verberibus mouetur pudore afficit matrem suam, imo verò vtrumque parentem.

16. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera, & iusti ruinas eorum videbunt.

QVO plures sunt impij & improbi homines, eo plura designantur scelera & flagitia, sicut quò plures sunt iusti, eo plura edunturiustitiæ opera. Nam & se invicem ad scelera prouocant impij, & quo plures sunt, eo audaciores euadunt, & iustos facilius opprimũt, & pauciores sunt qui illorum improbitati resistunt. Interim siue plures, siue panciores fuerint impij & inuidi, numquam tamen impunè peccant. Siquidem seuerissimam Dei vindictam suò tempore in illos exercitam; imò vero plenam

perfectam

perfectamque illorum ruinam & euersionem videbunt, si non in hoc sæculo (vt sæpè fieri solet) certè in altero.

17. *Eradi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ.*

ERudi, corripe, & castiga filium tuum, dum adhuc iuuenis est, & commodè institui potest; quod si feceris in senectute tua non modò te refrigerabit, magnúmque gaudium & solidam lætitiam & voluptatem animo tuo adferet: verum tuos quoque labores, tuasque curas & molestias à te suscipiet, teque ab omnibus negotiis quietum redder.

18. *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus: qui vero custodit legem, beatus est.*

CVM deest prophetica visio, fidique doctoris aut concionatoris vox; vel quod Deus hac pœna (quæ sane magna est) populi peccata velit punire, iuxta illud: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* Vel quod populus obstinatus fidei morumque doctrinam noluerit audire; sicut Iudæi legem Euangelicam audire detrectant, & hæretici Ecclesiæ vocem blasphemant, ibi populus dissipatur, & à bonis operibus feriatur, adeóque contumax, & rebellis, & à vera religione alienus efficitur. Qui autem legem legisque præcepta seruat, beatus est, bonisque in vtraque vita cumulatur illustribus.

19. *Seruus verbis non potest erudiri: quia quod dicis intelligit, & respondere contemnit.*

SED neque sat adhuc est ad salutem bonas leges adesse, bonósque & fidos legis interpretes; sed opus est præterea fida diligentisque observatione, adeóque facultate quadam, quæ cogere queat, per quam contumaces & refractarij, qui virtutis amore non mouentur, pœnæ formidine ad inuiti ad officium faciendum compellantur. Siquidem seruilis ingenij animique homo solis verbis erudiri, & ad frugem trahi non potest. Quia quamuis, quod dicis & doces, intelligat, nihil tamen respondet, aut vlli parebit: verum tanquam nihil ad se pertineant, contemnit & aspernatur: opus proinde hic est non verbis tantum, sed verberibus quoque & damnis.

20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quàm illius correptio.*

ANimaduertisti hominem in verbis & negotiis præcipitem, maiorem de stulto stultitiam suam agnoscente & admonitionem patienter ferente, bonæ frugis sapientiæque spes est, quàm de illo. Velox autem & præceps in verbis censetur, qui quidvis inconsideratè & indeliberatè effutit, nec exspectat cum interrogetur, sed vltro in medium prorumpit, multaque de iis, quæ nec nouit, nec didicit temere euomit. Velox autem in negotiis est, qui quidvis citra delectum aggreditur & tentat, neque quæ res tandem euasura est considerat.

21. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.*

SEruilis conditionis abiectique animi homines non sunt delicatè & molliter tractandi, neque ad magistratum vel dominatum aliquem euehendi. Siquidem delicatè à prima ætate educati, & ad pigniorem fortunam euecti statim insolescunt, & contumaces euadunt. Nec solum alios præ se contemnunt, verùm contra Dominum quoque nonnumquam insurgunt. In victu itaque & amictu & ceteris omnibus non sunt habendi tanquam filij, sed tanquam serui; ne posteaquam adoleuerint filiorum loco haberi velint. Sublimiori sensu optimè hæc quadrant in spiritum & carnis sensum. Qui enim carni nimium indulget, contra spiritum illam armat.

22. *Vir iracundus prouocat rixas: & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procliuior.*

QVI in varia vitæ pericula & peccata, variásque rixas & contentiones incidere non vult, iram & stomachum compescat, oportet. Siquidem vir iracundus sua natura pronus est ad miscendum rixas & iurgia: atque ita nisi se contineat necessariò in varia corruet peccata.

23. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritum suscipiet gloria.*

HVmili admissóque animo viri euehuntur ad gloriam: superbi autem elatique spiritus homines deprimuntur & humiliantur, iuxta illud *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. Et quamuis istu

Sed in hac mortali vita non semper accidat, in altera tamen semper lo-
cum habet. Constat enim omnes illos superbos & arrogantes tyrannos,
qui cornua sua contra Christum & sanctos eius erigebant, iam dudum hu-
miliatos, & in infernum demersos: illos autem qui Christo obsecuti se
humiliarunt ad summam gloriam euectos esse.

24. *Qui cum fure participat, odit animam suam: adiurantem audit, & non indicat.*

QVicumque cum fure participat, siue id faciat consilio, siue quovis
alio modo; ita vt partem rei per furtum ablatæ sciens volénsque ac-
cipiat, vel efficax, vt furtum committatur, causa existat, is odit animam
suam, vt qui illam manifesto damnationis periculo, & se ipsum vitæ infa-
miæque discrimini exponat. Nam etsi malè audiat apud omnes, non tamen
male se audire conqueri audet, neque de veritate dicenda à legitimo iudice
adiuratus, tacere, aut falsum dicere veretur; quod ipsum quoque graue
est peccatum, & cum restitutionis vinculo coniunctum.

25. *Qui timet hominum, cito corruet: qui sperat in Domino, subleuabitur.*

QVi ita hominis auctoritatem timet, aut gratiam illius quærit, vt viam
rectam propter alterutrum deserat, aut legem violet, ille grauiter
corruet, damnationisque laqueis sese inuoluet. Iniquum est enim magis ti-
mere hominem, quàm Deum. Qui verò in Dominum sperat, spémque
suam in illum defixam habet, is in Domino & per Dominum saluabitur,
& subleuabitur, & quasi in alto munitóque loco collocabitur, liber ab iis
malis, in quæ inciderat, vel incidere poterat.

26. *Multi requirunt faciem Principis, & iudicium à Domino egreditur singulorum.*

CVM Dominus sit iudex omnium, omnésque ad illius tribunal sisti
debeant, magni & parui, docti & indocti, Principes & priuati ho-
mines, ad vnum omnes inconsultissimè faciunt, quotquot maioris faciunt
Principis personam, qui corpus tantum occidere potest, & paucorum
tantum iudex est, aut magis illum timent, quàm Deum qui omnium iudex
est, posteaquam occidit corpus animam in gehennam mittere potest:
Neque illi quoque satis sapiunt, qui in aduersa fortuna vel controuer-
sia Regi magis fidunt, quàm Deo. Cupiunt namque quidam ad il-

lum accedere, quò causam suam coram exponāt, cum Deus potius ad dus & rogandus esset, in cuius manu est cor Regis, potéstque illud in ctere quocumque voluerit.

27. *Abominantur iusti virum impium: & abominantur impij eos qui in recta sunt via.*

VT mòrum similitudo amicitiæ ineundæ & conseruandæ præcipu dix & ratio est; ita omnis discordiæ & alienationis fons, & quasi men est morum disparitas. Eapropter naturali quadam propensione oderunt & execrantur impios & iniustos, eorumdem iniustitiam & pietatem, impij aut & iniusti è diuerso execrantur eos, qui per viam ri gritatis & perfectionis incedunt. Iusti tamen non oderunt impios propter se, sed propter suam impietatem, impij autem iustos simpliciter oderun

Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.

FIlius qui parentum monitis & præceptis obsequitur, eorumdémque consilia magni facit, damnationis periculo se eximit, certámque cælestem beatitudinem viam sibi munit.

AD CAPVT VIGESIMVM NONVM SCHOLIVM.

1. *VIro qui corripientem, &c.* Perstringit hic locus eos, qui sæpe increpiti amicéque admoniti non emendantur; sed obdurceruice in sua improbitate pergunt. Quorum statum deplorat tum planéque insanabilem esse docet.

2. *In multiplicatione iustorum, &c.* Similis locus exstat capite proximo præcedente, neque obscura illius est sententia. Certum est namque quo plures exstant iusti auctoritate præditi, eò maiorem pacem & tranquillitatem in ciuitate vigere.

3. *Vir qui amat sapientiam, &c.* Clara est hæc sententia: vt enim periculosa & probrosa res est alere scorta; ita honorifica planéque salubris, sapientiam eiusdémque placita. Vix vllum autem efficacius aduersus scortationem iuueniesantidotum, quàm studium sapientiæ. Ceterum præsertim loc

[illegible] duplicem amorem insinuat; honestum sapientiæ, & turpem meretricum; carnis item & spiritus; terrenarum denique rerum & cœlestium. Alter exitus parentes lætificat; alter contristat.

4. *Rex iustus erigit terram, &c.* Ponit discrimen inter Regem auarum & iniustum, & Principem iustum & liberalem. Hic erigit prouinciam; ille funditus euertit. Nihil enim iniquius, nihil intolerabilius Rege auaro & iniquo. Rectè hæc autem transferuntur in Christum & Satanam; hic enim est tyrannus & iniustus; ille mansuetus & iustus. Hebræa aliter sonant, sed eundunt in eumdem sensum.

5. *Homo qui blandis, &c.* Similia iam ante exposita sunt non semel, [illegible]que locus obscurus est. Certum est enim, qui adulatoriis verbis homines adoriuntur, suis aliud nihil illos blandimentis parare, quàm retia & insidias, in quas tamen ipsimet sæpe incidunt.

6. *Peccantem virum, &c.* Monet viros malos & improbos in suos laqueos incidere. Nam & sua malitia est ipsis laqueus, qua captiui abducuntur ad inferos, & in laqueos, quos aliis struxerant, non raro corruunt. Quod cum fit, iusta iustis exultandi causa offertur. Siquidem & ipsi liberantur, & hostes suos suis ipsorum retibus captos cernunt.

7. *Nouit iustus causam, &c.* Assignat discrimen inter iustum & impium hic pauperes eorumdémque ius nihil curat, at ille illorum causam fideliter tractat & administrat, idque absque vlla spe quæstus.

8. *Homines pestilentes, &c.* Hic aliud discrimen non quidem inter probos & improbos iudices assignatur, sed inter homines pestilentes & sapientes, differunt autem quod hi ciuitatem conseruent, furorémque & tempestates obortas sedent; illi contra suis seditionibus improbisque conatibus eam, quod in se est, euertant.

9. *Vir sapiens, &c.* Dissuadetur hic prudenti, ne cum stulto temere contendat; quia non facile inuenit requiem, qui negotium cum illo habet. Per hæc autem hominem stultum incorrigibilem esse, tempúsque frustra cum illo terit indicat.

10. *Viri sanguinum, &c.* Docet eos qui sanguinarij sunt, integræ vitæ sedulisque puros homines, quod sibi suisque moribus dissimiles sint, [illegible] non posse.

11. *Totum spiritum, &c.* Ponit inter stultum ira accensum, & sapiens discrimen: stultus nullius habitâ ratione totam iram simul effundit, sapiens autem tametsi commotu iræ motum comprimit.

12. *Prin-*

12. *Princeps qui libenter, &c.* Monet hic locus Principes tales fere ministros habere, quales ipsi sunt. Si itaque sunt vani, inepti, ridiculi, habebunt aulam refertam adulatoribus, mendacibus, vanisque hominibus; si autem veritatis studiosi & graues, veraces grauésque ministros sortientur.

13. *Pauper & creditor, &c.* Insinuat hic locus omnes de Dei bonitate & misericordia spem concipere debere. Nam vt ipse est conditor omnium, ita omnium quoque, qui salui fiunt, saluique fieri ex animo cupiunt, seruator est. Tum vbique dissimiles sibi mutuo occurrere; eámque dissimilitudinem totam, aut maiorem certè partem ex diuina dispensatione prouenire.

14. *Rex qui iudicat, &c.* Commendantur hic Reges, qui iudicium rum & æquum exercent, maximè in causa pauperum: mercedis autem loco promittitur illis vita æterna, regnique constantia & fortitudo & multos annos duratio.

15. *Virga & correctio, &c.* Simile quid legitur Cap. XXII. Docet hic autem magnam pueris & iuuenibus vtilitatem præstare tempestiuam correctionem, & magnam rursum cladem adferre eiusdem rei neglectum.

16. *In multiplicatione impiorum, &c.* Nullum est dubium quin multiplicatis impiis sceleratisque hominibus simul multiplicentur scelera: nunquam tam multi erunt, vt iustos penitus exstinguant.

17. *Erudi filium tuum, &c.* Iterum hic hortatur ad filij institutionem, promittitque magnum eius rei vsum senectutis tempore, quando nimirum filij totam rei familiaris curam in se suscipere, & administrare solent.

18. *Cum prophetia, &c.* Prophetiæ nomine designatur hoc loco vox concionatoris, & doctrina Ecclesiastæ. Cum enim hæc desunt populus sylueſcit, & à bonis operibus otium agit.

19. *Seruus verbis, &c.* Docetur hic homines seruilis ingenij, cuiusmodi sunt, qui nec intelligunt, nec intelligere volunt, nec opere explere, quod intelligunt, non verbis tantum sed verberibus quoque ad officium compellendos esse.

20. *Vidisti hominem velocem, &c.* Simile quid habetur Cap. XXVI. Per hominem autem ad loquendum velocem designat hominem futilem, ineptum, temerarium, & ad quidvis effutiendum præcipitem. Quod autem de verbis hic dicitur, hoc de negotiis quoque dictum accipiatur: neque enim minus nocet temeritas in negotiis, quàm in verbis.

21. Q

21. *Qui delicatè nutrit, &c.* Res intolerabilis est seruus pane saturatus, vel ad pinguem aliquam conditionem enectus. Quare non delicato cibo nutriendus est seruus, sed sorti suæ conuenienti.

22. *Vir iracundus, &c.* Cap. XVI. idem de iracundo scribitur: nihil autem naturalius, nihil familiarius, quàm homines iracundos excitare iras: eos rursum, qui proni sunt ad iram, pronos quoque esse ad peccatum.

23. *Superbum sequitur humilitas, &c.* Conuenit hic locus cum illo Christi: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Idque est perpetuum in altera vita, in hac autem non est perpetuum secundum esse, sed, est tamen perpetuum secundum meritum.

24. *Qui cum fure partitur, &c.* Inuehitur in furtum & fures & in furum socios, quales sunt, qui de præda participant, vel causa efficax, vt furtum committeretur, existunt. Quod autem de participatione in furto hic dicitur, id de omni alio crimine damnoso dictum intelligatur.

25. *Qui timet hominem, &c.* Docetur hic malè eum periturum, grauiqueque caturum, qui hominem magis timet, quàm Deum: magis autem timet hominem quàm Deum, qui propter hominem, quodcúmque peccatum patrare audet.

26. *Multi requirunt faciem, &c.* Cognatus est hic locus præcedenti. Damnantur enim, qui maioris faciunt personam Principis, quàm Dei, vel magis timent Principem, quàm Deum, à quo omnes iudicandi sunt, omnéque iudicium proficiscitur.

27. *Abominantur iusti, &c.* Docetur hic vinculum consociationis, familiarisque consuetudinis esse morum similitudinem; odij vero eorum dem dissimilitudinem.

Verbum custodiens, &c. Hic versus ex LXX. petitus est, significat autem perditionis periculum euasuros, qui parentum præcepta audiunt, & custodiunt.

PARAPHRASTICA CAPITIS TRIGESIMI EXPLANATIO.

Verba Congregantis filij Vomentis.

POstrema hæc libri pars alium, quàm Salomonem auctorem innuere videtur, nempè Agurem. Hebræa enim sonant: *Verba Aguris filij Iache.* Creditur autem hunc Agurem virum fuisse, qui ætate Salomonis tantam apud Iudæos sanctimoniæ & sapientiæ opinionem obtinuerat, vt omnia illius dicta & sententiæ oraculorũ loco haberentur. Noster interpres propria appellatiuè reddidit, habet enim: *Verba congregantis filij Vomentis*, sed minus commodè, vt plerisque videtur. Interim si appellatiuè cum interprete nostro exponas, statue virum hunc fuisse Salomonem, qui multa verba sapientiæ coaceruauit, & magna vbertate eructauit.

1. *Visio quam locutus est vir cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait.*

QVÆ hoc capite continentur verba vel Prophetia sunt Aguris, quam discipulorum aut familiarium suorum Ithielis & Vchalis oratione prouocatus in medium deprompsit. Quod si propria hæc appellatiuè reddas, hunc fere secundum nostrum interpretem sensum offerunt. Visio vel Prophetia, quam vir diuino numine afflatus, diuinoque robore confirmatus locutus est.

2. *Stultissimus sum virorum & sapientia hominum non est mecum.*
3. *Non didici sapientiam, & non noui scientiam sanctorum.*

INsinuatur per hæc verba discipulos vel familiares Ithielem videlicet & Vchalem efflagitasse ab Agure, vt depromeret aliquid viro sapiente dignum, ipsumque modestè respondisse, quid à me, qui mortalium omnium insipientissimus sum, omnique humana & diuina sapientia destituor, sapientiam quæritis? Aquam vtique è pumice; vt qui nec hominis intelligentiam teneam, nec sanctorum scientiam aut sapientiam didicerim vnquam. hæc ille, & vt verisimile fit ex toto animi sensu. Nam si id quod

viri sapientes sciunt, conferatur cum eo, quod ignorant, vel quod Deus, vel ipsi etiam beati norunt, parum admodum est totum illud, quod sciunt.

4. *Quis ascendit in cælum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ? quod nomen est eius, & quod nomen filij eius, si nosti?*

NEque mirum vobis videri debet, me meam inscitiam agnoscere & allegare. Etenim vt sapientis nomen quis promereatur, non sat est si de vulgaribus istis rebus, quæ in omnium oculos incurrunt, aliquid nouerit, vel aliquid audiuerit, sed opus est præterea vt rerum cœlestium notitiam, eámque minime vulgarem obtineat. At hæc notitia de rebus cœlestibus saltem in excellenti aliquo gradu paucis vel nullis omnino obtingit. Quis enim ascendit in cælum, eáque, quæ ibi existunt, accuratè didicit, ita vt inde in terram regressus, aliis illa communicare possit? Quod si hæc cognitu facilia existimas, dic mihi si potes, quis inter omnes ea potentia & sapientia præditus est, vt venti impetum sistere, eundem quasi pugno conclusum continere valeat? Quis rursum ille est, qui aquas vnum in locum congregauit? easque in nubibus veluti in vestimento expanso continet? & ne terminos suos transgrediantur, perpetuâ quadam lege intra limites suos coërcet? Quis tandem constituit terminos terræ, eiusdémque bases, vt immotæ semper consistant, stabiliuit? An non qui omnia hæc fecit Deus est. Atqui & Dei & Filij eius nomen homini iam olim ignotum erat, semperque mansisset, nisi nostri misertus vltimis tandem hisce temporibus se per Filium suum, diuinásque Scripturas manifestasset, quotidiéque adhuc manifestaret. Nam per hasce & se ipsum, & suum Filium Christum, & Sanctum quoque Spiritum; & suam itidem potentiam, & sapientiam, reliquasque omnes perfectiones suas manifestat, & quidem certò & verè.

5. *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.*

QVÆ Philosophi de cœlo, terra, mari, ceterisque elementis & ex elementis concretis tradunt, ea multis obnoxia sunt erroribus, plusque sæpè curiositatis, quàm vtilitatis adferunt; plus rursum vanitatis, & erroris quàm sani saporis spiritalisque gustus continent, nec animum pascunt aut satiant, sed aridum & inquietum plerumque relinquunt: at verbum Dei veluti aurum igne probatum ab omni errore, falsitate, & vanitate est

tate est prorsus alienum. Est idem quoque igneum vtpote frigida pectora diuina caritate accendere natum, omnémque probitatis, honestatis, & puritatis ratione instructum. Neque tamen salutis spes in illo est collocanda: nam etsi Deum nobis ostendat, & salutis viam demonstret, ipsam tamen salutem non confert, sed Deus ipse. Ipse enim est clypeus, firmúmque præsidium, omnibus qui spem suam in eum reiiciunt.

6. *Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inueniarisque mendax.*

QVia vero Scripturæ diuinitus inspiratæ ab omni prorsus errore & falsitate sunt prorsus alienæ; vt quæ hominem ad salutis viam dirigant per se idoneæ & abundè satis, non sunt falsis Iudæorum commentis, aut adulterinis hæreticorum glossematis contaminandæ, sed purè castéque retinendæ, & secundum vniuersalis Ecclesiæ sensum accipiendæ & exponendæ. Caue igitur Dei verbo, siue illud scripto, siue viua voce per Spiritum Sanctum Ecclesiæ traditum sit, quidquam omnino quod cum genuina illius sententia pugnet, aut à mente eiusdem dissideat, addas; ne fortè Deus mendacij temeritatisque te arguat & condemnet.

7. *Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar.*
8. *Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.*
9. *Ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.*

VT animo & corpori, totíque adeo interiori & exteriori homini meo bene sit, duo, Domine, inter cetera præcipuè abs te efflagito atque contendo, & vsque ad mortem constanter mecum perseuerare desidero; alterum horum est, vt omnem sæculi huius fastum & vanitatem, omnéque rursum mendacium & falsitatem tam extra quàm intra iudicium procul à me amoueas, neque vmquam in errorem aut falsas opiniones me incidere, aut alios quovis modo, via, aut ratione inducere permittas. Alterum est vt medium quoddam inter nimiam copiam & inopiam definiens tantum opum & facultatum mihi subministres, vnde me meósque secundum statum meum honestè alere queam. Nam & magnæ opes non citra periculum possidentur, & magna rursum egestas ad multas sæpe prauas atque insanáque consilia implere solet. Quamvis enim ampla rerum copia ad legis præuaricationem, vel idololatriam, aut ad aliud quodcunque crimen

per se

per se non adigat; neque egestas ad furta, periuria, & homicidia necessaò impellat. Alioqui enim omnes diuites essent elati, vel idololatræ, vel Dei contemptores, & omnes pauperes fures vel periuri; attamen ratione prauæ dispositionis, in quam incidunt, ad prædicta vitia atque flagitia anhelant (vt quotidiana experientia probat) sæpe porrigunt.

10. *Ne accuses seruum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi & corruas.*

INfirmos abiectæque sortis homines, vel alias afflictos, ne facilè lædas, aut temerè offendas. Nam etsi per se se tueri non queant, habent tamen Deum iniuriarum, quas patiuntur, vindicem. Ante omnia autem caue, ne seruum ex odio vel alio malo consilio incitatus, apud Dominum suum accuses; sed te potius patronum eius exhibeas, & inter ipsum & dominum illius sequestrum te constituas; ne forte te execretur, dirisque deuoueat, aut vires quoque nactus te prosternat & perimat; ira namque impotentum intolerabilis est, dum præualet.

11. *Generatio quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit.*
12. *Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis.*
13. *Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ.*
14. *Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.*

NVllum non vitium & peccatum Deo displicet, suóque auctori, & hominum societati detrimentum adfert, inter cetera autem quattuor sunt, quæ & rempublicam præ ceteris turbant, & Deo vehementer displicent, & veræ sapientiæ aduersantur vt quæ maximè. Sunt autem ista ingratitudo, simulata sanctimonia, fastus vel superbia, & iniusta miserorum & insontium oppressio; quæ eò etiam deteriora censenda sunt, quò maiorem vitiorum segetem secum trahunt. Vix vllum enim exstat vitium, quod ad aliquod istorum referri non valeat. Constituunt autem quattuor hæc vitia quattuor sceleratorum hominũ genera, quæ Sapiens ordine hic recenset. Etenim quoddam exstat hominum genus, quod patri maledicit, & matri non benedicit, quod summæ ingratitudinis est argumentum. Sunt enim parentes omni honore & veneratione digni. Est aliud quod se mundum putat, & tamen à sordibus non est repurgatum, adeóque sanctimoniam hypocritam, quam non habet, falsò vsurpat, quod est proprium hypocritarum. Tertium eorum est, qui tanto fastu tantáque superbia inflati sunt,

vt eam etiam externis signis, & corporis gestibus declarent. Incedunt enim erecto collo, oculis vagis & oberrantibus, superciliis in sublime sublatis, totóque reliquo corporis habitu superbè & turgidè. Quartum & postremum tantæ immanitatis & feritatis est, vt efferatas belluas excedere videatur. Hoc enim manifeste per illud insinuatur, quod dentium loco acutos gladios habere dicatur, & molares cultrorum more acuminatos, quibus pauperes opisque egentes absumunt, deuorant, & è medio tollunt. Quattuor has hominum classes quidam non omnino insulsè referunt ad quattuor mortalium sectas, nempe ad paganos, Iudæos, hæreticos, & improbos Christianos, pagani nec Deum Patrem, nec sponsam eius Ecclesiam agnoscunt. Iudæi se mundos putant, & tamen per Baptisma à sordibus abluti non sunt. Hæretici præ fastu & superbia omnes præ se contemnunt. Improbi Christiani ferarum more se mutuò deuorant, & pauperes vsque ad ossa consumunt.

15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ: dicentes, Adfer, Adfer.*

PORro autem ex quatuor istis vitiis prauisque generationibus, natæ sunt duæ filiæ similes sanguisugis, hoc est, duo vitia naturam sanguisugæ imitantia, nempè carnis & oculorum concupiscentia. Quo enim duo hæc vitia magis fouentur & exercentur, eò magis crescunt, appetitumq. magis inflammant. Quare duo hæc, neque copia, neque inopia vnquam explentur, sed insaturata semper Adfer, adfer, vel Da, da vociferantur. Suntque duo hæc duo organa & quasi primaria adminicula, quibus Satan humani sanguinis & perditionis sitientissimus, potiorem hominum partem circumvenit & irretit; nec non in perditionis barathrum præcipites trahit.

16. *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod numquam dicit sufficit. Infernus & os vuluæ, & terra quæ non satiatur aqua: ignis verò numquam dicit sufficit.*

IMò vero non duæ tantum sanguisugæ sunt filiæ, quæ numquã saturantur, neque vnquam Sat est dicunt, sed indefesse semper Adfer, adfer, Da, da vociferantur, sed tres vel etiam quattuor, nimirum infernus vel sepulcrum, sterilis vulua matrixue infœcunda, terra arenosa & sicca, & ignis. Etenim sepulcrum est veluti os quoddam inexplebile; nam quidquid cadauerum vel corporum recipit, id totum breui tempore absumit, & in pul-

redigit. Infernus quoque numquam tot animas recipit, quin plures semper excipere & deuorare paratus sit. Porro autem mulieris, præsertim pauperis, concupiscentia est quodammodo infinita. Semper enim ob fœtus prolis, denum, aliásque causas vulgo non ignotas concubitum expetit; & quo frequentius rei huic dat operam, eò magis ad idem & idem semper ardet. Sed & terra quoque sicca & arenosa numquam saturatur aqua. Quotiescumque enim affuderis vel infuderis, totum semper absorbet consumit. Ignis denique lignorum adiectione magis magisque semper ardet. Verumenim vero licèt hæc ad literam ita se habeant, sublimiori tamen sensu per quatuor hæc insaturabilia quadruplex concupiscentiæ genus designatum videtur. Et quidem nomine sepulcri vel inferni, qui obscurus & turbulentus est, vindictæ cupiditas, iráque & odium, & inuidia significatæ videntur: per os autem sterilis vuluæ vtriusque sexus libido, quibusve in vtroque genere illecebræ. Siquidem carnis voluptas vsu incendiur, non exstinguitur, per terram autem sitientem auaritia, oculorumve concupiscentia. Nam hæc & terrena est, & terrena semper sectatur. Per ignem denique, qui semper tendit in altum superbia vitæ, siue immoderata honorum cupiditas. Possent hæc quatuor ad alias quoque res transferri, prout symbolica doctrina latè patet, variéque exponit solet.

17. Oculum qui subsannat patrem & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.

QVI patri vel matri maledicit, eosdémve despicit vel subsannat, is non modò immaturam mortem infernique supplicium, nisi resipiscat, experietur, sed publicam quoque infamiam promeretur; nempe vt in crucem actus coruos, qui in vallibus circa torrentes versari solent, aquilarumque pullos oculis suis pascat, vel vt probrosè exstinctus nullam vel asinorum tantum sepulturam obtineat. Non infertur sanè illud supplicium iis semper, qui parentes derident, vel illorum monita & consilia aspernantur, semper tamen illud merentur. Iam si subsannatio, quæ naso vel oculis fit, tantam meretur pœnam, quid de percussione, aut graui parentum offensione statuendum erit?

18. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.*
19. *Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.*

VT tria vel etiam quattuor sunt, quæ numquam saturantur; ita tria vel quattuor sunt, quæ difficulter noscuntur. Sunt autem istæ: Via aquilæ in cœlo vel aëre; vestigium colubri super petram, semita nauis in mari, & via viri in adolescentia, aut, vt Hebræa sonant, in virgine adolescentula. Siquidem hæc omnia post se vix vllum motus sui indicia relinquunt. Aër namque & aqua ita liquida & fluida sunt, vt nullum vestigium retineant: petra autem tam dura existit, vt nullam impressionem admittat: mens autem iuuenum eorumdémque studia & exercitia tam vaga & inconstantia sunt, vt nihil certi de illis statui queat. Virgo quoque si stuprum admiserit, omnem facti memoriam & indicationem studiosè abolere contendit. Perinde enim se gerit atque si nihil vnquam probri aut incommodi passa esset. Porro sensu mystico hæc quattuor Christo Domino nostro locum habuere. Hic enim in virginem intrauit, & ex ea rursum egressus est, vt nullum sui introitus vel exitus vestigium reliquerit, vt aquila ascendit in cœlum, vt serpens egressus est de saxeo sepulcro, vt nauis denique conuersatus est in hoc mundo.

20. *Talis est & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit, Non sum operata malum.*

PORro autem vt quattuor hæc sunt mirabilia, & cognitu difficilia; ita etiam via & studium mulieris adulteræ. Siquidem hæc crimen suum modis omnibus dissimulare & occultare nititur, seseque vbique mundam & inculpatam gloriatur, imò aliis honestis matronis se anteferre non veretur. Similis adulteræ huic mulieri est hæresis & synagoga malignantium. Nam cum sit plena omni spurcitia, adhuc Ecclesiæ Catholicæ se anteferre audet. Rursum vt adultera flagitium patratum abnegat, omnia que indicia illius, sicut qui abluit os suum, abolet; ita synagoga quoque post tot idolomanias adhuc sancta & virgo æstimari desiderat.

21. *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere.*
22. *Per seruum cum regnauerit: per stultum cùm saturatus fuerit cibo.*
23. *Per odiosam mulierem cùm in matrimonio fuerit assumpta, & per ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ.*

VT quattuor sunt inexplebilia, & totidem alia admirabilia, & cognitu difficilia; ita quattuor quoque sunt terræ ipsíque mundo intolerabilia, hoc est talia, quæ humana societas citra nauseam grauémque stomachum & indignationem ferre non potest; nimirum seruus ad regnum vel imperium euectus, stultus pane rerúmque copia obsaturatus, odiosa molestaque mulier ad honorarium matrimonium assumpta, & ancilla dominæ suæ hæreditatem nacta. Sunt enim hæc omnia & singula cum magna quadam absurditate coniuncta. Absurdum est enim seruum, qui pro conditionis suæ ratione parêre, & obsequi, & subesse debebat, aliis imperare, virisque ingenuis anteferri. Æquè absurdum & præposterum est ancillam adire hæreditatem dominæ; siue id fiat superstite adhuc dominâ, siue vita iam defunctâ. Absurdius est tamen si viuam expellat, & in illius hæreditatem inuadat, quàm si post mortem defunctæ marito nubat. Denique stultus rerum copia affluens, & mulier infamis viro principi nubens, res sunt prorsus intolerabiles. Nam quod stulti sine ratione agant, & quidquid in mentem venerit, temere aggredi audeant, legitimúmque diuitiarum vsum prorsus ignorent, magnas passim turbas & tempestates excitant. Mulier porro ita affecta, iisque vitiis contaminata, vt omnibus sit exosa; honorariis nuptiis, quibus indigna erat, potita, seipsam præ superbia & fastu non capit. Quare insolescit, & contra maritum insurgit, totámque adeo familiam confundit, & turbis inuoluit.

24. *Quattuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus.*
25. *Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi.*
26. *Lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum.*
27. *Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas.*
28. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.*

QVattuor sunt terræ animantia, quæ licet sint parua & infirma, sunt tamen prouida taliaque, à quibus magnæ industriæ & sapientiæ exemplum sumere liceat. Horum primum, nimirum formica admonet hominem, vt ante omnia peculiarem earum rerum curam habeat, quæ ad cor-

poris animæque ſalutem & incolumitatem pertinent. Formica enim
cet imbecillis ſit, (ne quis propter imbecillitatem ab honeſto labore
excuſet) mirâ tamen ſolertiâ, miroque ſtudio & diligentiâ æſtate colli
vnde in hieme ſeſe ſuſtentet. Lepus quoque vel cuniculus ſuo exem
nos docet, vt de tuta & commoda habitatione tempeſtiuè nobis pro
ciamus: qualis vtique hic conſtitui vix vlla poteſt; ſed in altera vita tam
Enimvero cum animalcula illa ſint timida, ſuisque viribus diffidant, in
uertis terræ locisque petroſis conſtituunt domicilia ſua. Annonâ au
& firmâ domo comparatâ, proximum eſt vt in id incumbamus, quò cum
Deo & proximo pacem habeamus, pacatéque & tranquillè cum omni
viuamus. Ad hanc autem vnionem, concordiam, & animorum conſenſio
nem locuſtæ nos exhortantur: ſiquidem hæ vnanimi ſenſu atque con
ſenſu de loco ad locum commigrant; de agro itidem ad agrum veluti
ductorem quempiam ſequerentur transvolant. Eſtque eiusmodi ordo &
conſenſio non modò in republica & militia, aliisque rebus externis appri
mè neceſſaria, verum etiam in ſpiritalibus. Reſtat vt homo vitam ita inſti
tuat, eâque prudentiâ viuat, vt in aulis Regum & Principum inter illorum
conſiliarios & ſenatores locum habere queat; quod ſignificatur hic per
induſtriam & exemplum ſtellionis, vel araneæ. Nam vt nomen, quod Le
puſculum interpres noſter reddidit, ſonat etiam Cuniculum, Chœrogryl
lum, Ericium vel Erinacium; ita vocabulum, quod *Stellionem* vertit, inter
cetera ſignificat quoque Araneum, & Simiam, & Hirundinem, & quæ
dam alia eiusmodi, quæ in Principum palatiis in delitiis haberi ſolent.

29. *Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter.*
30. *Leo fortiſsimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum.*
31. *Gallus ſuccinctus lumbos: & aries: nec eſt rex qui reſiſtat ei.*

VT quatuor ſunt animantia parua, quæ tamen magna prouidentia & prudentia per naturæ inſtinctum procedunt; ita tria imò vero quatuor ſunt, quæ magnificè & imperterritè incedunt, & ad curſum cumprimis expedita ſunt. Inter hæc primum eſt leo. Hic enim quaſi animantium omnium fortiſsimus & generoſiſsimus nullius pauet occurſum, neque propter vllum omnino animal, quod obuium habeat retrorſum ſe conuertit. Alterum eſt, lelaps vel gallus lumbis præcinctus, vtpote & ad pugnam paratus, vel pardus, vel, vt quibusdam placet, canis venaticus. Tertium eſt aries vel hircus. Quartum Rex, cui nemo audet reſiſtere, vel

conu-

ura quem nemo audet insurgere. Non satis compertum est cuius natu & figuræ sint quattuor animantia, quæ hic percensentur; sicut nec id quoque, quò fine hic proponantur, aut quid ex illis discere aut capere debeamus. Sunt tamen qui per hæc quattuor animantia, quattuor regna designata putant. Alij quattuor virtutes cardinales; fortitudinem exempli gratia per leonem; continentiam per animal lumbis præcinctum; per arietem vel hircum gregis ducem prudentiam; per Regem denique virtutum omnium reginam iustitiam. Conueniunt autem omnia in Christum. Ipse enim est Leo de tribu Iuda, Gallus, qui omnes ad vigilantiam excitat, Aries vel hircus qui nostri caussa immolatus est; & Rex tandem Regum & Dominus dominantium.

32. *Et qui stultus apparuit postquam eleuatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.*

SIquid stultum, cùm te per superbiam efferres, effutisti, aut in sublimiori gradu constitutus quidpiam imprudenter designasti, mitigare & sanare id satage: si quid verò prauum aut stultum dicere cogitasti, illud noli efferre, sed manum ori admoue, & vocem contine. Vulgata Editio, quæ subobscura est, & deprauata videtur, hunc ferè sensum offert: Contingit nonumquam cum quis in sublime eleuatur, aut se ipsum intra se extollit, vt stultum aliquid effutiat, dictóve vel facto declaret, qui vtique si sana mente præditus fuisset, manum ori apposuisset, neque alios ad iram vel deriſionem prouocasset.

33. *Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem, & qui prouocat iras, producit discordias.*

NAM vt ille qui vbera fortiter premit, quo lac eliciat, exprimit butyrum, & qui nares vehementius emungit & exprimit, educit sanguinem; ita qui fræna iræ liberius laxat, rixas atque contentiones excitat. Vel clarius: Qui premit lac, elicit butyrum, & qui nares, sanguinem, & qui iras, contentionem: siquidem butyrum actu ex vberibus numquam exprimitur; sed lac tantum, in quo tamen potestate latet butyrum. Monemur per hæc in omnibus seruandum modum, & prudentem quamdam mediocritatem, maximè verò in obiurgationibus & admonitionibus. Nam qui hic nimis asper est, facili negotio plus detrimenti quàm commodi adfert.

AD CAPVT TRIGESIMVM SCHOLIVM.

VErba congregantis, &c. Hebræa sonant: *Verba Aguris filij Iache.* Continent autem hæc verba argumentum postremæ huius partis. Dictum est enim antè librum hunc in tres vel quattuor partes secerni. Ceterum nomina hæc appellatiuè reddita, sicut noster interpres reddidit, sensum habent subobscurum, minusque conuenientem.

1. *Visio quam locutus, &c.* Hic est alius quodammodo titulus: docet autem Agurem hanc doctrinam in Ithielis & Vchalis gratiam deprompsisse. Ab his enim rogatus fuerat vt aliquas graues sententias in medium adferret; quod ille tamen modestè recusauit, asserens se virorum omnium stultissimum esse.

2. *Stultissimus, inquit, sum, &c.* Hæc est humilis & modesta responsio Aguris. Conuenit autem cum illo Socratico: *Hoc vnum scio, quod nihil scio.* Non didici, inquit, scientiam humanam, multò verò minus sapientiam Sanctorum, Angelorum, aut rerum cælestium nactus sum. Monemur per hæc autem, vt modestè de nobis sentiamus & loquamur, etiamsi aliquid scire videamur.

4. *Quis ascendit in cælum, &c.* Hæc ordine ostendunt quàm modicum sit, quod nouit omnis homo, de rebus præsertim sublimibus & arduis, nisi diuinitus illustretur, & à Deo edoceatur. Quis autem ascendit in cælum, vt illa quæ fiunt ibi, palam & certò edisserat? Quis ventum intra pugillum continuit? Quis aquas in nube veluti in vestimento colligauit? Aut quis terram in medio orbe sine fulcro suspendit? nonne solus Deus? Eius quidem nomen non satis compertum est, aut filij eius, nedum illius natura & substantia, omnésque eiusdem proprietates & idiomata. Confunduntur hoc loco Iudæi & Saraceni, qui negant Deum habere filium.

5. *Omnis sermo Dei, &c.* Extollit hoc & sequenti versu diuinarum Scripturarum excellentiam. Neque enim Scriptura sacra erroribus, aut falsitatibus, aut obscenitatibus est contaminata (vt scripta profana solent) sed tota est casta, tota munda, tota salutaris. Possent hæc cum præcedentibus coniungi ad hunc modum: Quid à me quæritis quæstiones Physicas de cœlo

cœlo, mundo, terra, aquis, ventis, in quibus multum est obscuritatis & incertitudinis, parum autem vtilitatis? legite potius diuinas literas, in quibus traditum inuenietis quidquid cognitu ad salutem est necessarium.

6. *Ne addas, &c.* Quod de additione ad Scripturas hic & alibi quoque dicitur, nempe Deut, IV. & Exodi XII. id non simpliciter accipiendum est, alioqui omnes libri sacri postea additi essent superuacanei; sed tantum de additione aliena à verbo Dei, vel quæ paris auctoritatis cum Dei verbo habeatur. Quæ autem à Patribus vel Conciliis adduntur, ea illustrationis & explicationis causâ adduntur; neque enim sacræ literæ omnibus sunt obuiæ. Hæretici & Iudæi propriè addunt, quia deprauant, & falsificãt.

7. *Duo rogaui te, &c.* Duo, quæ hic petuntur, ad præsentem hanc vitam pertinent, nam in altera neutrum horum incommodorum habebit locum. Prior petitio pertinet ad mentem, eiusdémque puritatem: posterior autem ad corpus corporisque incolumitatem & sustentationem. Nam & cibus quoque & potus sunt medium ad vitam æternam necessarium. Siquidem vita prima est fundamentum secundæ; prima autem sine necessario alimento consistere nequit. Verum duo in ea re contingunt pericula, nimia videlicet copia & inopia. Quare vtrumque Sapiens deprecatur.

10. *Ne accuses seruum, &c.* Agit hic locus de seruis fugitiuis, vt videtur, quos non vult intercipi ac dominis ad supplicũ tradi, sed seruari, iisdémq. si fieri potest, reconciliari. Reddit autem duas huius rei causas. Altera est ne incurrant in illorum maledictionem, quæ in iis sæpe efficax est, qui aliâ ratione iniuriam illatam vlcisci non valent. Altera ne incidant quandoque in illorum manus, cogantúrque eo casu iustas pœnas illis dare, quos iniustè tradiderant. Monemur hic quoque ne afflicto afflictionem addamus, sed solemur si qua via valemus.

11. *Generatio quæ patri, &c.* Perstringuntur hic ordine quattuor prauæ generationes, vel quattuor verius vitia, aut vitiosorum hominum genera: ingrati nimirum, hypocritæ, superbi, & pauperum oppressores.

15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, &c.* Egit de quattuor vitiis vitiosorúmq. hominum generibus, hoc autem loco subiungit duo alia, quæ ex quattuor iam expositis ortum ducunt. Assimilat autem illa sanguisugis, quia numquam explentur. Sunt autem duo isthæc: carnis libido & auaritia, quæ rectè appellantur filiæ sanguisugæ, hoc est, diaboli. Est enim ille humani sanguinis sitientissimus.

16. *Tria sunt quæ non, &c.* Hæc pertinent ad præcedentia; quadam

enim exaggeratione idem repetit. Dixerat duas ſanguiſugæ filias eſſe, easque inſatiabiles, hic vero dicit: Tres ſunt, imo vero quattuor ſunt, quæ non ſaturantur, videlicet infernus vel ſepulcrum, os vuluæ matrixve ſterilis, terra arenoſa & ſitiens, & ignis, hic enim lignorum appoſitione non exſtinguitur, ſed incenditur & augetur. Sunt qui ſenſu myſtico per ſepulcrum vel infernum & os vuluæ accipiant rerum ortum & interitum: per terram autem & ignem generationis media. Terra enim excipit aquam vel ſemen, ignis autem ſuo calore alterat & immutat.

17. *Oculum qui ſubſannat, &c.* Antè dixerat & docuerat inter quattuor generationes peſſimam eſſe & primam eam, quæ maledicit patri vel matri, cui proinde præparatum eſt non modò inferni ſupplicium, ſed crux quoque vel ſuſpendium. Qui enim in crucem aguntur vel inſepulti abiiciuntur eorum oculi effodere ſolent corui & aliæ aues.

18. *Tria ſunt difficilia, &c.* Docet quattuor eſſe de quibus vix aliquid certi pronunciari poteſt, propterea quod nullum fere ſui indicium, aut veſtigium poſt ſe relinquant. Inter quæ quartum, quod cognitu difficillimum aſſerit, bifariam legitur. Lxx. habent: *Viam viri in adoleſcentia.* Contextus Hebræus & Latinus: *In virgine adoleſcentula.* Prior lectio cum præcedentibus magis congruit. Nam vt aquilæ veſtigium in aëre, & nauis in mari & ſerpentis in ſaxo certò ſignari non poteſt; ita iuuenum quoque diſcurſus ſunt maximè vagi, & vani, & incerti.

20. *Talis eſt via mulieris adulteræ, &c.* Addit quattuor illis cognitu difficilibus quinctum, nempe adulteræ flagitium: ea enim tantâ calliditate & arte illud celat, tantâq. pertinaciâ negat, vt ægrè admodum deprehendi queat, pertinétq. adeo mulier hæc adultera ad ſecundam prauam generationem. Vult enim munda haberi, cum non ſit.

21. *Per tria mouetur, &c.* Aſsignantur hic quattuor hominum genera, propter quæ orbis moueri dicitur; quæque adeo tellus ſuſtinere non poteſt. Pertinet hæc autem ad tertiam generationem, quæ ſuperborum & elatorum erat. Sunt autem hæc quattuor: Seruus regnans, Stultus pane abundans, Mulier deformis & infamis honeſtis nuptiis potita, & Serua heræ cubile & hæreditatẽ nacta. Duo priora tribuuntur viris, duo poſteriora fœminis: vtrobique proponitur liber & libera, ſeruus & ſerua. Duo priora turbant rempublicam, duo poſteria familiam, dicitur autem terra horum faſtum ferre non poſſe, quia non poteſt abſque nauſea & indignatione, quia ſunt res valdè præpoſteræ & inuſitatæ.

24. *Quatuor*

24. *Quattuor sunt minima, &c.* Subiungit iam duas hic animantium tetrades, quæ suo studio atque exemplo ad virtutem bonosque mores hortantur. Prioris quaternionis animal primum est formica, quæ est maximæ prouidentiæ & solertiæ, præbétque pulcerrimum rei familiaris administrandæ & conseruandæ exemplum. Docet eadem quoque quomodo in vere & æstate, hoc est, in præsenti hac vita sit colligendum, vnde viuamus in æuum in altera. Secundum est lepus vel cuniculus. Hoc autem cum sit animalculum timidum & imbecille viribusque suis diffidat, non vbilibet habitat, sed in cauernis & inaccessis petris domicilium suum collocat, redéque subiicitur formicæ. Nam post annonam comparatam prospiciendum est de domicilio non luteo, aut manu facto, sed æterno. Tertium est locusta quæ suo exemplo hortatur ad pacem & concordiam, & obedientiam. Parum enim prodest rerum copia & domus ornata, nisi adsit pax atque concordia. Quartum & postremum est stellio, vel mus araneus, qui manibus apprehendit & texit, non satis constat cuiusmodi animal sit, satis tamen certum est tale esse, quod exemplo suo docet, qua arte, modestia, & modo versandum sit in Principum aulis, vt omnibus sis gratus & neminem lædas.

29. *Tria sunt quæ, &c.* Hic alia animalium tetras proponitur, quæ magnificè superbéque incedere asseruntur. Verum cuiusmodi sint illa animalia nondum certò compertum est, siquidem voces Hebræas alij aliter exponunt. Primum plerique leonem interpretantur, secundum pardũ, aut canem venaticum (sunt enim illi lumbis præcincti, & ad cursum expediti) gallum non castratum, qui solent esse pugnaces, tertium hircum gregis ducem vel arietem, quartum Regem præpotentem, cui nemo facile sese opponit, aut opponere audet.

30. *Et qui stultus, &c.* Locus hic in Contextu nostro obscurus est, in Hebræo aliquanto clarior est. Sonat autem: Cum te efferres cecidisti, hoc est, si quid stultum, cùm te ipsum extolleres, designasti, aut si quod malum cogitasti, ori manum oppone, ne in lucem veniat. Nostra editio (in qua *Et*, & *Enim* redundant) hunc fere sensum offert, Qui posteaquam se extulit, stultum sese deprehendit, si id fore præuidisset, manum vtique ori admouisset. Qui enim prouidus non est, facile stultitiam suam aliis prodit, nunquam proditurus si incommoda, quæ inde tulit, perpendisset, docetur hic ex inani garrulitate multa pœnitentia digna nasci.

31. *Qui enim fortiter premit, &c.* Pertinent ad præcedentia; exponit

enim

enim aptâ quadam similitudine, quid incommodi sequatur ex nimia loquacitate, & facili contendendi, & quidvis impugnandi studio. Etenim vt vehemens lactis expressio educit butyrũ, & narium emunctio sanguinem, ita qui ira accensus quidvis temere oblaterat, excitat contentiones & lites.

PARAPHRASTICA CAPITIS TRIGESIMI PRIMI ET VLTIMI EXPLANATIO.

VERBA LAMVELIS REGIS.

1. *Visio quæ erudiuit eum mater sua.*

DOctrina, quæ capitis huius initio traditur, est institutio quædam qua Bersabæa Salomonem (quem hoc loco Lamuelem, eò quod Deus per id tempus cum illo adhuc esset, appellat) post Dauidis è viuis excessum instituit & erudiuit. Vocat autem eam institutionem prophetiam, quia non modo ad Salomonem sese extendit, verum ad alios quoque Reges, qui post ipsum venturi erant.

2. *Quid dilecte mi? quid dilecte vteri mei? quid dilecte votorum meorum?*

QVid dilecte mi facis? quid cogitas? quem ergame sensum obtines? Quid dilecte vteri mei (quem videlicet magno dolore, & molestia in vtero portaui, & ex vtero in lucem edidi & nutriui) quid potissimum aut pro te, aut abs te petam? aut salubriter tibi consulam? Quid dilecte votorum meorum, in quem nimirum omnia mea desideria, & vota, & studia tendunt, & tetenderunt hactenus semper; cui etiam magno studio & contentione regnum à patre impetraui, tibi primo & præcipuè suggeram? Captat per hæc autem non solum benevolentiam, sed magnam quoque erga filium demonstrat animi affectionem.

3. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam, & diuitias tuas ad delendos Reges.*

ANte omnia caue ne in mulieres tuãeffundas substantiã, tuamq. exhaurias fortitudinẽ, siquidem immoderata Venus non solum opes absumit, sed corporis quoq. & animi vires exhaurit. Neque studia & cogitata tua ad id transferas, quod per se sat est, ad exstinguendos & obliterandos Reges etiamsi cetera desint; nempe ad immoderatum mulierum amorem.

Quod

Quod præceptũ si Salomon obseruasset, in idololatriam, aliásque innumeras miserias numquam incidisset. Caue quoque Reges citra iustam grauémque causam bello lacessas, aut vt eos è medio tollas labores.

4. Noli regibus ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas.
5. Ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.

NON est Regum, ô Lamuel, indulgere vino, aut potationibus. Neque Principum auidius sectari vllum omnino inebriantem potum. Eapropter neque tibi ipsi, neque vlli alteri Regi, aut Principi, aut iudici, aut consultori immoderatè illud indulgeas, ne forte plus satis poti, & iudiciorum obliuiscantur, & pauperum & afflictorum causam negligant, & secretum patefaciant: siquidem vbi regnat ebrietas, ibi omne secretum omnisque castitas exulat. Ebrietas namque vini ad libidinem maximè prouocat; facile enim Venus & Bacchus inter se congruunt. Vtinam Reges, Principes, iudices, sacerdotes, & omnes omnino magistratus præceptum hoc diligenter subinde expenderent, studioséque obseruarent, omnia haud dubiè in Ecclesia & republ. æquabilius procederent.

6. Date siceram mærentibus, & vinum his qui amaro sunt animo.
7. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.

SI autem Regibus & Principibus, ceterisque iudicibus & magistratibus tantum vini dari non debeat, vt iustitiam & iudicium obliuiscantur: attamen mærentibus animique dolore & amaritudine tabescentibus & quasi pereuntibus, largius illud propinare licet; quo hac ratione mœroris & doloris sui ad tempus obliuiscantur vel leuius certè, quod animum excruciat, ferant. Quod hic autẽ de vino & sicera mæstis propinando docetur, id pertinet non ad Reges tantum, sed ad omnem omnino hominem, qui propinare, aut consolationem qualitercumque adferre potest.

8. Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum qui pertranseunt.

Aperi os tuum muto, hoc est, illi præ ceteris patrocinare, qui in ius vocatus filet, vel quia loqui non potest, vel qui loqui & se tueri non potest, vel quia loquens non auditur, aut quia denique absens accusatur,

adeóque de iure suo, nisi adsit qui adiuuet & defendat, periclitatur. Ne
solùm mutis, quacumque tandem de causa muti sint, patrocineris, vel
vniuersè mortalibus omnibus iniustè pereuntibus. Omnibus enim
suum administrandum est, maximè verò cum necessitas id exigit.

9. *Aperi os tuum, decerne quod iustum est, & iudica inopem & pauperem.*

APeri, inquam, os tuum & non alienum, hoc est, per te ipsum mi
rorum causam iudica & cognosce, & non per mercenarios iudic
qui muneribus facile corrumpuntur & deprauantur, & decerne quo
æquum & iustum est, præcipuè verò pauperis & egeni causam iustè & sa
ctè iudica, eumque ab aduersariis, à quibus iniustè premitur, defende;
quidem illi propter suam paupertatem & abiectionem præ aliis egent p
trocinio, defensioneque & ore alieno, cum os suum aperire non audea
vel non queant. Et hactenus quidem mater Salomonis pia & salutaria
lio, & per filium ceteris omnibus Regibus & Principibus documenta p
finiuit. Quod quia communem mulierum sensum & vsum excedit, Sal
mon occasione hinc acceptâ honestæ grauisque & prudentis matro
officia hic subiungit, ait autem.

10. *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius.*

QVis fortem virilisque animi mulierem inueniet? Etenim rara auis est
mulier masculi constantisque animi. Quod siqua vsquam talis com
peritur, eam mercibus omnibus ex locis longè positis allatis, imò vero
omnibus gemmis & margaritis iure antepone. Sublimiori sensu per ham
mulierē accipere licet animam virtutibus ornatam, vel Ecclesiam Christ
desponsatam; vel Virginem Matrem, quæ caput serpentis contriuit, nul
que vnquam peccato succubuit; aut diuinam quoque Scripturam. Co
tum est namque eam omnibus gemmis & margaritis pretiosiorem esse.

11. *Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit.*

COnfidit in ea cor viri sui, nam cum bona fide omnia administret, to
támq. familiam magna prudentia gubernet, neque quidquam vmq
quod cum honestate pugnet admittat, non potest non omnia bona ab
exspectare, certóque sibi polliceri rem familiarem ita aucturam, vt spo
rum causa ad bellum proficisci opus non habeat.

12. Re

12. *Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ.*

QVod si, vt fieri solet, maritus aliquando illi molestus fuerit non rependet illi malum pro malo, sed bonum pro malo; idque non semel & iterum, verum omnibus diebus vitæ suæ: sed neque spem quoque mariti fallet, aut in rei familiaris cura illum decipiet, verum opes facultatesque eius magis magisque semper augebit; studio autem ea quæ in bonis habet, diminuet numquam.

13. *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.*

CEterum rem familiarem non vsura, non turpi lucro, non proprij corporis quæstu augebit, sed opere manuum suarum. Nam ne sibi deesset, quò honestè se occuparet, remque domesticam amplificaret, non aspectauit vt maritus emeret sibi lanam & linum ad operandum, verum ipsamet vltro ea quæsiuit, & in opus textile conuertit. Neque omnia rursum ancillis commisit; sed ipsa simul cum aliis operata est, idque certo consilio & ex animo. Pulcrum hic mulieribus omnibus industriæ matronalisque honestatis exemplum proponitur.

14. *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum.*

MAgnas opes ex peregrinis longeque positis locis adferunt mercatores, citóque, si aliquot nauigationes feliciter confecerint, ditescunt: illis autem haud absimilis est mulier hæc mascula & rara. Nam opere & studio tantum conficit, vt veluti nauis quædam oneraria peregrinis quoque opibus & gazis mariti domum impleat, omniáque non modò ad victum, sed ad corporis quoque cultum necessaria abundè subministret. Siquidem pro his, quæ suis suorúmque manibus domi lucratur, comparat ea etiam, quæ domi vel in patria non prouenunt, & tamen ad ornatum & familiarem vitæ vsum plurimum faciunt.

15. *Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.*

NON indulget honesta hæc matrona nimio somno; verum summo mane ante solis ortum exsurgens, diurnumque opus ordinans, singulis operis pensum decernit atque præfinit, quoque ad laborem alacres sint; ancillis totique reliquæ familiæ cibi potusque dimensum distribuit;

ſtribuit; ita vt neque quidquam neceſſariorum deſiderent neque nimium rurſum abundent, aut affluant. Siquidem tam copia, quàm inopia rerum eſt periculoſa.

16. *Conſiderauit agrum, & emit eum, de fructu manuum ſuarum plantauit vineam.*

REbus domi rectè conſtitutis ad ea, quæ foris ſunt, nec non ad domeſticum vſum ſi non omnino neceſſaria, admodum tamen vtilia & opportuna ſunt, animum cogitationémque conuertit. Appulit enim ſenſum ad emendum agrum non quemuis, neque citra delectũ, ſed optimum & fertiliſſimum. Hoc enim innuitur hic per conſiderationis vel cogitationis vocabulum. At quia non ſat eſt habere cibum, quem fertiles agri copiosè ſubminiſtrare ſolent, niſi adſit & potus, propterea pingui aruo manuum ſuarum opere adiecit & vineam: vel certè in agro iam coëmpto vineam plantari, eámque per idoneos miniſtros excoli curauit.

17. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & robora uit brachium ſuum.*

ACcinxit robore & fortitudine lumbos ſuos: nam cum cura domeſtica non contenta, etiam ad agriculturam operáque externa animum ſemel adiecerit, opus fuit illi forti conſtantíque animo, & ad omnem laborem imperterrito; hæc autem animi corporisque fortitudo per lumbos & brachia maximè deſignatur.

18. *Guſtauit & vidit quia bona eſt negotiatio eius, non exſtinguetur in nocte lucerna eius.*

ET quia vſu ipſaque adeo experientia didicit eiusmodi negotiationem, nempe lanæ & lini tractationem, agrorumque & vinearum culturam vtilem & ſalutarem eſſe, propterea die noctuque in eo operum genere ſe exercet. Nam ne antelucanis operibus lanæ & lini, ceterisque ſimilibus tenebræ impedimentum adferant, tota nocte lucernam accenſam habet, ceteraque omnia obſtacula remouet, & operi inſudat.

19. *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.*

NEque enim propter opus rurale, quo interdiu ſe exercet, veſperi & manè ab opere domeſtico feriatur, quin potius diu noctúque domi foriſque operatur. Nam vt interdiu per ſe vel per adminiſtros ſuos manus

admouet

admouet ad ligonem, ſarculum, vel aratrum; ita noctù, hoc eſt, veſperi & ſummo mane applicat palmas ſuas ad verticulum vel colum, & digitis ſuis apprehendit tractátque fuſum, vel aliquid aliud eiusmodi: ſiquidem nullum ſibi indulget otium.

20. *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.*

NEque ſolum mulier hæc domeſticorum curam habet, verum etiam pauperum & egenorum. Nam manum ſuam aperit pauperi, & palmas ſuas extendit ad egenos, hoc eſt, non ſolum per ſe, ſed per alios quoque, quæ ad familiæ ſuſtentationem neceſſaria non videntur, liberaliter in egenos erogat. Eſt autem labor ille præ ceteris honeſtiſsimus & Deo gratiſſimus, qui impigrè ad egenorum alimentum & ſubſidium inſumitur.

21. *Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis: omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.*

NEC eſt quod laborem aut operas ſuas propter niuis vel hiemis frigora impeditum iri metuat. Siquidem in ædibus illius rerum omnium eſt abundantia, veſtiúmque omnis generis tanta copia, vt omnes domeſtici eius duplicibus induantur, vel, vt Hebræa ſonant, purpura & cocco veſtiantur. Quod ſi eiusmodi veſtibus pretioſis abundent, multo magis veſtibus craſſioribus, quibus frigoris iniuria arceri ſolet, abundabunt. En quantus prouentus honeſtorum laborum, en quanta rurſum largarum eleemoſynarum remuneratio. Hæc mulier, quod aſsidua eſſet in laboribus, & perbenigna in erogandis eleemoſynis, ingenti rerum omnium ad vſum & ornatum neceſſariarum copia affluebat.

22. *Stragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indumentum eius.*

AT non eas tantum veſtes parauit, quæ contra frigus faciunt, corpusq; contra aëris iniuriam defendunt, ſed eas etiam, quæ corpus totámque domum exornant: cuiusmodi ſunt tapetia vel aulæa, aurea & argentea vaſa, ſtragula pretioſa, aliáque ſupellex magnifica & ſumptuoſa. Etenim veſtem ſtraguli more contextam fecit ſibi, byſſóque & purpura ſeſe veſtiuit, ac torque aurea ſeſe ornauit.

23. *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.*

NEque se tantum suamq. familiam exornat; verum maritum quoque inter senatores terræque principes illustrem celebrémque reddit. Nam cum totam familiam ipsa regat, rémq. familiarem prudenter administrat, viro otium facultatémque facit, vt rebus politicis publicisque liberius vacare possit, & cum splendidè illum vestiat & ornet, ipsaque honestè viuat, magnam apud omnes auctoritatem illi conciliat. Pannosi enim vix aliquid habentur loco etiamsi alias sint prudentes.

24. *Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.*

SIndones & lintea pretiosa facit, & in exteras nationes distrahit vel suis quoque liberis in corporis ornamentum tradit: zonas itidem & cingula eleganter contexta & elaborata Chananæis negotiatoribus diuendit, pretiumque, si domesticus vsus aliud non suaserit, in eleemosynam conuertit.

25. *Fortitudo & decor indumentum eius & ridebit in die nouissimo.*

CEterum licet pretiosa quæque faciat, iisque sese ornet, attamen præcipuus illius ornatus non est vestis, aut aurum, aut aliquid aliud eiusmodi; sed virtus animique fortitudo, & alia similia, quæ cum ætate crescunt & florent magis, quàm decrescunt. Quamobrem senectam postremosque vitæ dies exiget lætos & iucundos, non tristes aut inamœnos, vt solent ignauæ illæ mulierculæ, quæ nihil boni habent præter formam, quæ in senecta deperit. Quo fit vt & sibi, & aliis quoque displiceant: non ita autem illæ, quæ omni virtutum genere excultæ sunt.

26. *Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius.*

MVlier hæc quoque non est garrula, non temeraria, non stulta, sed prudens, grauis, & modesta. Quare os suum non aperit vanè, asperè, aut stultè; sed sapienter cordatè, clementer, & benignè, hoc est, verbis, gestibus, totóque corporis habitu, & compositione erga omnes se ostendit benignam, clementem, & sapientem.

27. *Consideranit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.*

NEque contenta est vt ipsa sapienter, maturè, & grauiter in omnibus sese gerat, verum suæ quoque familiæ vias, hoc est, mores & actiones diligenter obseruat, vt siquid minus honestum, aut religiosum deprehenderit, illud sanari & emendari curet: neque tamen dum hæc facit, ab opere domestico cessat. Nam alios tantum otiosè obseruare, & ad opus vrgere, nihil autem laborare, parum ædificat, & rem familiarem parum quoque promouet.

28. *Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius, & laudauit eam.*

ET quia in omnibus piè, prudenter, & strenuè se gessit, deque omnibus bene mereri studuit, factum est vt apud omnes laudem promeruerit, bonamque gratiam inuenerit. Et quidem præ ceteris & ante omnes ij laudarunt eam, qui familiarius illam nouerunt. Nam & filij & filiæ in publicum prodierunt, & laudibus illam extulerunt: idem quoque fecit vir eius, ceteræque domestici.

29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.*

LAus autem illius in eo præcipuè posita dicitur, quod inter omnes mulieres, quæ virtutum ornamentis, animique dotibus floruerunt & vaserunt, ipsa primatum tenuerit; *Multæ*, scribitur hic, *filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Quadrat hic locus, sicut reliqua fere omnia, appositè in Diuam Virginem. Neque enim vlla exstat, aut exstitit aliquando quæ cum illa conferri possit.

30. *Fallax gratia, & vana est pulcritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.*

GRatia formæ, & corporis venustas, & pulcritudo res fallax & fugax est, bonumque prorsus incertum. Vnde nulla in eo fiducia ponenda verum timor Domini manet in æternum, redditque hominem vera & de laude dignum. Quo fit vt mulier non sit laudanda propter formæ gratiam, nisi cetera quoque illius studia & munera formæ sint consentanea. Ac quæ Deum timet, esto deformi corpore sit, præ ceteris tamen laudabilis est.

31. *Date*

31. *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.*

CVM igitur hæc talis virtutum ornamentis & opibus sit excu cumulata, quotquot adestis pro operum suorum ratione cer laudate eam, laudate eam, inquam, summo conatu, summoque studi quidem virtutis, bonorumque operum propria merces est laus, hon gloria. Quamvis ea interim humanis vocibus non magnopere indi nam opera illius publicè, & in ciuitatum portis deprædicant illam, misque laudibus apud omnes extollunt eam.

AD CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM ET VLTIMV SCHOLIVM.

V*Erba Lamuelis Regis, &c.* Salomon vocatur hoc loco Lamuel, q sonat: Cuius, vel cui Deus scilicet pater, tutor, vel protector ab illo namque Rex est constitutus, & peculiari amore dilec

1. *Visio qua erudiuit, &c.* Initio docuit se à patre institutum, cùm p adhuc tenellus esset; hic verò tradit, quæ accepit à matre posteaqu iam in Regem electus erat. Videtur hic autem noua libri pars, co tui. Habet enim peculiare exordium, documenta præterea quæ hic duntur, non à Salomone ad alios, sed à muliere ad Salomonem de ta sunt.

2. *Quid dilecte? &c.* Eorumdem verborum geminatione & be uolentiam captat, & affectum erga filium declarat. Filium votorum rissimum vocat, aut eum pro quo vota conceperat & fecerat. Est a oratio suspensa propter nimiam affectus vehementiã. subintelligitur e Quid pro te, vel abs te petam, vel quid ita viuis, cur ita moribus va peregrinis indulges? vel aliquid aliud simile.

3. *Ne dederis, &c.* Post exordium subiungit hic IV. præcepta: ho primum est, ne vires suas suamque substantiam per immoderatam l nem in mulieres exhauriat.

4. *Noli Regibus, &c.* Hoc est secundum præceptum, quo filium hortatur ab omni crapula & ebrietate, potusq. inebriare naticopia

gnat causam, quia vbi regnat ebrietas, ibi nullum est secretum, neque vllum rectum fertur iudicium.

6. *Date siceram, &c.* Ne quis existimaret vini vsum secundum se malum, atque ideo vniuersè omnibus vini potu interdictum esse, tertium præceptum subiicit, quo admonet mærentibus, nec non in graui animi amaritudine iacentibus largiorem vini haustum exhibendum esse, quo hac ratione miseriam suam obliuiscantur.

8. *Aperi os tuum, &c.* Hoc est, quartum præceptum, quo docet quibus in rebus Regum sedulitas præcipuè se ostendere, seséque occupare debeat, nempe in pauperum defensione, litiumque, quæ inter subditos subinde exoriuntur, diremptione. Mutum enim vocat qui causam suam per se agere aut tueri non potest, vel non audet. Per trãseuntes eos accipere licet, qui hinc tendunt ad mortem; vel eos, qui de vno loco migrant in alium; vt sunt peregrini aliique mutationi obnoxij.

9. *Aperi os tuum, &c.* Sensus est, non per mercenarios iudices cognosce pauperum causam & populi controuersias; sed per temetipsum, & iudica iustè, sanctè, & piè, ne iniustè opprimantur. Et hæc quidem pia mater ad filium Lamuelem, quæ vulgarium mulierum sensum excedunt. Quarē Salomon hinc captâ occasione describit matronam numeris omnibus absolutam omnibusque virtutibus expolitam, quales non ita multæ comperiuntur.

10. *Mulierem fortem quis inueniet, &c.* Interrogatio hæc raritatem aut rei difficultatem insinuat. Quod siqua tamen inuenta fuerit, ea omnibus mercibus & gemmis præstat.

11. *Confidit in ea, &c.* Non mirum, cum nihil in ea videat, quod fidem illius suspectam reddat.

Reddit, &c. Non modò mariti spem non fallit, verum asperius quoque, quàm par erat, interdum ab illo excepta pro malo bonum reddit, idque constanter.

13. *Quæsiuit, &c.* Docet qua via & ratione domum spoliis impleat; nempè labore, lanæque & lini opere, non fœnore, aut turpi negotiatione.

14. *Facta est, &c.* Confert eam cum naui oneraria: nam vt hæc multa & magna ex peregrinis locis adfert; ita mulier, de qua hic sermo, suis suarumque ancillarum manibus tantum bonorum in familiam infert, vt navicula quæpiam mercatoria videri queat.

15. *Et de nocte, &c.* Non indulget somno, verum de noctè surgens

ancillis ceterisque ministris annonam subministrat, non ad luxum, sed tantum ad necessarium vitæ vsum, quò fidelius & alacrius laborent, pensumque præfinitum absoluant.

16. *Consideranit, &c.* Domesticis constitutis mentis oculos ad externa conuertit, nempè ad agrum & vineam. Ex his namque, si benè excolantur, certus & continuus victus & potus subministratur.

17. *Accinxit, &c.* Benè hæc & commodè. Neque enim domestica & externa simul absque singulari animi & corporis fortitudine curari & administrari possunt.

18. *Gustauit, &c.* Indicat re ipsa comperisse eiusmodi studium, diligentiam & vigilantiam. Quare nequid sit in mora, lucernam tota nocte accensam fouet.

19. *Manum suam, &c.* Rusticano opere non obstante, nequid otij sit absque negotio, mane antequam ad opus prodeat, & vesperi rursum cum rure reuertitur, apprehendit verticulum & colum filúmque ducit, atque ita numquam est otiosa.

20. *Manum suam, &c.* Hoc illustre pietatis est argumentum: nec enim superfluas opes in terra defodit, sed in necessariū egenorū vsum dispertit.

21. *Non timebit, &c.* Assidui laboris fructum hæc insinuant; neque enim tanta splendidarum vestium copia in domo eius comperta fuisset, nisi strenuè laborasset.

22. *Stragulatam, &c.* Exposuerat omnia ei abundè ad vsum suppetisse, nunc subdit illa quoque in ædibus illius abundasse, quæ faciunt ad corporis cultum, & domus ornamentum.

23. *Nobilis, &c.* Exponit vt marito quoque inter terræ Senatores gratiam & authoritatem conciliet. Nam & corporis cultus & probitas vxoris, & rerum peritia maiorem in modū senatorij ordinis virum cōmendat.

24. *Sindonem, &c.* Domesticæ porro necessitati & ornatui abundè prouiso nondum se otio dedit. Verum pretiosam telam, & zonas muliebres, & alia id genus ornamenta contexit, atque in exteras nationes iusta mercede distrahit, pretiumque in egenorum opem conuertit.

25. *Fortitudo & decor, &c.* Indicat externis illis ornamentis non contentam, operam dedisse vt animi fortitudine, cōstantia, prudentia, aliisq. id genus virtutum ornamentis & floribus insigniter exornaretur, adeoque in senecture, quando aliæ mulieres ob dilapsum venustatis florem lugere solent, lætam, forè maxime verò quando aduenerit vltima illa vitæ lux.

26. *Ap-*

26. *Aperuit, &c.* Exponit cuiusmodi sermone vtatur, nempe prudenti, graui, & modesto, nec non ad misericordiam & clementiam composito.

27. *Consideranit, &c.* Non satiata priuatis animi opibus, etiam familiæ studia obseruat, mores notat, & siqua emendanda aduertit, ea emendare studet. Interim dum hæc agit, ipsa non est otiosa, sed operi semper intenta.

28. *Surrexerunt filiæ, &c.* Quandoquidem mulier hæc omnes honestæ & egregiæ matronæ partes præstiterat, supererat, vt digna laude euehere-tur. Siquidem virtutis præmium est laus. A nemine autem rectius & verius laudatur homo, quàm ab iis, qui virtutum illius conscij sunt, quales vtique sunt domestici.

29. *Multæ filiæ, &c.* Hæc est summa laus, nullam similem habuisse, sed procul omnes à tergo reliquisse. Conuenit propriè in Virginem Matrem, quæ nec similem habet, nec similem vmquam habitura est.

30. *Fallax gratia, &c.* Docetur per hæc solam formam sine aliis virtutibus rem fugacem & fallacem esse, adeoque ad absolutum mulieris cultum vtrumque requiri.

31. *Date ei, &c.* Hortatur vt pro ratione meritorum & operum suorum ab omnibus laudetur; etsi ipsa interim illius opera publicè in portis eam per se satis laudent.

FINIS.

IN PROVERBIA SALOMONIS OBSERVATIONES ET

Locorum aliquot Hebraïcorum Collatio potiſsimum è libris Singularium P. MARTINI DE ROA *Cordubenſis Societatis* IESV.

CAPITE I. Verſu 4. *Vt detur parvulis aſtutia*, &c. *Aſtutia* Salomoni vtramque in partem capitur, bonam malámve: vt Iureconſultis *Dolus* bonus malúsve. Sic mox Cap viij. Verſ. 5. *Intelligite parvuli aſtutiam*, & Cap. xiij. 16. *Aſtutus omnia agit cum conſilio.* B. Auguſt. Epiſt. ad Hieron. 29. Tom. 2. eandem ſignicationem in illo Salluſtij eſſe exiſtimat: *Neque illi tamen ad cauendum dolus, aut aſtutia deerat.*

Verſ. 10. *Si te lactauerint peccatores*, &c. de hac ab vberibus ducta tralat. P. Martinus de Roa lib. 2. Cap. 22.

Ibidem Verſ. 17. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum*, &c. Hebræis *Baal pennarum*, hoc eſt, pennipotentum, vt alia multa in ſacra Scriptura obſeruantur, vti Eccleſiaſte x. Verſ. 20. *Baal ſagittarum*, pro ſagittario.

Verſ. 24. *Extendi manũ meam, & non fuit qui aſpiceret*, &c. Queritur, quod cum multos ad ſe veluti ſublato ſigno euocaſſet, nemo tamẽ nomen illi dediſſet. Cuiusmodi alia multa ſunt in Sacris literis, quæ ex his non difficile fuerit æſtimare, quæ colligit P. Martinus de Roa lib. 1. Singulariũ Cap. 3.

Cap. ij. 17. *Et relinquit ducem pubertatis ſuæ*, &c. Sic inf. Cap. v. 18. *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ.* Hebr. eſt *Neurim*, quam ætatem terminarunt Rabinorum alij annis xx. alij xxv.

Cap. iij. 4. *Et inuenies gratiam*, &c. Hebræis *Inuenito* pro *inuenies*, vt Maroni: *Si fœtura gregem ſuppleuerit aureus eſto*, pro *eris*. Sic mox Cap. iiij. Verſ. 4. *Et viues*, benè reddidit Hieron. pro quo Hebr. *viue*.

Ibidem v. 19. *Deus Sapientia terram fundauit*, &c. Explicat B. Cyrillus Alexandrinus lib. v. Theſauri Cap. 8.

Ibidem v. 27. *Ne moliaris amico tuo malum*, &c. Hebr. *Ne arato*. Hieron. doctè *Ne moliaris* in vulgata reddidit. Sic Eccle. Cap. vij. Verſ. 13. *Noli arare*

aramendacium, vbi *amare* quidam præposterè legerunt. *Sic seminare iniquitatem* Prouerb. xxij. 8. & *Serere fallaciam* Plautus in Pseudolo.

Ibidem Vers. 19. *Cerua carissima & gratissimus hinnulus*, &c. Solent qui amant blandè compellando amicas suas *Ceruas* nuncupare. Sic in Canticis idem Salomon: *Ceruos hinnulósque, & capreas* sæpe coniungit. Psalmus quoque Regij vatis primus & vicesimus Hebræis inscribitur *Super cerua aurora*, hoc est *pulchra*, aliis verò *Super stella matutina*. vulgata autem sic: *In finem pro susceptione matutina*.

Cap. v. Vers. 3. *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius*, &c. Vidésne *oleum*, vt orationem significet speciè quidem blandam, re vero aculeatam? Hanc item Sapiens *Molliores* etiam *sermones* Prouerb. ij. appellat. Plautus quoque in Mostellaria de scorto: *Gustu dat dulce: amarum ad satietatem vsque aggerat*. Plura Roa lib. i. Singularium Cap. 5.

Cap. vi. Vers. 1. *Si spoponderis pro amico tuo defixisti manum tuam apud extraneum*, &c. Id est, ius & potestatem extraneo fecisti, vt te manu prehendat & quasi debitorem suum apud iudicem vocet, ac quæ spopondisti repetat. Laqueatus enim es verbis oris tui, & captus sermonibus proprius, quoniam cum spopōdisti pro amico, creditori te permisisti, vt capiat te si velit, aut cum velit, ac vinciat. Nam *defixam esse manum*, nihil est aliud, quàm habere alterum potestatem ad prehendendum eum, qui defixit, & manu consertum vocandi, sistendique iudici. Posse autem aliquem *manum tangere*, aut *defixam esse manum alterius*, in idem recidit. Morem explicat Roa lib. i. Singularium Cap. 4. Vide & infra Prouerb. v. Cap. xxij. 26. Vide Adagium: *Sponde, noxa præsto est*, & Budæum in Pandect. de *Antestare*, & in Iure *Manu consertum*.

Vers. 9. *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur*, &c. De homine Belial improbo, lasciuo, & impudico Sapiens loquitur. Non dissimilis apud Nævium Poëtam impudicæ mulieris gestus:

——— quasi in foro pila
Ludens datarim dat se, & communem facit,
Alium tenet, alij adnutat, alibi manus
Est occupata: ast alij peruertit pedem,
Alij dat annulum de labris.
Alium inuocat, cumque alio cantat: attamen
Aliis dat digito litteras.

Vers. 11. *Veniet tibi quasi viator egestas, & paupertas quasi vir armatus*, &c. Hic & de loci sententia, & de varietate lectionum multa exsistunt, quæ dubitationem efficiant. Enimverò Lxx. ita legunt: *Deinde superuenit tibi tamquam malus viator paupertas, & egestas tamquam bonus cursor*. Symmachus: *Quasi vir clypei*. Theodotion: *quasi hastifer*. Chaldæus: *Quasi vir rectus*. Græcè: ὥσπερ κακὸς ὁδοιπόρος, *Sicut malus cursor*, siue *viator*. Plura ad hunc locum Roa lib. III. Cap. 2.

Cap. vij. Vers. 3. *Scribe illam in tabulis cordis tui*, &c. Non minus lepidè est apud Poëtas Græcos Æschylum & Pindarum, ἐγγράψον αὐτὰ δέλτοις φρενῶν, & apud Comicum: *Etiam nunc mihi scripta illa dicta sunt in animo*. Quæ est formula, qua exactam, & firmam comprehensionē significamus.

Cap. viij. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret ex principio*, &c. Quod hic *ex principio* Hieron. vertit, alibi *ex tunc* reddit, Psalmo xcij. 3. *Parata sedes tua ex tunc*, Græcis ἀπὸ τότε: vtrumq. pro *ab æterno*. Copiosè autem hunc locum explanat B. Cyrillus Alexandri. lib. v. Thesauri Cap. 1. 4. 7. & 8.

Vers. 31. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, &c. Id est, perinde me cum agitur (ait Dei filius patiens) ac si in eadem essem damnationis causa, qua ceteri hominum. Ii enim filij hominum, qui loquuntur, & faciunt opera hominum. Martinus de Roa lib. iv. Singularium Cap. 12.

Cap. x. 4. *Egestatem operata est manus remissa*, &c. Hebr. *Pauper fit qui operatur manu doli*, pro *manu ignaua*, vt infra Cap. xix. 5. Hebræis: *Anima doli esuriet*. *Dolus* verò alibi pro homine doloso Hebræis. Cap. xij. Versu 24. & 27.

Cap xi. Vers. 22. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulcra & fatua*, &c. Alij *Annulus* habent. In sacris litteris inscij & fatui suibus comparantur, vt docet Roa lib. I. Singularium Cap. vij. Hebraicè autē est *Mulier pulcra, eadémque recedens à mente*. Chaldæis *fœtido sensu*, pro fatua, in quo duplex item Metaphora latet, prior in verbo *recedendi* ab acidis vuis sumpta; altera in voce *mentis*, quæ Hebr. *Taam* est, id est, gustus & sapor, vnde sæpe tralatio ducta ad mentem, vt ne longe abeam, inf. Cap. xxxi. 8. *Gustauit & vidit*, &c. Et Psalmo xxxiij. 9. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*.

Cap. xiij. Vers. 9. *Lux iustorum lætificat, lucerna autem impiorum peribit*, &c. Eisdem pænè verbis legitur Iob xviij. & xxi. Item hic Prouerbiorum xxiv. Vers. 20.

Cap. xiv. Vers. 13. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat*, &c.

cupat, &c. Hebræa longè significantius: *Etiam in risu dolebit*. Ampla & satis obuia in Sacris litteris huius loci locupletandi materies, ait Mart. de Roa lib. I. Singularium Cap. vi.

Vers. 20. *Amici diuitum multi*, &c. *Amicos* trifariam dici obseruatum, pressè, latè, & latissimè. Pressè qui est alter ipse, vt inf. Cap. xviij. 24. *Vir amabilis ad societatem magis amicus erit, quàm frater*. Latè verò hoc loco: latissimè denique pro quovis proximo vt Deuter. xix. 5. & rursum xxiij. 25. *Si intraueris segetem amici*. Huc refer Apologum de Cassita & Amicis ex Agellio lib. ij. Noct. Attic. Cap. 29.

Vers. 30. *Vita carnium sanitas cordis*, &c. *Vita carnium* pro bona valetudine, significans: si mens sana sit, corpori melius esse. *Caro* enim pro *Corpore*. Huc pertinet Galeni medicorum principis de corporis & animi necessitudine liber.

Cap. xv. 20. *Stultus homo despicit matrem suam*, &c. Hebr. *Stultus Adam*, pro *hominum*, hoc est, filius stultus, vt alibi sæpe. Mercerus tamen mirè exponit: *Stultus prouectæ ætatis*.

Cap. xvi. Vers. 29. *Vir iniquus lactat amicum suum*, &c. Hoc est, promissis, ac blandimentis ducit in fraudem Ductam Metaphoram ab vberum lacte, vt & supra Cap. i. Vers. 10. *Filimi, si te lactauerint peccatores*, docet Roa Singularium lib. ij. Cap. 22.

Cap. xviij. 25. *Ira patris, filius stultus*, &c. Hebr. *Non gaudet stulti Pater* pro non semper lætatur, etsi tenerè filium amet σοργῇ φυσικῇ parens amentis. Ita supra Sapiens Cap. x. 2. *Non prosunt thesauri improbitatis*, hoc est, obsunt. Exilius enim dictum quod exaggerandum erat.

Cap. xix. 5. Testis falsus non erit impunitus, *&c.* Hebræis est *Anima doli esuriet*. Quo in loco *Dolus* pro ignauia vt ad Cap. x. Vers. 4. supra adnotare memini.

Vers. 11. *Et gloria eius est iniqua prætergredi*, &c. Hebræis. *Eique decori est transire super scelus*. *Transire* autem ac *præterire*, vt B. Hieron. obseruauit, partim *punire* est in sacris litteris, partim *dissimulare* ac *præterire*, vt hoc in loco, & Amos vij. 8.

Cap. xxi. Vers. 4. *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis, lucerna impiorum peccatum*, &c. Nonnulli *Lucernam impiorum*, per exaltationem oculorum, & dilatationem cordis accipiunt, vt sit sensus: Arrogantia, in qua superbi felicitatem suam ponunt, peccatum est, hoc est, malum: quippe Deus superbis resistit, *&c.* Pluribus explanat P. Roa Cordubensis lib. ij. Cap. xviij.

Cap.

Cap. xxij. Verſ. 9. *Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur*, &c. Hebræis, *Bonus oculus*, &c. *Boni* vox in ſacris eandem vim habet quam Deus vt docet P. Martinus Singularium lib. I. Cap. 9. Sic Matthæi xx. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*

Ibidem Verſ. 26. *Noli eſſe cum his, qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe efferunt pro debitis*, &c. Lucem accipiet hic locus è ſuperiori Verſu 23. huius Capitis. Cum enim hortatus eſſet Sapiens, ne pauperes ob debita in iudicium vocaremus, opprimeremúsque pro libidine, cauſam adiunxit: *Quia iudicabit Dominus cauſam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Hoc eſt, coget eos Dominus eandem ſubire fortunam, ad egeſtatem redigens, ita vt ære alieno obligentur, & creditores in eos manus iniiciant vinciantque, non ſecus, atque ipſi in defixos, id eſt, obligatos ſibi pauperes ſæuierunt. Sic nouè ac diſertè ex veterum ritu explanat hunc locum Martinus de Roa Cordubenſis lib. I. Singularium Cap. 4. & nos ſup. ad Cap. vi. Verſ. 1.

Cap. xxiij. Verſ. 31. *Ingreditur blandè* [vinum] *& in nouiſsimo mordebit vt coluber*, &c. Hoc eſt, quemadmodum vbi corpus ac mentem vinum occupauit, omnia perturbata & confuſa cernimus, ex vna duas flammulas videmus, firmiſsimæ columnæ nutant; ita etiam, quæ ſunt in mente, rerum figuras atque imagines, ſiue phantaſmata turbat, ac miſcet, facitque vt amici arcanum, quod cum eſſet integrum, viſum eſt dulciſsimum amicitiæ pignus, in ebrietate ſit vipera, quæ viſcera diſrumpat vt exeat, deinde cum exierit, & auctorem perdit primum, & alios deinde diſcruciat. Conuenit Plutarchus libro de Loquacitate: Belonas, inquit, piſces & viperas partu rumpi aiunt, arcana autem eos, qui non continent, foras elapſa perdunt. Roa lib. vi. Singularium copiosè Cap. xij. & lib. ij. Cap. xviij.

Cap. xxiv. 16. *Septies cadet iuſtus & reſurget*, &c. *Cadere* hic pro peccare adhibitum, Alias pro inferiorem eſſe, & occumbere: interdum pro caſtra ponere.

Ibidem Verſ. 20. *Ne æmuleris impios, quoniam non habent futurorum ſpem*, &c. Explicat P. Roa lib. ij. Singularium Cap. xviij.

Verſ. 34. *Veniet tibi quaſi curſor egeſtas*, &c. Hinc mutuatus Sirachides Cap. xi. 2. Εφι κοπιῶν καὶ πονῶν καὶ σπευδῶν καὶ τοσοῦτῳ μᾶλλον ὑστερεῖται vt alias ſæpe Salomonem Sirachides exſcripſit, verbi gratia Eccleſi. xx. 8. ἐστὶν εὐδοκία ἐν κακοῖς ἀνδρὶ ἁμαρτωλῷ Expreſsit ex illa ſententia Prou. xv. 21. *Stultitia gaudium eſt ſtulto.* Plura non ponam in præſens cum ponat alius.

Cap. xxv.

Cap. xxv. 2. *Gloria Dei est celare verbum*, &c. Integrum hic est *Dei verbum* quod concisè sup. *Verbum* dumtaxat nominat Cap. xiij. Vers. 13. Hebraicè: *Qui contemnit verbum id ei dolori erit.*

Ibidem Vers. 8. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò*, &c. Sapiens adeo hic fugiendam perfidiam ait, vt ne scelus quidem, quod ipse viderit, proferri velit in vulgus &c. Plura colligit Martinus de Roa lib. vi. Singularium Cap. xij.

Cap. xxvi. 17. *Sicut qui apprehendit auribus canem*, &c. Adagij specie dictum, Hebræis *Canis aures apprehendit*, qualis Græcis παροιμία est: τῶν ὤτων κρατεῖ τὸν λύκον. Auribus lupum tenet, &c.

Cap. xxviij. 2. *Propter peccata terræ multi Principes eius*, &c. Pernitiosas esse ciuitatibus crebras Principum mutationes significat, cum ferè bonis mali succedant, aut malis peiores. Ita Eccles. x. 16. *Væ tibi terra cuius Rex puer est.*

Cap. xxx. Vers. 19. *Viam colubri super petram, viam nauis in medio mari*, &c. Hebræis est *in corde maris*, quia Cor hominis medium quibusdam Philosophis visum, aliis *vmbilicus*. Sic Exod. xv. 8. *Congregati sunt abyssi in medio mari*, pro quo Hebr. *in corde maris*. Et B. Hieron. Prologo in Michæam: *Quasi in corde voluminis positus, debet profunda continere mysteria.* Intelligit nimirum Michæam medium esse duodecim inter Prophetas minores. Sic *cor terræ* Matth. xij. Vers. 40. pro *sepulcro.*

Ibidem: *Viam viri in adolescentia*, &c. Sic B. Hieronymus. Lxx. enim ὁδὸς ἀνδρὸς ἐν νεότητι, Symmachus vertit ex Hebr. ἐν νεάνιδι *In adolescentula*, Chaldæus Paraphrastes *Viam viri in virgine*, reddit quod Hebræis est *Almah*: de qua voce idem Hieron. ad illud Esaiæ. vij. 14. *Ecce virgo concipiet*, vt mysticè ad B. Virginem à SS. Patribus rectè referatur de, qua Hieremias Cap. xxxi. 22. *Creauit Dominus nouum super terram Femina circumdabit virum.*

Cap. xxxi. Vers. 24. Cingulum tradidit Chananæo &c. pro Mercatori, vt Oseæ xij. 7. *Chanaan in manum eius statera dolosa*, & Sophon. I. Vers. 11. Sic frequens in sacris litteris *Arabs* pro *Latrone*, & *Chaldæus*, pro *Mahomatico.*

Ibidem Vers. 25. *Fortitudo & decor indumentum eius*, &c. Ita vates Regius Psal. xcij. *Dominus regnauit, decorem induitus est, induitus est fortitudinem*, &c. Explicat P. Martinus de Roa lib. iij. Singularium Cap. 4.

RERVM MEMORABILIVM INDEX.

IN PROVERBIA SALOMONIS

EX PARAPHRASI ET SCHOLIIS P. THEODORI PELTANI.

Numerus Romanus Caput, Barbaricus eiusdem versum designat.

A.

ADagia: vide Prouerbia.
Adolescens perditè amãs vij. 7. 8. 9. eiusdem pericula vij. 22. 23.
Adolescentis via ignota xxx. 18.
Adolescentiæ mores ægrè mutantur xxij. 6.
Adulteræ via ignota xxx. 19.
Adultera non retinenda xviij. 22.
Adulterij mala vi. 32. 33. 34. 35.
in Aduersis ne despera xxiv. 10.
Aequitas Deo grata xi. 1.
Agrorum amœnitas xxvij. 25.
Agricola diligens xxviij. 19.
Agriculturæ commendatio xxvij. 23. 24. 25. 26.
Agriculturæ commoda xij. ij. xiv. 4.
Agni & oues nos vestiunt xxvij. 26.
Ambulans peruersè xxviij. 18.
Amor ignis est vi. 27.
Amicus verus xxvij. 6. fidelis xi. 13. in aduersis xvij. 17.
Amicus amabilis fratre carior xviij. 24
Amicum fraudans xxvi. 18.
Amicitia colenda iij. 29. 30. xi. 12. xxv. 10. xxvij. 10.
Amicitiam violare xviij. 1.
Ancilla heræ domina intolerabilis xxx. 23.
Animæ scientiæ xix. 2.
Animam seruat linguæ custos xxi. 23.
Animi index sermo xxvi. 24. xxvi. 19. 21.
Antiquitatem sequere xxij. 28.
Apostatæ descriptio, vi. 12. 13. 14. eius pœna, ibidem 15.
Aquarum diuisiones xxi. 1.
Aquilæ via ignota xxx. 18.
Arcana reuelans fugiendus xx. 19.
Arcana tegere xxv. 29.
Argentum purgatũ xxv. 4. xxvij. 21.
Arietis occursus xxx. 31.
Arrogans detestandus xvi. 5. xxi. 24. xxvi. 12.
Arrogans iurgia concitat xxviij. 25.
Astutus xiij. 16. xiv. 15. 18. vide sapiens xxvij. 12.
Auarus destruit xxix. 4.
Auarus pauper. xiij. 7.
Auari inexplebiles xxvij. 20.
Auaritia coërcenda xxiij. 4. 5. eius finis xv. 27.
Aurum in fornace exploratur xvij. 3.

B.

BEllum consiliis gerendum xx. 18. xxiv. 6.
Bella Deus dirigit xxi. 31.
Benedictio Dei xi. 25.
Bilinguis noxius xviij. 8.
Boni: vide Iusti.
Bonã mulierẽ quis inueniet? xxxi. 10
Viro erit solatio xxxi. ij. 12.
Laborat manibus Ibidẽ 13. 14. 27.
Pascit domesticos Ibidem 15. & vestit Ibidem 21.
Vineam plantat Ibidem. 16.
Fortis est xxxi. 17.

Ad lu-

Ad lucernam vigilat, Ibidem. 18.
Pensa colo trahit, Ibidem 19.
Dat egeno, Ibidem 20.
Eius vestis & ornamentũ, Ibidem 22. 25.
Prudens sermo, Ibidem 26.
Laudatur à prolibus, Ibid. 28. 29.
Timet Deum, Ibidem 30. 31.

C

CAlamitas subita & repẽtina i. 27.
CCalumniatoris pœna xxviij. 17.
Callidus & vafer xxij. 3.
Canities senij decus xx. 29.
Cantio lugenti ingrata xxv. 20.
Caritas operit delicta x. 12.
Celare delictum xviij. 9. xxviij. 13.
Chananæus mercator sindonem emit xxxi. 24.
Clementia xi. 19.
Regis xvi. 15. xx. 28.
Cogitata varia xix. 21
Cogitata impiorum xv. 5. 26. xvi. 30
Stultorum xxiv. 9.
Deo reuelanda xvi. 3.
Comedenti cum Rege quid seruandum xxiij. 1. 2. 3.
Commessatores vitandi xxiij. 20. 21.
Commessatorũ pœna xxiij. 29. 30.
Coniux amanda: vide vxor.
Consilia amici iucunda xxvij. 9.
Consideranda via vitæ iv. 25. 26. 27.
Consilij vtilitas xi. 14. xiij. 10. xv. 22. xix. 20. xx. 5. & 18.
Consilium nullum contra Deum, xxi. 30.
Consortium bonorum xiij. 20.
Addit sapientiam xxi. 11.
Improborum vitandum xxiv. 1. 2.
Consuetudo non nimis frequens xxviij. 17.
Contentio: vide Rixa
Contrij pœna xxvi. 2.
Conuiuia Caritatis xv. 16. 17.
Conuiuia quæ fugienda xxx. 6. 7. 8. 20. 21.
Cor hominis xviij. 12.
Cor Deus explorat, vt aurum in fornace. xvij. 3.
Cor Regis in manu Dei xxi. 1.
Cor gaudẽs xv. 13. xvij. 22. xxiij. 15
Insipiens xij. 23.
Prudens xviij. 25.
Scientiam quærit xxvij. 21.
Mundum xx. 9. xxij. 11.
Prauum detestandum xi. 20. xvij. 20. Malum quærit xxvij. 21.
Sibi conscium xiv. 10.
Cor sanum corporis sanitas xiv. 30. xvi. 24.
Cordis custodia iv. 23. xvi. 17.
Correptio salutaris xvij. 5. 6. xxviij. 23. xxix. 15.
Correptio prudentis xvij. 10. xix. 25.
Correptionem repudiantis pœna xxix. 1.
in Crastinum ne differas xvij. 1.
Crudeles in propinquos xi. 17.
Cubile in petra collocans xxx. 26.

D

DEceptor iustorum xxviij. 10.
DDerisorum vitium ix. 7. 8. xiv. 6
Derisor sibi nocens ix. 12. xix. 29. xxij. 10.
Desiderium præstolans xvij. 8.
non Desperandũ in aduersis xxiv. 10
Detractoribus non vtendũ xxiv. 21.
Detractor quomodo reprimẽdus xxv 23. xxvi. 20.
Eius verba xxvi. 22.
Detractio vitanda xxv. 8.
Detractionis pœna xxiv. 22.
Dei periphrasis xxx. 4.
Dei benedictio x. 22.
Dei nomen turris xviij. 10.

Eius prouidentia vi. 21. xv. 3. xvi. 1. xxij. 12.
Omnia speculatur xvi. 2. xx. 27.
DEVS mundum creans viij. 26. 27. 28. 29.
Iustos exaudit xv. 29.
Iustos tuetur ij. 7. 8. 9.
Et pauperes xxij. 23.
Gressus dirigit iij. 5. 6. xvi. 9. xx. 24.
Septem odit vi. 16. 17. 18.
Superbos deprimit, attollit humiles xxix. 23.
Homines destruit xvi. 7.
DEVS quomodo placandus xvi. 7.
Cordis inspector xxiv. 12.
Auctor auris & oculi xx. 20.
contra Deum non est consilium xxi. 30.
Deus bella conficit xxi. 31.
Diligentia & Gnauitas xij. 24, xxviij. 10. xxiv. 17. vide Pigritia xiij. 4.
Diligentia abundabit xxi. 5.
Diluculo surgit iustus xi. 27.
Discendi cupiditas xxiij. 23.
Disciplina Dei iij. 11.
Disciplina non negligenda v. 12. xv. 12. xix. 20.
Eius vtilitas vi. 23. 24. x. 17. xiij. 13. xix. 20. 27.
Disciplinam detrectantiũ pœna i. 28. 29. 30. 32. xiij. 18. xv. 5. 10.
Dissimulare nouit prudens xxix. 11.
Diues gloriosus xij. 9. xix. 1. xxviij. 11. fictus xiij. 17.
Superbè loquitur xviij 23. xxij. 7.
Diuitis & pauperis comparatio xxij. 2. xxviij. 6. xxix. 13.
Diuitum amici multi xiv. 20. xix 4.
Diuitiæ xiij. 8. xviij. 11.
Nimis festinatæ xiij. 11. xxviij 20. 22.
Stulto nihil prosunt xvij. 16.
Non liberant à morte xi. 4.
Non nimis expetendæ xxiij. 4. 5.
Diuitiis non fidendum xi. 28.
Diuitiis bona fama præstantior xxij. 12.
Diuitias & inopiam deprecatur Salomon xxx. 8.
Doctus, idem fortis xxiv. 5. 6.
Doctrina auro potior viij. 10. 11. xiij. 15.
in Doctrina abundantia xxiv. 4.
Dolosus sermo xij. 20.
Homo xiij. 13. xiv. 15. 17. xvi. 24. 25. 26. vide Fraudulentus & Fictus homo.
Domus: vide Familia
Domos altas ædificare xvij. 16. 19.
Donum: vide Munus.
Durus erga pauperes non exaudiens xxi. 13.
Duræ ceruicis casus xxviij. 14.
Dux imprudens xxviij. 16.

E.

EBrietas xi. 25. xij. 1.
Arcanum detegit xxx. 4.
Fugienda xx. 1. xxiij. 20. 21.
Ebrietatis pœna xxiij. 29. 30.
Eleemosynæ vtilitas iij. 3. 9. 10. 27. 28. xi. 24. xix. 17. vide Misericordia
Eleemosynam dat bona Materfamilias xxxi. 20.
Eleemosynam dans fit ditior xxviij. 27.
Qui negat pauperi egebit xxi. 13. xxviij. 27.
Emptorum vitium. xx. 14.
Equis non constat solum bellum xxi. 31.
Eruditio xvi. 20. 22. xvij. 27.
Errantis pœna xxi. 16.

Esurientem pasce (vel inimicum xxv. 21. 22.
Eximenti omnia suauia xxvij. 7.
Eucharistiæ Sacramentum ix. 2. 5.

F.

Fallacia noxia xi. 3. per totũ caput.
Fama bona xv. 30.
Fame negligenda quia diuitiis præstat xxj. 1.
Familia cum gaudio xvij. 1. iurgiosa xvij. 1.
Familiaritas nimia contemptum parit xxv. 17.
Fatuus: vide stultus
Femina, vide Mulier.
Feminæ pulcritudo citò perit xxxi. 30.
Feriator cui congreget xxviij. 8.
Feminæ diuitiæ xiij. 11. xxviij. 20. 22.
Fidus homo xi. 9. xxvi. 24. 25. 26. xxix. 5.
Fidus amicus xxvi. 20. xxvij. 14. xxix. 5.
Fides pauci xx. 6. xxiij. 13.
Fides crescit xxvij. 20.
Fidusio: vide Sponsio.
Filius stulta xxviij. 26.
Filius in Domino xxij. 19.
Filius sapiens x. 1. 5. xij. 1. 2. xiij. 1. 20. 21.
Filius stultus x. 1. 5. xij. 1. 2. xv. 20. xvij. 25.
Filius est patris xix. 13.
Filius puniendus xxij. 15.
Filius ridens xxix. 27.
Filius peccat xxviij. 24.
Filius maledicens xx. 20.
Filium irridens. xxx. 17.
Filius in parentes, eiusque pœnitentia xx. 17.
Filij disciplina i. 8.
Filiis quæ fugienda parentes doceant v. 1. 2. 3.
Filij inobedientis pœna xix. 26. xxx. 17.
Filij castigandi xiij. 24. xxij. 15. xxiij. 13. erudiendi xix. 18. xxix. 17.
Filij boni lætificant parentes xxiij. 4. 5.
Filij filiorum senum dignitas xvij. 6.
Forma bonum fragile xxxi. 30.
Formica xxx. 25.
Formicæ exemplo exsuscitandi pigri vi. 6. 7.
Fortitudo xv. 6.
Frater procul xxvij. 10.
Fratrum concordia qualis xviij. 19.
Fraudans amicum xxvi. 18. 19.
Fraudulentus xi. 13. xij. 27. vide Dolosus.
Fraudulentus vitandus. xx. 19.
Fructus obedientiæ i. 33. ij. 1. 2.
Fructus iustorum ij. 21.
Frumentum ne abscondas xi. 26.
Quales Dardanarij dicti Iureconsultis.
Furax filius peccat xxviij. 24.
Furi participantis merces xxix. 24.
Furti mala. vi. 30. 31.

G.

Gallus gallinaceus xxx. 31.
Garrulitas: vide loquacitas
Gaudium animi longæuos reddit xvij. 22.
Generatio prauorum xxx. 11. 12. 13.
cum Gigantibus morari pro cũ Diabolis xxi. 16.
Gloria stulto indebita xxvi. 1. 8.
non Gloriandum coram Rege xxv. 6. 7.
Gratia colenda xv. 10.
Gradientia benè quattuor xxx. 29.
Gubernator vrbis xi. 14.
Gulæ deditus egebit xxi. 17.

H.

HÆreditas xi. 24. xiij. 22. 23.
à parentibus xix. 14.
Festinatæ hæreditatis finis xx. 21.
Hirudinis seu sanguisugæ filiæ duæ xxx. 15.
Homo hominem acuit xxvij. 17.
Homo verbis suis exploratur xxvij. 21.
Hominem timens xxix. 25.
ad Honores stultus euectus xxx. 32.
Hostiæ: vide victimæ
in Hostis interitu non gaudendum xxiv. 17. 18.
Humiles Deus attollit xxix. 23.
Humilitas gloriam parit xv. 33.
Humilitatis bona xi. 2. xvi. 19.

I.

IActabundus nubi persimilis xxv. 14.
Ignauus: vide piger
Ignis in sinu, pro Amore vi. 27.
Ignis insaturabilis xxx. 16.
Illusor: vide Derisor.
Impatiens xiv. 29.
Eius damna xix. 19.
Impiger pauperiem effugit vi. 11.
Impius quis xxi. 10. 29.
Impius arguendus xxiv. 25.
Quâ mercede xxiv. 25.
Cur viuat impius xvi. 4.
Impium iustificans grauiter peccat xvij. 15.
Impius cum iusto collatus xxviij. 1.
Impij pauor x. 24. 29.
Impij non timent iudicium xxviij. 5.
cum Impiis non certandum xxiv. 19. 20.
Impios non timendos iij. 25. 26. 31.
Impiorum os xix. 28.
Vita eorum breuis x. 27. xij. 3.
mala impiorum exempla xxviij. 28. xxix. 2.
Vindicta x. 2. 3. 6. 7. 8. 11. 16. 24. 25. 28. 30. 31. 32. xi. 18. 21. 23. xij. per totum xiij. 5. 6. 9. 25. xiv. 11. 32.
Interitus xxviij. 12.
Mors xi. 7.
Lapsus in profundum xviij. 3.
Impostor: quære Deceptor.
Imprecatio serui xxx. 10.
Improbus iurgia quærit xvij. 11.
Seminans mala metet xxij. 8.
Improbi sibi maximè noxij i. 18. 19. ij. 13. 14. 15. 22. v. 22. 23. xvi. 27.
Consortia improborum vitanda iv. 14. 15. 16. 17. 19. xvi. 29. xxiv. 1. 2.
Inconstans xxvij. 8.
Indoctorum egestas x. 21.
Infernus non expletur xxvij. 20. xxx. 16.
Inimicis benignè fac xxv. 21. 22.
Iniquitas indolus Mercatorum, xi. 1.
Iniustitia xi. 6.
Insaturabilia quattuor xxx. 15. 16.
Insidiator sibi nocet xxvi. 27.
Inuidorum conuiuia ne sectare xxiij. 6. 7. 8.
Inuidiæ malum xiv. 30.
Ira moderanda xviij. 14. xxvij. 4.
Ira stulti qualis xxvij. 3.
Ira muneribus placatur xxi. 14.
Iracundus v. 18. xxix. 22.
Facile peccat xxix. 22.
Parit discordias xxx. 33.
Iracundo familiaris ne sis xxij. 24. 25.
Iudex muneribus corruptus xvij. 23.
Personarum acceptor ne sit xxiv. 23. xxviij. 21.
Iudicis officium xviij. [illegible]
Iudicium xxvi. [illegible]

Vidi[illegible]

Victima gratius xxi. 3.
Iusti iudicij vtilitas xxi. 15.
Falsi pœna xxiv. 24.
Iudicium non timent impij xxviij. 5.
Iurgium: vide Rixa
Iustus sui accusator xviij. 17.
Simpliciter ambulans xx. 7.
Pauperes amat xxix. 7.
Malos auocat xxi. 12.
Desiderium concitat xxi. 20.
Se emendat xxi. 29.
Septies cadens resurgit xx. 16. xxv. 26.
Iusto molestus ne sis xxiv. 15. ne lædas xvij. 16.
Iusti & impij comparatio xi. per totum xxviij. 1. xxix. 27.
pro Iusto impius xxi. 18.
Iusti iudicij fructus xxi. 15.
Iustorum gloria xxviij. 12. illorum semita calcanda iv. 18. xij. 28. præmia x. 2. 6. 7. 8. 11. 16. 24. 25. 28. 30. 31. 32. x. 10. 11. 18. 21. 23. 30. xij. per totum xiij. 15. 6. 9. 21. 25. xiv. 11. 32.
Iustitia xiv. 34. xv. 5. xvi. 12.
Morte eripit xi. 4. 5. 6. 8. 9. xij. 3.
Magis quàm victima necessaria xvi. 5. 6.
Fructus xxi. 21.
Iustitia pro Eleemosyna. xvi. 5. 6.

L.

LAboris vtilitas xvi. 26.
Lætitia: vide Gaudium
Laus propria sordet xxvij. 2.
Legatus fidelis adfert lætitiam xxv. 13.
Legem custodientes quales xxviij. 4.
Sapiunt xxviij. 7.
Beati xxix. 18.
Auertantes legem xxviij. 9.
[illegible] pauens xxx. 30.
Lepus xxx. 25.
Liberalis xv. 27.
Lingua x. 18. 20. xij. 13.
Mendax xij. 22. xvij. 4. xix. 5.
Peccat xxi. 6.
Peruersa xvij. 20. xxvi. 28.
Lingua bona xvij. 4.
Fauus mellis est xvi. 24.
Linguam Deus moderatur xvi. 1.
Linguæ bona xij. 14. 18. xiij. 2. 3. xv. 2. 4. 7. 23. 26. 28. xviij. 20. 21.
Linguæ custodia animam seruat xxi. 23.
Liuor vulneris xx. 20.
Locusta caret Rege xxx. 27.
Loquax vitandus xx. 19.
Loquax vt vrbs sine muro xxv. 28.
Loquacitas x. 19. xiv. 23. xv. 4.
Mortem parit xviij. 21.
Eius vitium xvi. 28. xvij. 19.
Lux oculorum xv. 30.

M.

MAledicti pœna xxvi. 2.
Malus: vide Improbus.
Malum pro bono reddentis pœna xvij. 13. xx. 21.
Malorum consortia vitanda i. 10. 11. 15.
Mandata seruantis fructus xix 16.
Maritus matronæ bonæ felix xxxi. 23. 28.
Mater familias: vide Bona mulier.
Matris disciplina i. 8.
Matrona: vide Bona mulier
Mediocritas seruanda xxiv. 13.
Mel moderatè edendum xxiv. 13. xxv. 16 27.
Mendacium x. 4. 18. xij. 17. vide Lingua
Mendacij pœna xx. 17.
Mendaciũ detestatur Salomõ xxx. 8.

Mensura

Mensura iniqua xx.10.23.
Mercurij aceruus xxvi. 8.
Meretricis descriptio v.5.6.vij.10.
11.verba eius mellita at venenata
v.3.4.ix.27.28.
Eius pericula vi.27.28.vij.25.26
via eiusdem ignota xxx.19.
Meretrix fossa profunda xxij.14.
xxiij.27.28.
Meretrici facultatē ne dederis xxxi.3
Meretricē nutriens pauper fit xxix.3
Meretricum mores lasciui, & verba
lubrica ij.16.17.19.vij.6.7.13.
14.15.16.17.18.ix.13.14.15.
Fugienda illarum consortia v.2.7.
8.20.25.26.27.vij.5.6.7.
Meretricum laquei xxxiij.28.
Misericors beat' xiv.21.22.xix.17.
Benedicitur xxij.9.
Misericordia xi.17.vide Eleemosyna.
Misericordia iustorum xiij.13.xiv.
22.31.xv.27.xix.22.
Magis placet quàm victima xxi.3.
Misericordiæ fructus xxi.21.
Modus in omnibus seruādus xxx.33.
Modicum cum iustitia præstat iniquis
diuitiis xvi.8.
Mœror & mœstitia xij.25.xv.13.
Mœrentibus vinum dandum xxxi.6.
Morienti succurrendū xxiv.11.12.
Mulier bona xi.16.xij.4.xviij.22.
Eam pellens xviij.22. vide Bona
Mulier.
Mulier cordata xiv.1.2.
Impudica: vide Meretrix.
Stulta ix.13.14.16.xij.4.
Superbè nupta xxx.23.
Inexplebilis xxx.16.
Mulier pulcra & fatua qualis xi.22.
Iurgiosa intolerabilis xix.13.xxi.
9.19.xxv.24.xxvij.15.16.
Mulierē fortē ægrè reperias xxxi.10.
Munera accipiens Iudex xvij.23.
xviij.16.xix.6.xxij.9.
Muneribus ira placatur xxi.1[illegible]
Musica lugenti ingrata xxv.2[illegible]

N.

NAuis in mari ignota via xxx.[illegible]
Negotia maturanda vi.4.5[illegible]
de Pigritia
Negotiosus Regi carus xxij.2[illegible]
Nuncius lætus xxv.1[illegible]
Stultus xxvi.5[illegible]

O.

OBediens Filius xxix.[illegible]
Obediens narrabit victorias xx[illegible]
28.
Obedientia iustorum xv.28.31.3[illegible]
Oculorum exaltatio xxi.[illegible]
Odium tegens xxvi.2[illegible]
Odium suscitat rixas x.1[illegible]
Opportunus sermo qualis xxv.1[illegible]
Orphani iniuria non afficiendi xxiij.
10.11.
Os dolosum xxvi.23.24.
Lubricum xxvi.28.
Os ad docendum aperiendum xxxi.8.
Otiosus idem stultus xij.1[illegible]
Oues pastor agnoscit xxvij.23.
Ouium lana vestimur xxvij.26.

P.

PAcifici arma detrectant xxij.5[illegible]
Parabola. i.6.
Parabola in ore stulti indecens xxvi.
7.cui similis xxvi.9.
Parabolas Salomonis quis collegerit
xxv.1.
Pastor pecus agnoscat xxvij.23.
Patiens, idem prudens xiv.29.xv.18.
Eius gloria xix.1[illegible]
Fructus xxv.1[illegible]
Patiens vrbium expugnatore præstantior xvi.3[illegible]
Patris disciplina iv.18.[illegible]

Pauid[illegible]

Pauidus, idem beatus xxviij. 14.
Pauper contemnitur xiv. 20. xvij. 5. xix. 4.
Etiam à fratribus xix. 17. in Dei tutela est xxij. 23.
Pauper iniuria non violandus xxij. 16. 22.
Pauper mendaci præstantior xix. 22.
Pauper modestè; diues superbè loquitur xviij. 23.
Pauper prudens xxviij. 11.
Pauper pauperē calumnians xxviij. 2.
Pauperis & diuitis comparatio xxij. 2. xxviij. 6. xxix. 13.
Paupertas x. 15. xij. 9.
Eius bona xv. 16. 17. xix. 1.
Paupertas non exprobranda xiv. 31. xxij. 22.
Paupertas à Domino iij. 33.
Paupertatem & diuitias Salomon deprecatur xxx. 8.
Peccatum lucerna impiorum xxi. 4.
Peccata cur confitenda xxviij. 13.
Peccantium vindicta xiij. 21. xix 6.
Pœna miseria est xiv. 34.
Peccatores vitandi xxiij. 17. xxiv. 1. 2.
Personarum acceptio xxviij. 21.
Pestilens castigatus exempla dat reliquis xix. 25. xxi. 11.
Pestilentes in ciuitate viri xxix. 8.
Piger qualis x. 26. xiij. 4. xv. 19. xix. 24. xxvi. 14. 15. 16.
Desiderio necatur xxi. 25. 26.
Se excusat xxij. 13. xxvi. 13.
Arare non vult xx 4.
Mendicabit æstate xx. 4. xxi. 5.
Pigri ager qualis xxiv. 30.
Pigros sequitur paupertas vij. 11. xxiv. 34. & timor xviij. 8. & sopor xix. 15.
Pigritia detestanda vi. 6. 7. 9. 10. xviij. 9.
Pigritiæ merces x. 4. xij. 24.
Plagis stultus non emendatur xvij. 10.
Ponderum fraus Deo ingrata xx. 10. 23.
Populus infirmus xxx. 25.
Potentes coluntur à multis xix. 6.
Princeps non violandus xvij. 26
Princeps leoni collatus xxviij. 15.
Ab adulatoribus deceptus xxix. 12
Princeps impius contristat xxix. 2.
Eius facies xxix. 26.
Arcana xxv. 2.
Principum sermo qualis xvij. 17.
Procrastinatio fugienda xxvij. 1.
Prophetiæ defectus xxix. 18.
Propria laus sordet xxvij. 2.
Prouerbia seu Adagia.
Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum i. 17.
Bos ad victimam vij. 22.
Aquæ furtiuæ meliores ix. 27.
Diuitum amici multi xiv. 20.
Prunas super caput congregare xxv. 22.
Canis ad vomitum rediens xxvi. 11.
Auribus canem tenere xxvi. 17.
Nimis emungens sanguinem elicit xxx. 33.
Prouidentia: sup. Dei prouidentia
Prudens dissimulare nouit xxix. 11.
Prudens, idem Sapiens xiv. 33.
Prudentia x. 23, auro potior xvi. 16. vide Sapientia.
Pupilli ne lædantur xxiij. 10. 11.

R.

RApinæ noxa xxi. 7.
Rex in throno xx. 8.
Non irritandus xx. 2.
Assentatores alens xxix. 12.
Rex impios detestetur xvi. 12. 13. 14. xx. 26.
Rex iustus xxix. 4.

Regis

Regis iusti merces xxix. 14.
Imprudens xxviij. 16.
Rex impius contristat xxix. 2.
Bonus optandus xxv. 5.
Regis dignitas xiv. 28.
Eiusdem ira vt Leo rugiens xix. 12 xx. 2. quomodo placanda xvi. 14.
Regis lætus vultus xix. 12.
Os quale xvi. 10.
Cor eius in manu Domini xxi. 1.
Regum cor inscrutabile xxv. 3.
cum Rege epulanti quid seruandum xxxiij. 1. 2. 3.
Regi quis gratus xiv. 35.
Regibus vinum non dandum xxxi. 4.
Reprehensio iusta qualis xxv. 12.
Responsio prudens xxiv, 26.
Mollis & dura xv. 1.
Responsio præceps stulti xviij. 13.
à Risu luctus xiv. 13.
Rixæ vitandæ xx. 3.
Rixas concitans xvij. 19.
vt stultus xviij. 6. xxvi. 21.
Rixæ se alterius miscens xxvi. 17.
Rixa suscitat odium x. 12. xvij. 14.
Rixa sapientis cum stulto xxix. 9.

S.

SAcramenta Ecclesiæ septem ix. 1.
Salomon suo exemplo ad sapientiam inuitat iv. 3. 4. 20. 21. vij. 1. 2. 3. xxij. 17. xxvij. 11.
Salomon se ipse accusat xxx. 1. 2. 3.
Salomonis votum & precatio xxx. 7.
Sancti non vorandi xx. 25.
Sanguisugæ filiæ duæ xxx. 15.
SAPIENS xij. 15. 16. xiv. per totum xv. 2. 14 xvij. 7. xix. 3. xx. 31.
Sapiens doctrinæ studiosus xviij. 15.
Sapiens ac prudens xvij. 24. & fortis xxiv. 5.
Sapientum labia erudiunt x. 21.
Sapientia i. 2. 5. 20. 21. 22. ij. 2. 3. &c. vij. 4. æterna est viij. 22. 23. 24.
& deinceps. eius vox viij. 4. 5. 6. &c.
Dignitas viij. 12. 14. & deinceps xxij. 18.
Vtilitas ij. 10. 11. 12. iij. 13. 14. 15. 16. iv. 1. 2. 5. 6. & deinceps viij. 18. 19. 20. 21. 35. ix. 9. 10. xiij. 14. xiv. 24. xviij. 4. xxij. 18.
Eiusdem suauitas xxiv. 13. 14.
Robur xxi. 22.
Descriptio eiusdem xxij. 20.
Sapientiæ domus xxiv. 1.
Septem columnis fulta ix. 1.
Sapientia stulta excelsa xxiv. 7.
Sapientia gaudium adfert xxiij. 5. 6.
Longæuos reddit ix. 11. auro melior xvi. 16.
Sapientiæ amator xxix. 3.
Sapientiam odientium pœna viij. 36.
Satiato nihil sapit xxvij. 7.
Scientiæ dignitas xx. 15.
Scortum: vide Meretrix.
Scrutator rerum cœlestium qualis xxv. 27.
Seditiosorum arma xxij. 5.
Senij dignitas xvi. 31.
Canities xx. 29.
Sermo Dei qualis xxx. 5.
Sermo fictus xxvi. 23. 24.
Opportunus laudabilis xxv. 11.
Sermo index animi xxvi. 24. xxvij. 19. 21.
Serpentis in rupe repentis ignota via xxx. 18.
Seruus frugi xvij. 2.
Delicatè enutritus xxix. 21.
Seruus regnans qualis xxx. 22.
Serui fidelis merces xxvij. 18.
Seruus ne principi dominetur xix. 20.
Seruum ne temere accusa xxx. 10.
Serui indociles xxix. 19.
Silentij vtilitas x. 19. xvij. 27. 28.
Simplicem qui oderunt xxix. 10.

Simpli-

Simpliciter ambulans x. 9. 24. xi. 3. 20. xx. 7. xxij. 3. xxviij. 28. terram possidebit xxviij. 10.
Sitientē pota vel hostem xxv. 21. 22.
Somnus multus fugiendus vi. 10. xx. 13.
Sors tollit lites xviij. 18.
Sortes Dominus regit xvi. 33.
Spes xiij. 12. xvi. 20.
Spe fallitur infido fidens xxv. 19.
Sponsio vitanda xxij. 26. 27.
Sponsio seruanda vi. 1. 2. xi. 15. xij. 18. xx. 16. xxvij. 13.
Sponsio stulta xvij. 28.
Statera iniusta xx. 10. & 23.
Stellio in aulis Principum xxx. 28.
Studia puerorum xx. 11.
Stultus xij. 15. 16. xiv. per totum xv. 2. 14. xvij. 7. xix. 3. xx. 3.
Stultus quis xxiv. 8. 9.
Prudentiā repudiat xviij. 2. xxiij. 9.
Quomodo corrigendus xxix. 29.
Incorrigibilis qualis xxvij. 22.
Stultus natus xvij. 21.
Cibo satur xxx. 22.
Stultus tacens, sapiēs putatur xvij. 28
Stultus ad honores euectus xxx. 33.
Eius ira qualis xxvij. 3.
Stulto non occurrendum xvij. 12.
Respondendum, non respondendum xxvi. 4. 5. gloria stulto non debetur xxvi. 1. 8.
Stulto impone silentium xxvi. 10.
Stultum non decent deliciæ xix. 10.
Stultorum sermo xxviij. 17.
Studia ad doctrinam i. 24. 25.
Superbus quis xxi. 24. Superbum deiicit Deus xxix. 23.
Superbia xi. 2. eius finis iurgia xiij. 10. xv. 25.
Superbiam comitatur dolor. xvi. 18. 19.
Suffuro: vide Detractor.

T.

TAciturnitas: vide Silentium.
Temperantia cibi xxiv. 13.
Terra aquà non satiatur xxx. 16.
Terræ minima quattuor xxx. 24.
Terram turbant quattuor xxx. 21.
Testis fidelis xiv. 5. 25.
Mendax xij. 19. xiv. 5. 25. xxi. 28. eius pœna xix. 5. 9. 28.
Testis falsus xxiv. 28.
Cui similis xxv. 18.
Timor Domini xxiv. 21. xxix. 28.
Timor Domini sapientiæ principium ix. 10. xi. 33. xiv. 26.
Fons vitæ xxiv. 27.
Odit malum viij. 13. xv. 27. xvi. 6.
Longæuos facit x. 27. xix. 23. xxij. 4.
Timens Deum laudanda Matrona xxxi. 30.
Tranquillitas animi xv. 15.
Tristitia, cordis tabes xxv. 20.
Turbare rationes domus xi. 29.

V.

VAnitas: vide Mendacium
Velox pedibus xix. 2. verbis xxix. 20.
In negotiis xxij. 29.
Verbum Dei xxx. 15.
Nihil illi addendum xxx. 6.
Verborum consectator xix. 8.
Verus sermo xij. 19.
Veritas Regis xx. 28.
Veritati studendum xxiij. 23.
Via ambigua & letalis xiv. 12. xvi. 25. xxi. 2.
Via iusti xv. 19. 24. mala declinat xvi. 17.
Impij xv. 9. 19. xxi. 8.
Viæ ignotæ quattuor xxx. 18.
Vicinus fidelis xxvij. 10.
Victimæ impiorum xv. 8. xxi. 27.

Victus

Victus frugalis xxvij. 27.
Viduæ domus xv. 25.
Vindicta non postulanda xxiv. 29.
Vinum luxuriosum xx. 1.
Vinum non dandum Regibus xxxi. 4. mœrentibus dandum xxxi. 6.
Vinum bibendo paupertatis obliuiscimur xxxi. 7.
Vini poti pericula xxiij. 31. 32. 33. 34. 35.
Virga prudentiam adfert xxvi. 3.
Virga erudi filium xix. 18. xxij. 15. xxiij. 13. 14.
Ne occidas xix. 18.
Virgæ fructus xxiij. 14. xxix.
Viri sanguinum xxix. 4.
Voluptatem dolor sequitur xiv. 13.
Vota non retractanda xx. 25.
Vota iustorum xv. 8.
Vsura ditatus xxviij. 8.
Vulnus xx. 30.
Vxor propria diligenda v. 9. 10. 11. 15. 16. 17. 18. 19.

FINIS.

☞ *Errata operarum sic corrige.*

PAg. 7. Versu 16, resistitis; sed. 11. 4. lege Chida. 17. 19. Sapientiam. 26. vlt. deliburc 41. 21. Metsa chen. 45. 2. Tehomot & Tuschia. 46. 14. Charas. 56. vlt. Salomone. 57. 5. Kene 26. Salselecha. 28. Chabbibiah. 68. 2. Sessurus. 72. 8. mutuò. 100. 15. Nolite timere] adde Matth. x. 28. 21. imprime. 104. 24. coitionibus. 119. vlt. subiugauit. 123. 20. siue veneris. 125. 9. Splendidum. 128. vlt. diligit. 146. 6. ignauo. 154. 13. exauctorantur. 164. 12. gemus virtutum. 167. 9. fons & origo sit. vlt. iniustitia aspera. 172. 7. imitari. 174. 5. veritatem. 176. 10. examinata. 181. 15. vituperatur. 183. 5. à fine, bonis. anima autem. 188. 12. percipiat. 190. 8. à fine, iustitiam. 3. à fine, blaterant. 191. 11. conuertantur auferantur. 204. 20. nonnunquam ita 216. 7. à fine, moriuntur: ita rudes. 231. 11. ne quid præpropere. 239. 18. Cor sapientis. 249. 23. sensatis. 254. 10. pertigerint) ita peruersa &c. 256. 15. indiciis. 259. 23. calamitates. 265. 28. aperiant. 269. 16. instar aquæ. 280. 5. à fine, fugat. 284. 18. implorant. 289. 24. in peccato. 306. 4. à fine, quo sibi vel aliis. 308. 17. sint intenti. 311. 2. a fine, consopitus. 320. 6. iunioribus. 321. 6. appareat. 324. 10. à fine, censentur. 318. 6. à fine, Qui ergo ab eiusmodi. 328. 4. à fine, huc illucque. 376. 15. adfert. 392. 3. vtrobique ad loca. 4. à fine, enucleata. 411. 9. à fine, fida, diligentique. 413. 16. timet hominem. 420. 2. à fine, impellere solet. 20. patrem. 448. 14. ἀπὸ τοτε

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI ET ISABELLÆ *Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Priuilegio Hieronymo Verdussio concesso, omnibus aliis typographis & bibliopolis interdicitur, ne quis Commentaria ac Paraphrasim in Prouerbia Salomonis Theodori Peltani Societatis* IESV *Theologi, intra septennium typis excudat, aut alibi impressa venalia habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum & alia pœna multabitur vt latius patet in litteris datis Bruxellis 29. Aprilis. 1605.*

Signat.

Buschere.